Papa sit rex Romae!

PAPA SIT REX ROMÆ!

HAEC EST

SUMMA SOLUTIO

QUÆSTIONIS SOCIALIS PRÆSENTIS

SCRIPSIT F. X. GODTS, C. SS. R.

" Hæreditatem patrum nostrorum, quæ injuste ab inimicis nostris aliquo tempore possessa est,... vindicamus. "
I MACHAB., XV, 33, 34.

" Exploratissimum est, cum de temporali Principatu Sedis apostolicae agitur, publici etiam boni, et salutis totius humanae societatis caussam agitari. "
LEO XIII *in prima sua Encycl. 21 April. 1878.*

Cum tribus tabulis geographicis.

Typis Societatis Sancti Augustini.

DESCLÉE, DE BROUWER ET SOCII.

1897.

APPROBATIO.

Librum, cui titulus : PAPA SIT REX ROMÆ, *auctore F. X. Godts, Congregationis SS^mi Redemptoris*, a duobus Congregationis nostræ Theologis, quibus ejusdem examen commissum fuit, recognitum et approbatum, potestate nobis facta a R^mo nostro Generali M. Raus, in publicam lucem edi permittimus.

J. R. VAN AERTSELAER, C. SS. R.
Sup. Prov.

Bruxellis, festo S. Catharinæ, 25 Novembris 1896.

IMPRIMATUR.

Brugis, in festo Immac. Concept. B. M. Virg. 8 Dec. 1896.

J. A. SYOEN, Can.,
Libr. Cens.

DEDICATIO.

DOCTORI ECCLESIÆ ZELANTISSIMO

SEDIS APOSTOLICÆ CLIENTI DEVOTISSIMO

JURIUM SUCCESSORIS PETRI DEFENSORI STRENUO

PONTIFICIÆ INFALLIBILITATIS ASSERTORI IRREFRAGABILI

VICARIO CHRISTI FILIO HEROÏCE SUBMISSO

CLEMENTIS XIV AGONIZANTIS ASSISTENTI MIRACULOSO

CONGREGATIONIS SS. RED. PARENTI ATQUE LEGIFERO

SANCTO ALPHONSO-MARIÆ DE LIGUORIO

RECURRENTE A NATIVITATE EJUS ANNO BIS SÆCULARI

1696 — 27 SEPTEMBRIS — 1896

ET A QUO UT DOCTOR ECCLESIÆ FULGET, VIGESIMO QUINTO

IN TESTIMONIUM GRATI ANIMI

PRO CŒLESTI DOCTRINÆ EJUS PABULO

PRO ACCEPTO BENEFICIO VOCATIONIS SUÆ

ET IN SPEM OBTINENDÆ PERSEVERANTIÆ FINALIS

HANC QUALEMCUMQUE ELUCUBRATIONEM

HUMILITER AC DEVOTE OFFERT ET DEDICAT

FILIORUM EJUS MINIMUS

F. X. Godts, C. SS. R.

Bruxellis, ad S. Joseph, 27 Septembris 1896.

Commendatio S. P. N. Alphonsi.

" Obsecro omnes, qui pro bono Ecclesiæ zelum fovent, ut fervidas jugesque preces Domino præbeant, qui Ecclesiæ suæ usque ad sæculorum finem adsistere, et numquam fore permissurum portas inferi adversus eam prævalere, promisit, — ut in omnibus fidelibus reverentiam et obedientiam confirmet et augeat erga Romanum Pontificem (1). "

Sensus propheticus S. Alphonsi de nefasto influxu sociali sectæ massonicæ.

Saint Alphonse était transporté d'indignation contre la secte des *francs-maçons*. " Cette secte, disait-il les larmes aux yeux, fera un jour le malheur non seulement de l'Église, mais aussi des royaumes et des souverains. Les rois n'y prennent pas garde ; mais ils reconnaîtront trop tard leur funeste négligence. Les francs-maçons s'en prennent à Dieu aujourd'hui, et bientôt ils s'attaqueront aux rois. "

Outre un grand nombre de lettres qu'il adressa à ce sujet aux membres de la régence établie à Naples, après que le roi Charles III eut quitté cette ville, il écrivit encore au cardinal Sersale pour l'engager à user de tout son crédit afin de délivrer Naples et les provinces de cette secte abominable. Nous avons à regretter la perte des lettres que le saint évêque écrivit à ce sujet, tant au cardinal qu'aux régents (2).

1. Vind. pro sup. Pontif. potest. adv. Febronium. — Conclusio.
2. Tannoja, *Mémoires*, liv. III, chap. 25, Édit. Paris, 1842, t. II, pag. 198.

PROŒMIUM.

QUARE hoc opusculum in lucem prodere juvat? Quia, BENEVOLE LECTOR, *quum animas salvandi desiderio impulsus, prout missionarium decet, studiis vacarem de solvenda quæstione sociali et de compescendo socialismi monstro, vidi luce clarius, omnes conatus, tam Imperatorum vel Regum, vel Legislatorum quam privatorum virorum ad civilem restituendum ordinem, prorsus fore inefficaces, nisi prius restituerint temporalem Christi Vicarii Principatum.*

Præterea cum secundum Doctorem Angelicum nil antiquius esse debeat cuique viro Religioso, qui vitam mixtam, *uti dicunt, professus est, ac veritatem* contemplari et contemplata aliis tradere, *volui et ea, quæ ipse contemplatus eram, etiam aliis communicare.*

Accedit et alia ratio : Audivi enim vocem captivi dilectissimi Patris nostri Leonis hunc in modum omnes et singulos filios alloquentem : " *In officiis igitur quae nos iungunt Deo atque Ecclesiae, hoc est numerandum maxime, ut in veritate christiana propaganda, propulsandisque erroribus, elaboret* singulorum, *quoad potest, industria.*

" *Profecto praedicandi, hoc est docendi munus iure divino penes magistros est, quos* Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, *maximeque penes Pontificem Romanum... Nihilo minus nemo putet industriam nonnullam eadem in re ponere privatos prohiberi... ; qui, quoties res exigat, commode possunt, non sane doctoris sibi partes assumere, sed ea, quae ipsi acceperint, impertire ceteris...* (1). "

" *Catholici* cuiusque *scriptoris munus est, in libris edendis perfida sectarum consilia in aperto et propatulo ponere. Fidelium* quorumvis *officium est eorumdem librorum evulgationem efficaci modo sustentare* (2). "

1. Encyc. *Sap. Christ.* De præcipuis civium christianorum officiis. 10 Jan. 1890.
2. Lit. ad Episc. Ital. 15 Oct. 1890.

" *Admodum gravis est illa Felicis III, decessoris Nostri, sententia :* Error, cui non resistitur, approbatur ; et veritas, quae non defensatur, opprimitur ([1]). "

Quæ verba insufficientiæ meæ animum addiderunt ; et proposui, pro modulo meo, non sane doctoris mihi partes assumere, sed, ea quæ ipse acceperim, impertire ceteris.

Volui quoque resistendo errori eum non approbare. *Error autem ille est quorumdam qui, quamvis pii sint et docti, autumant civilem summi Pontificis Principatum periisse sine ulla spe resurrectionis. — Multi enim, etiam inter sacerdotes, si non alta voce, saltem intra se dicunt, cum quodam publicista gallo :* " *Entre toutes les solutions de la question Romaine, il en est une que nous devons d'abord écarter, parce qu'il nous semblerait peu digne de nos lecteurs de nous y arrêter. C'est la* restauration du pouvoir temporel *des Papes, de l'ancienne monarchie pontificale, sous quelque forme et dans quelques limites que ce soit. Il est permis d'en regretter la chute, d'en montrer la raison d'être et les avantages dans le passé ; il n'est pas sérieux d'en discuter le rétablissement. Ceux qui s'obstinent à l'espérer, se placent en dehors des prévisions humaines et du cours naturel des faits. Ce ne sont plus des politiques, mais des mystiques* ([2]). "

Venia horum contradictorum, non sumus politici neque mystici, sed tantum christifideles firmiter credentes in Eum, qui Ecclesiam suam stabilivit non super prævisiones humanas aut naturalem cursum rerum, sed supra petram, contra quam potentiæ infernales non prævalebunt, et qui seipsum cum Ecclesia sua mansurum promisit, omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.

Quapropter sequentia puncta tractare vellem, resumando plerumque ipsissima Romanorum Pontificum verba, necnon optimorum theologorum argumenta.

---

1. Ep. ad Episc. Ital. 8 Dec. 1892.
2. Anatole Leroy-Beaulieu apud Prélot, S. J. *Études*, t. 65, pag. 177.

SUMMARIUM totius quæstionis Romanæ, quæ maximi est momenti atque ab alto tractanda. (*Caput I.*)

PARS I.
DE PRINCIPIIS ORDINIS QUÆ CONCURRERUNT AD CONSTITUTIONEM DOMINII TEMPORALIS S. SEDIS.

A) — Potestas civilis, regalis, absoluta, competit Christi Vicario, jure divino saltem naturali, propter Primatum ejus atque Immunitatem. . . . . . . (*Caput II.*)

B) — Necessarius est Principatus civilis propter liberum exercitium Immunitatis S. Sedis, præ primis in præsenti rerum statu; et hæc est veritas adeo fidei catholicæ proxima, ut *fide certa* dicatur . . . (*Caput III.*)

C) — Justissima est possessio Principatus civilis S. Sedis, cum sit singulari consilio divinæ Providentiæ referenda . . . . (*Caput IV.*)

D) — Sacer fit exinde Principatus civilis S. Ecclesiæ; sacratissima quoque est Roma papalis . . (*Caput V.*)

PARS II.
DE PRINCIPIIS DEORGANISATIONIS SOCIALIS.

A) — Massones sunt, non genuini Itali qui in exitium Dominii temporalis conspiraverunt; eorum secta, gravida omni errore ac civili seditione, nonobstantibus Pontificum monitis, et societatem late pervadens, eam Ecclesiamque evertere et ad horrendum paganismum reducere molitur. . . . . (*Caput VI.*)

B) — Secta malefica massonum mediis omnigenis aggreditur arcem tutissimam ordinis Christiani ac socialis, et de ea triumphum agit Dominium S. Sedis occupando. . . . . (*Caput VII.*)

C) — Quantopere sacrilega spoliatio S. Sedis, per fere integrum sæculum protracta, in manu sectæ massonicæ inserviit ad errores, crimina et injurias omnigena publice spargenda in subversionem totius societatis civilis. . . . . (*Caput VIII.*)

D) — Lamentabilis iste eventus in primis favit *socialismi* erroribus et fatali *communismo* aditum aperuit, inspirando et nutriendo odium in Religionem, in proprietatem, in auctoritatem omnem. . . . . . . (*Caput IX.*)

E) — Perduratio facinoris in detentione Romæ et conditio intolerabilis S. Pontificis, constanter inquietudinem populorum fovent, et summe perniciosæ sunt societati, — non dico Ecclesiæ solum, — sed totius Europæ, imo ipsius Italiæ . . . . (*Caput X.*)

PARS III.
DE MEDIIS RESTITUENDI FIRMITER ORDINEM SOCIALEM ET DEBELLANDI EFFICACITER SOCIALISMUM.

A) — Ad ordinem et securam pacem societati recuperandum, principalior via est: restitutio Principatus S. Sedis et præsertim Urbis Romæ. . . . . . (*Caput XI.*)

B) — Ad restitutionem Dominii S. Sedis et restaurationem totius ordinis socialis, primum, principale, imo et unicum obstaculum est malefica secta massonum. . . . . (*Caput XII.*)


C) — Per restitutionem Dominii S. Sedis redintegrabitur ac iterum consacrabitur pristinum jus internationale, per *non-interventus* placitum misere quassatum, et tuta pace frui ac efflorescere poterit non solum Italia, sed Europa atque totus terrarum Orbis . . . . . (*Caput XIII.*)

D) — Studium sincerum historiæ et singularis Providentiæ exinde in Principatum S. Sedis civilemque Societatem illucescens, clamat ad restaurationem promovendam, ne Societas sub impetu errorum socialium penitus abeat in ruinam. . . . . (*Caput XIV.*)

E) — Quamquam modus efficax reducendi illud centrum firmum Ordinis socialis, Dominium scil. temporale S. Sedis, in consiliis Dei latet, expedit tamen ut monente et minitante Providentia, homo christianus arripiat medium hoc salvandi societatem et consilia ineat de executione necessaria . . . . (*Caput XV.*)

CONCLUSIO PRACTICA. COOPEREMUR DEO "PRO ARIS ET FOCIS" et, ope precum nostrarum atque laborum, iterum SIT PAPA REX ROMAE !

I



Juxta F.W. Putzgers. – Leipzig 1890

Papa sit rex Romae.

CAPUT PRIMUM.

Summarium totius quæstionis Romanæ, quæ maximi est momenti, atque ab alto tractanda.

1. Ab alto incipiendum. — 2. Et nequaquam ac si ageretur de sublato principatu civili alicujus Episcopi medii ævi, vel familiæ regnantis aut de mutatione formæ gubernii.— 3. De regno Christi, seu de Ecclesia, agitur. — 4. Imo de re *nostra*, de Roma, quæ ad Orbem catholicum spectat, et de bono publico totius societatis. — 5. Radix seu ratio hujus principatus civilis est singularis Primatus S. Petri. — 6. Differentiæ inter jurisdictionem B. Petri et ceterorum Apostolorum. — 7. Papa est successor S. Petri in eodem Primatu. — 8. Est ergo Pater regum, Rector Orbis, Vicarius Christi.— 9. Quapropter civilis ejus potestas habet causam sibi intrinsecam et unice propriam : dignitatem et libertatem Primatus. — 10. Et ideo, quamvis sit temporalis, rationem tamen induit spiritualem. — 11. Necessaria est præsertim sæculo nostro socialismi. — 12. Donec misera S. Sedis conditio manebit, tria erunt quæ impedient universalem et completum Ecclesiæ de socialismo triumphum.

1. Ubi tractari incipit de temporali dominio Illius, qui Christi Vicarius est hic in terris, oportet prævie deponamus omnes nugacitates et procul abjiciamus arctiores notiones quascumque. Ab alto tractanda est hæc momentosa quæstio, ut scripsit ipse Leo XIII : " Intelligis quanti sit videre diligenter, ne caussa Romani Pontificatus in angustiorem campum disceptando cogatur. Videlicet oportet in negotio tam gravi, non iudicium ex eventis rerum mutabilibus facere, sed repetere altius rationes, serioque perpendere quid iustitia

postulet, quid Sedi Apostolicae ad divinum munus suum desideretur [1]. "

2. Non est Papa sicut quilibet Episcopus, nec temporale ejus dominium comparandum cum principatu illo civili, quem adhuc ultimo sæculo quidam tenuerunt Episcopi, ut, verbi gratia, Princeps-Episcopus Leodiensis. Scite animadvertit Sanctissimus Dominus Leo XIII: " Quod enim saepe diximus saepiusque est dicendum,in civili Principatu non humana quaedam res, sed libertas vertitur officiorum Apostolicorum ac iurium. Hoc iudicio dirigenda opinio est ; hoc idem accurate animis inculcandum, praesertim cum apud multos,cetero laudabiles, liberiorum sententiarum plus aequo creverit favor [2]. "

Nec est tractanda amissio temporalis regni summi Pontificis, sicuti tractari solet expulsio alicujus familiæ regiæ a solio suo. Mentiuntur enim hi, qui jura Romanorum Pontificum in Urbem Romam " usque adeo opinione minuere satagunt ut non plus habere momenti dicta sint, quam quod regiarum domorum rationes habere universe solent [3] ". Neque licet Papæ Romanis consilium dare, sicuti Gallis, ut acceptent formam gubernii jam de facto stabiliti. Non exstat præscriptio contra Ecclesiam ; veri cives Romani sunt semper de jure subjecti Papæ, et, in pseudo-gubernio Italico, neque electores neque electi esse possunt.

3. Sicut una est Ecclesia, unus Christus, unus Deus, ita et unus est Papa, una S. Sedis libertas, una tutela Ejus, qua " singulare Dei Providentis consilium eam munitam esse decrevit [4] ".

Ubi ergo in medium profertur quæstio DE RESTITUTIONE PRINCIPATUS S. SEDIS, non agitur de aliqua ex centenis istis querimoniis, quæ quotidie occurrere solent in aula justitiæ,

1. Epist. ad Episc. Cremon. 20 April. 1889.
2. Ibid.
3. Leo XIII, Allocut. 30 Dec. 1889.
4. Verba Leonis XIII, 1 Nov. 1885.

ut ipsa restituat bonum injuste ablatum et reparet illatam offensam ; ast lis est DE REGNO DOMINI ET REDEMPTORIS NOSTRI JESU CHRISTI, prout illud : " Divina Providentia per decursum saeculorum stabilitum esse cernimus, ex adiuncta potestate Principatus civilis, qua, velut optima libertatis suae tutela et necessario munimine frueretur. "

Ait enim Leo XIII : " Neque profecto sine singulari Providentis Dei consilio factum esse censendum est, ut haec ipsa potestas Principatus civilis, velut optima libertatis suae tutela muniretur ([1]). "

Et jam antea ita locutus fuerat : " Ad hanc (Ecclesiæ) potestatem libere toto orbe exercendam, providissimo Dei consilio factum esse ut, *post periculosa primae aetatis discrimina*, civilis Principatus Romanae Ecclesiae adiiceretur, eidemque longo saeculorum tractu inter infinitas rerum vicissitudines regnorumque ruinas conservaretur ([2]). "

Et in Epistola de Studiis historicis, eidem insistens divino facto, ostendit historiam doctrinis plenam circa Dei Providentiam in Ecclesiam Romanumque Pontificem ([3]).

Causa igitur restitutionis Principatus civilis una est, scilicet causa perfectæ libertatis Ecclesiæ et S. Sedis, seu Regni Christi in terris, prout per Principatum civilem Deus secura tutela Ecclesiam munitam esse voluit, post perniciosa primæ ætatis discrimina.

Huic unitati applicare fas est: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.*

Hisce unionis juribus renuntiare nefas est : *Quod Deus providissimo consilio conjunxit, homo non separet.*

Et ideo quæstio restitutionis Principatus civilis Romani Pontificis una est ac tanta, quam cum nulla alia humana aut ecclesiastica confundere vel æquiparare liceat. — In hanc

1. Ibid., Encycl. *Immortale Dei.*
2. Alloc. ad Ephem. Script. 22 Febr. 1879.
3. 3 Aug. 1883.

causam sui regni in terris non patitur suos esse indifferentes nec socordes ipse Christus Dominus.

Quidni? Nonne Ipse dilexit nos et tradidit Semetipsum pro nobis, ut faceret nos Regnum et sacerdotes Deo? Quod si quis sacerdos non ardenter amet JESUM CHRISTUM et Regnum Ejus, et omnia quæ sunt Christi, anathema sit!

Agitur in quæstione Romana, de animarum sanctificatione, de influxu salvifico prædilectæ Matris nostræ, Ecclesiæ sanctæ, catholicæ et apostolicæ; de munere libertatis, inquam, Sponsæ Christi, quo ipsam dotare benigne voluit. " Ipse, Salvator corporis ejus, ... dilexit Ecclesiam, et Seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret,... ut exhiberet Ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi ([1]). " Libertatem ei donavit; nihilque Christus adeo diligit in mundo quam libertatem Ecclesiæ suæ ([2]). Sed libera non est Ecclesia ad munera sua obeunda, quamdiu captivus est ille, qui caput ejus est visibile ac Sponsi Cœlestis Vicarius.

Agitur in quæstione Romana de dilecto et sancto Patre nostro; de majestate Primatus illius; de efficace ejus actione in mundum universum; de consolatione animæ venerabilis illius senis, imo de valetudine ejus corporali, nobis adeo pretiosa.

Agitur de venerabili cœtu Purpuratorum, de Principibus Ecclesiæ Romanæ, de consiliariis ipsius Pontificis necnon de Congregationibus, S. Sedis in vasto orbis catholici regimine, auxiliariis.

Agitur de consummando seu absolvendo Concilio Vaticano, quod per sacrilegam invasionem Urbis tam calamitose fuit abruptum.

Agitur de Propaganda fide apud millia millium populorum, qui adhuc in tenebris et in umbra mortis æternæ sedent.

---

1. *Ephes.*, v, 23 et seq.
2. S. Anselmus.

Agitur de Urbe, de Roma illa sacra, de civitate eminenter catholica, quæ præordinata fuit a Deo ut caput esset Orbis christiani,centrum Religionis,Sedes Vicarii Filii sui; quæ tam mirabiliter fuit conservata per tot sæcula ; quæ sacrata fuit vita, laboribus, sudore et sanguine tot millium sanctorum.

4. Agitur et de rebus nostris! Nam in Romana Ecclesia non sumus hospites et advenæ, sed cives Sanctorum et domestici Dei, imo filiifamilias. Non Italica tantum sed et Belgica, et Hollandica, et Anglica, et Germanica, et Gallica, et Hispanica, et Americana, uno verbo, universalis, nimirum omnium vere christianorum, seu catholica est quæstio Romana. Sic more Machabæorum oportet vindicemus nobis hæreditatem Patrum nostrorum, quam injuste aliquamdiu hostes possedere. Vindicemus et sanguinem Fratrum nostrorum, militum Pii IX, gloriosorum illorum *Zuavorum*, qui pro justitia et Petri Sedis juribus occisi sunt," quoniam quod est honoris, gloriæ, et virtutis·Dei, et qui est ejus spiritus super eos requiescebat[1]!"

Agitur de debellandis principibus tenebrarum et eorumdem asseclis quibuscumque, massonicæ sectæ addictis.

Agitur de confringenda audacia socialismi.

Agitur de imponendo fine huic famosæ *paci armatæ*, cunctis Europæ gentibus tantopere nocivæ.

Agitur de tuendis justitiæ ac proprietatis juribus naturalibus in genere.

Agitur de confutando egoismo,falso nomine principii *non-interventionis* insignito.

Agitur de fovendis studiis, scientiis, litteris atque artibus honestis.

Agitur de præbendo exemplo nationibus omnibus, per specimen gubernii genuini atque paterni [2] — " non quali populus utitur unus vel alter, sed quale et vult recta ratio

1. *Petr.*, IV, 14.
2. Pallottini,*Sacerdotium et Imperium*, II, cap. 1, art. 2.

naturæ congruens, et probant divinæ documenta Sapientiæ ([1]), " quale et Leo XIII in litteris Encyclicis de civitatum constitutione christiana nobis explicuit.

Quid mirum igitur si causam Principatus civilis Romani Pontificis *unicam* esse dicamus, cum tot tantaque jura et officia S. Sedis cum ipsa sint connexa ut ne vix quidem altera causa inveniri possit ejusdem momenti ?

Verumtamen, ut verbis utamur Leonis XIII : " Ad hanc restitutionem postulandam movemur ... non solum ex eo quod Principatus hic ad plenam libertatem spiritualis potestatis tuendam conservandamque est necessarius : sed etiam quod exploratissimum est,cum de temporali Principatu Sedis apostolicae agitur,*publici etiam boni et salutis totius humanae societatis* caussam agitari ([2]). "

Causa ergo agitatur salutis tum temporalis, tum æternæ omnium et singulorum civium.

Causa agitatur juris publici in qua, ut ait Pius IX, agitur de immani violatione, quæ contra universale gentium jus " nequiter est patrata, quæque nisi omnino coerceatur, nulla deinceps legitimi cujusque juris firmitas ac securitas poterit consistere. "

Causa agitatur ordinis publici, in qua dijudicandum est " de rebellionis principio, ex quo pronum est intelligere quantum cuicumque Gubernio discrimen in dies comparetur, et quanta in universam civilem societatem redundet pernicies, *cum ita fatali communismo aditus aperiatur.* "

Causa agitatur pacis in qua occurrit ratio " de violatis solemnibus conventionibus, quæ uti aliorum Principatuum, ita etiam civilis Pontificiæ Ditionis integritatem sartam tectamque servari omnino postulant. "

Causa agitatur summi criminis in qua homo ex humano consilio violenta manu diripuit " Principatum illum quem

1. *Rerum nov.*, 143.
2. Encycl. 21 April. 1878.

singulare divinæ Providentiæ consilium Romano Pontifici dedit ad apostolicum suum ministerium in universam Ecclesiam plenissima libertate exercendum, — quæ profecto libertas summæ omnibus Principibus curæ esse debet, ut Pontifex ipse nullius civilis potestatis impulsui subjaceat, atque ita spirituali pariter catholicorum in eorumdem Principum dominiis degentium tranquillitati cautum sit " ([1]).

Quæ cum ita sint, nescio an, præter causam de restituendo Principatu civili summi Pontificis, majoris momenti sit ulla. Huc provehit factum fundamentale singularis providentis Dei consilii, qui Principatum civilem cum potestate spirituali summa conjunxit in securam libertatis sanctissimæ tutelam.

Huc ducit plenus usus jurium plenumque exercitium officiorum,quæ pertinent in terris ad veramChristi Ecclesiam.

Huc denique summopere spectant et bonum publicum et salus populorum, quos nulla pax, tranquillitas nulla manere videtur, donec Papa iterum sit rex, donec restauratio fiat Principatus civilis S. Sedis Apostolicæ Romanæ, injuste a massonibus usurpati ac retenti.

5. Ratio fundamentalis cur Deus Principatum civilem Romano Pontifici tribuerit est Primatus ipsius qui unicus agnoscitur in orbe terrarum et divinitus ei fuit collatus.

Tantus est autem ille Primatus, ut in eo *totius Ecclesiæ vis ac soliditas* consistat, quemadmodum solemniter declaravit Concilium Vaticanum ([2]).

Papa non habet similem sibi hic in terris quoad dignitatem et jurisdictionem.

Etenim unum Simonem, cui jam pridem dixerat *Tu vocaberis Cephas*, solemnibus his verbis allocutus est Dominus : " Beatus es Simon Bar-Jona ; quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. — Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo

1. Alloc. 28 Sept. 1860.
2. Constit. prima. Procem.

Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. — Et tibi dabo claves regni cœlorum et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis ([1]). "

Item soli et uni Simoni Petro contulit JESUS, post suam resurrectionem, summi pastoris et rectoris jurisdictionem in totum suum ovile, dicens : " Pasce agnos meos, pasce oves meas ([2]). "

6. Sublimitatem et unicitatem Primatus Petri magnifice demonstrat triplex discrimen quod intercedere visum est inter jurisdictionem universalem S. Petri et jurisdictionem, quantumvis etiam universalem, Apostolorum.

a) Jurisdictio universalis S. Petri erat *ordinaria*, seu ad successores ejus, Romanos Pontifices, transitura; jurisdictio autem, quantumvis universalis, aliorum Apostolorum erat *extraordinaria*, seu cum ipsis peritura.

b) Jurisdictio universalis S. Petri se extendebat non in fideles tantum, sed et in omnes ac singulos Coapostolos; jurisdictio vero Apostolorum minime usque in ipsorum collegas pertingebat.

c) Tandem jurisdictio universalis S. Petri erat independens ac suprema; jurisdictio autem ceterorum Apostolorum, sive singillatim, sive collective sumptorum, erat dependens a jurisdictione Petri, eidemque subordinata ([3]).

7. " Si quis igitur dixerit, B. Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium Principem et totius Ecclesiæ militantis visibile caput, — anathema sit ([4]). "

En ergo Petrus constitutus Vicarius Hujus, qui jam dixit: " Data est enim mihi omnis potestas in cœlo et in terra ([5]).

1. *Matth.*, XVI, 16-19.
2. *Joan.*, XXI, 15-17.
3. Cl. D. Van de Putte, *Collat. Brug.*, I, p. 390.
4. Concil. Vatic. const., I, cap. 1.
5. *Matth.*, XXVIII, 18.

Sicut misit me Pater, et Ego mitto vos ([1]). Et ecce, Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi ([2]). "

" Nulli sane dubium, imo sæculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus Apostolorum Princeps et caput, fideique columna et Ecclesiæ catholicæ fundamentum, ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, Episcopis Sanctæ Romanæ Sedis, ab ipso fundatæ, ejusque sanguine consecratæ, vivit et præsidet et judicium exercet. Unde quicumque in hac cathedra Petro succedit, is, secundum Christi ipsius institutionem, Primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet.

" Si quis ergo dixerit... Romanum Pontificem non esse B. Petri in eodem Primatu successorem, anathema sit ([3]). "

8. Quænam est ergo papalis dignitatis majestas? " Credendum ab omnibus Christifidelibus est, sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri, Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput et omnium Christianorum patrem et doctorem existere ([4]). "

Huic legi credendi conformis est lex orandi in Ecclesia Romana.

Quid proinde sit Papa perpulchre sonant preces quæ in ceremonia coronationis SS. Pontificum usurpari solent. Sic orat senior inter Cardinales-Episcopos : " Deus, qui Apostolum tuum Petrum, inter ceteros Apostolos Primatum tenere voluisti, eique universæ christianitatis molem super humeros imposuisti, respice, quæsumus, propitius hunc famulum tuum (Leonem) quem de humili cathedra violenter sublimatum, in tronum ejusdem Apostolorum Principis subli-

1. *Joan.*, XX, 21.
2. *Matth.*, XXVIII, 20.
3. Concil. Vatic., *l. c.*, cap. 2.
4. Concil. Vatic., *l. c.*, cap. 3.

mamus ; ut, sicut profectibus tantæ dignitatis augetur, ita virtutum meritis cumuletur, quatenus *Ecclesiasticæ universitatis* onus, Te adjuvante digne ferat, et a Te, qui es beatitudo tuorum, vicem meritam recipiat.

" Omnipotens sempiterne Deus, dignitas sacerdotii et auctor regni, da gratiam famulo tuo (Leoni) Pontifici nostro, Ecclesiam tuam fructuose regendi, ut qui tua clementia *Pater regum et rector omnium fidelium* constituitur et coronatur, salubri tua dispositione cuncta bene gubernet. "

Quibus et consonant verba hæc Cardinalis-Diaconi prioris qui tiaram imponens, Pontificem ita nomine Ecclesiæ alloquitur : « Accipe tiaram, tribus coronis ornatam, et scias :

— " Patrem te esse Principum et Regum,

— " Rectorem orbis,

— " In terra Vicarium Salvatoris nostri JESU CHRISTI, — cui est honor et gloria in sæcula sæculorum ! — Amen (1) ! "

Hisce dictis veraciter et mirifice manifestatur Majestas illa suprema qua nulla est sub sole excelsior : Primatus in Ecclesia catholica et Vicariatus Filii summi Dei.

9. Mirum ergo nequaquam videatur si Principatum civilem ab omnipotenti Deo tantæ et incomparabilis dignitatis singulari Providentia collatum, causam dicamus habere sibi exclusive propriam atque intrinsecam, custodiam scilicet dignitatis et libertatis tam insignis Primatus Petri, quem ideo in toto orbe terrarum fatemur unum esse in genere suo et majorem hoc Principatu dari nullum. Hæc clare testatur ipse Christi Vicarius : " Nihil est opus naturam commemorare civilis Romanorum Pontificum Principatus,qui cum illuc pertineat ut Apostolici ministerii libertatem dignitatemque debitam efficaci custodia tueatur, caussam habet sibi unice propriam ; idemque a communi ratione principatuum non parum differt (2). "

1. Haine, *De la Cour Rom.*, t. II, p. 219 et seq. — Wetzer et Welte. V° *Tiare.*
2. Alloc. *Tempestivum.* 30 Dec. 1889.

10. Differentia hæc maxima, et excellentia præ ceteris Principatibus, consistit præsertim in charactere spirituali, quem prope divinum dixerim, et quo ex singulari Providentiæ consilio insignitum est temporale hoc S. Sedis dominium. " Civilis enim Principatus Romanorum Pontificum, ait Pius IX, licet suapte natura rem temporalem sapiat, spiritualem tamen induit indolem, vi sacræ, quam habet, destinationis, et arctissimi illius vinculi, quo cum maximis rei christianæ rationibus conjungitur (1). "

" In quo quidem Principatu, inquit merito Leo XIII, praeter legitimas caussas titulosque egregios et varios inest *similitudo et forma quaedam sacra*, sibi propria, nec cum ulla republica communis, propterea quod securam et stabilem continet Apostolicae Sedis in exercendo augusto maximoque munere libertatem (2). "

Hinc præterea oritur et consequitur hæc nova differentia cum ceteris civilibus Principatibus, — ut nullus sit qui adeo a Principibus tenebrarum eorumque asseclis, massonibus, sit impetitus ac civilis Principatus Pontificis. " Quippe porro ad Ecclesiæ bonum et utilitatem respiciat ille Principatus, mirum non est quod Ecclesiæ ipsius hostes persæpe illum convellere et labefactare, multiplici insidiarum et conatuum genere, contenderint (3). "

11. Principatus ille ecclesiastico-civilis imprimis nostrisce temporibus absolute convenit summæ majestati Vicarii Regis æterni; decet Papam regnare, Regem esse, equidem Regem Romæ, Urbis illius unicæ, quæ singulariter prædestinata est et sanctificata ut Sedes sit supremi Pontificatus et centrum Orbis universi.

Etenim gravissimum hujus nostræ ætatis malum simul et periculum maximum, tam religiosum quam sociale, adest socialismus.

1. Encycl. 26 Mart. 1860.
2. Alloc. 24 Mart. 1884.
3. Pius IX, *l. c.*

Socialismum autem vincere sola Ecclesia potens est.

Ideo libera sit in sua actione! Atque libera non est Ecclesia dum Caput ejus est in captivitate, in potestate alterius.

Reddatur ergo illi, et quidem quantocius, omnimoda libertas civilis.

Sit ergo Papa Rex Romæ.

En momentum quæstionis hujus, quæ quidem vocatur Romana, sed potius universalis, socialis, "civilisatrix" esset dicenda.

Restauratio ordinis socialis perturbati incipiat a restauratione libertatis Ecclesiæ in Capite suo.

Quæ cum tanti sint momenti, haud supervacaneum est ut fusius evolvantur atque fulciantur testimonio præsertim Doctoris infallibilis.

" Unum ex gravissimis ac maxime formidandis periculis, quae civili Societati praesenti tempore imminent, sunt procul dubio tumultuosa socialistarum machinamenta, qui eam ab imis fundamentis susdeque vertere nituntur. Cuius sectae adeo est natura perfida, tanta ob sui mire compactam constitutionem potentia, tanta propositorum audacia, ut omnes vires huic calamitati avertendae opportunas conferre opus sit ad illius sistendos progressus. Harum omnium virium potentissima est Religio atque Ecclesia. Sine hac, leges etiam severissimae, rigidissima tribunalium edicta, ipsaque armata vis inutilia atque imparia evaderent; quemadmodum olim contra barbarorum agmina materialis vis necquidquam valuit, sed sola christianae Religionis virtus ([1]). "

Sapientissima perspiciuntur illa dicta, ex una parte ab indole socialismi, ex alia vero a natura intima ipsius Ecclesiæ Christi.

Quid volunt, quid sibi vindicant barbari isti coævi nostri, socialistæ?

" Nec Deus sit nec herus ullus, nec proprietas privata

1. Leo XIII, Litt. ad Episc. Ital., 15 Oct. 1890.

ulla ! " en clamor, en vociferatio ; en simul programma socialistarum.

" Ii nimirum sunt, — ait Leo XIII, — qui, prout divina testantur eloquia, *carnem quidem maculant, dominationem spernunt, maiestatem autem blasphemant* (1).

" Nihil, quod humanis divinisque legibus ad vitae incolumitatem et decus sapienter decretum est, intactum vel integrum relinquunt.

" Sublimioribus potestatibus, quibus Apostolo monente, omnem animam decet esse subiectam, quaeque a Deo ius imperandi mutuantur, obedientiam detrectant, et perfectam omnium hominum in iuribus et officiis praedicant aequalitatem.

" Ius proprietatis, naturali lege sancitum, impugnant ; quidquid aut legitimae haereditatis titulo, aut ingenii manuumque labore, aut victus parsimonia adquisitum est, rapere et commune habere contendunt (2). "

Contra hanc " perfidorum hominum audaciam, quae civili consortio graviores in dies ruinas minitatur, et omnium animos sollicita trepidatione percellit (3), ' non datur aliud remedium ac Religio, seu Ecclesia catholica eaque circumfulsa omni splendore suo, plenissima libertate, perfectissimo usu jurium.

Sed procul abest ut splendeat Ecclesia divina sua majestate civili, qua providus Deus post periculosa primæ ætatis discrimina eam ornari voluit ; non est in usu plenissimæ suæ libertatis, non potens est efficaciter urgere jura et officia sua implenda, quamdiu Caput ejus, cujus regnare est tanquam Rex independens, e contra de facto a massonica secta tenetur captivus.

Oportet ergo ut restituatur, et quidem quantocius Christi Vicario dominium temporale. Poterit tunc cum maje-

1. *Jud.*, VIII.
2. Encycl. *Quod Apostolici*, 28 Dec. 1878.
3. *Ibid.*

state, libertate et plenitudine jurium suorum potestatem suam exercere spiritualem, efficaciter magis et fructuose.

Quemadmodum revera CHRISTUS JESUS, cum lapis esset reprobatus ab ædificantibus, deinceps " factus est in caput anguli, ita ut non in alio aliquo sit salus (1) " ; ita et Petrus, vivens adhuc in Successore suo, ita Vicarius ejusdem Christi, cum prius exstaret petra seu lapis offensionis pro iis qui spoliaverunt eum, nunc factum est fundamentum cui innititur non tantum tota Ecclesiæ disciplina spiritualis, sed ordo etiam socialis et materialis universus, ita ut non detur salus in alio aliquo, nisi in ipso Pontifice Romano. Verum enimvero videre est totius ordinis, qui nunc periclitatur, exemplar et remedium in Pontifice aucto libertate illa qua moderatrix omnium Providentia ipsum dotavit, plenitudine scilicet omnium jurium Primatus, et exemptione ab omni alia juridictione, Regia potestate Urbis Romæ obfirmata.

Etenim vociferantibus et blasphemantibus socialistis : " *Non sit Deus* " — oportet exhibeamus in plenitudine majestatis suæ Vicarium ipsius Dei, præditum summa potestate qua solus omnipotens Deus eum singulari consilio munivit, cujus virtus sese extendit in Cœlum usque, cujus durationi non prævalebunt portæ inferi, cujus excellentiam supernam agnoscunt atque proclamant ducenta millia millium catholicorum, cujus denique gloriam haud humanam reverentur atque mirantur Principes omnes et hæretici, et schismatici et infideles.

Vociferantibus et delirantibus Socialistis : " *Nec sit herus ullus !* " oportet ostendamus in plenitudine dominationis suæ Patrem Principum atque Regum, Rectorem orbis universi, qui hic in terris nulli potestati temporali est subjectus.

Vociferantibus et injuriantibus Socialistis : " *Nec sit proprietas ulla !* " oportet manifestemus possessionem et proprietatem antiquissimam, justissimam atque pacatissimam,

1. *Act.*, IV, 11, 12.

quam ipsa Providentia Pontifici possessori est largita dum ejus possessio toti terrarum orbi prodest, nedum bono communi in detrimentum cedat.

Ubi primum igitur restituetur Vicario Christi dominium temporale, Ecclesia, sua genuina libertate prædita, poterit efficacia adhibere medicamina et plagæ socialismi universalem afferre sanationem ; cesset pro summo Pontifice conditio hæc vere intolerabilis, et extemplo placabitur Deus ; iterum atque iterum cum nationibus habitabit Deus pacis et justitiæ, et iterum dicetur : "justitia et pax osculatæ sunt." Tunc denuo splendebit in regali majestate sua Pontificatus supremus. Et poterit ipse prosperis conatibus neo-barbarorum violentiam compescere, quo more fertur olim S. Leo I inhibuisse Hunnorum turmas, eorumque regem Atillam, cui cognomen " flagellum Dei " est tributum ; quo more et sequentibus sæculis narrantur sæpissime Romani Pontifices fregisse vires audaciamque Turcarum et bono publico totius Europæ providisse.

12. E contra, quamdiu videbimus abominationem desolationis stantem in loco sancto, et Urbem sacram impiarum sectarum sedem fieri ([1]), hæc tria perpetuo obstabunt efficaci et universali repressioni socialismi : Deus justus et vindex in populos — impotentia quædam Ecclesiæ, ob defectum hujus genuinæ libertatis ipsi divinitus assignatæ — denique pessimum istud exemplum quod cunctis populis continuo exhibetur.

A) Justitia divina. Etenim nationes, falso principio ***non-interventionis*** innixæ et quærentes excusationes in peccatis, otiosæ adstiterunt et sacrilege passæ sunt spolationem primæ et justissimæ Majestatis totius Orbis et violationem iniquam jurium Defensoris supremi. Jamvero per quæ peccat quis per hæc et torquetur. Nonne et omnium facinus pœnam meretur atque vindictam in omnes ? Adest vindicta. Posuit

1. Leo XIII, Alloc. 24 Oct. 1888.

Deus flagellum in manu socialistarum. — Socialismus virga illa est *vigilans*, numquam dormiens, sicut ea quam vidit propheta Jeremias [1]; continuo exagitat eos qui gubernium tenent.

B) Impotentia quædam Ecclesiæ: " Requiritur, immo primo loco et potissimum, ut supremi Ecclesiae Capitis conditio, quae multis abhinc annis, per vim atque iniurias, evasit eo prorsus indigna atque apostolico muneri insociabilis, prout decet et convenit, statuatur [2]. "

C) Tandem pravum exemplum. — Multum enim nocere debet notionibus juris et justitiæ ac proinde, fundamentis societatis civilis, nefarium istud exemplum a primatibus nationum ipsis inferioribus datum et continuo oculis exhibitum : violenta oppressio et direptio Sanctæ Sedi Romanoque Pontifici inflicta. — Ita sentit et regum ac populorum Pater : " Ubi enim vident iura antiquissima et maxime sacra violari in persona Vicarii Christi Domini, mutant in populis notiones veri et iusti, et commota sunt fundamenta quibus innititur ipsa humana societas [3]. "

Et re quidem vera, qua possint ratione amoveri socialistæ et communistæ, quo argumento confutari a rectoribus nationum, quum qui potestatem detinent eosdem cernunt summæ favere injuriæ, iniquæ scilicet detentioni dominii temporalis et augustissima spernere jura sacratissimamque contemnere auctoritatem ?

Et tu, Europa tot tantisque beneficiis a SS. Pontificibus locupletata, tu dominium quod est ipsius simul et Ecclesiæ et totius populi catholici, quid est cur moreris Ecclesiæ pristinam vindicare libertatem et una cum Ecclesia prospere debellare socialismum ? Tunc fiet pax in virtute tua et abundantia in turribus tuis !

1. *Jerem.*, I, 11.
2. Epist. ad Cardin. Rampolla. — *Acta S. Sedis*, t. 20, pag. 13.
3. Epist. ad Cardin. Nina.

Pars prima.

De principiis concurrentibus ad S. Sedis civilem Principatum.

CAPUT SECUNDUM.

Potestas civilis, regalis, absoluta, competit Christi Vicario, jure divino, saltem naturali, propter Primatum ejus atque immunitatem.

1. Jure divino, saltem naturali, gaudet Romanus Pontifex immunitate personali plenissima. — 2. Hoc JUS immunitatis, divinum cum sit, non pendet ab ulla voluntate humana, ne quidem vel ipsius Pontificis; sed tantum EXERCITIUM ejus. — 3. Nec a civili potestate originem duxit, nec ab ea potest aboleri unquam. — 4. Necessarium et essentiale est Primatui. — 5. Non opprimit, sed adjuvat. — 6. Papa singularis est Princeps, unicus et in genere suo, et in sua agendi ratione. — 7. In re politica internationali, semper sit neuter. — 8. Nequidem fœdere, saltem perpetuo, potest cum aliqua natione speciali ligari. — 9. Nec alicujus nationis diu esse hospes. — 10. De mansione Pontificum Avenione.— 11. Romæ non habeat gubernii formam repræsentativam, seu cœtus legiferos, sed Rex sit absolutus. — 12. Paterna erit semper ejus gubernandi ratio quamvis autocrata. — 13. Non pugnat cum verbo Dei ut idem homo sit Princeps ecclesiasticus et politicus simul.

1. Fide catholica tenendum est Primatum jurisdictionis universalis, supremæ et immediatæ esse penes Petrum ejusque successores [1].

Hic Primatus est institutio mere divina.

Fide catholica quoque credendum est Primatum hunc esse unitum cum cathedra episcopali romana, utpote cum ultima sede a S. Petro occupata, ultima in qua proprie habuit successorem personæ suæ [2].

Hæc unio est institutionis apostolicæ, est factum Petri, sed factum ratihabitum a Christo providentialiter, historice

1. Conc. Vatic., Sess. IV, c. 1, c. 2. — Palmieri, *De Rom. Pont.*, p. I, c. 1, 2. P. Marc, *Instit. Alph.*, I, § 139.

2. Conc. Flor. " Sanctam Apost. Sedem et Romanum Pontificem... »

et geographice optimum. Insuper ad fidem catholicam pertinet jus immunitatis hujus completæ et absolutæ Primatus ecclesiastici, qua nempe Papa, ab omni jurisdictione sæculari sit exemptus. Imo, ut in sequentibus locus dicendi occurret, sat nititur testimonio Dei ut fide divina sit credenda hæc veritas ([1]).

Jure divino majestas summi Pontificis plena gaudet immunitate personali ab omni jurisdictione laica ; cujus immunitatis jus essentiale est Primatui a Christo instituto. Ast nunc infeliciter, ut dicit Pius IX, de facto " Romanus Pontifex, a cujus dignitate et exaltatione pendet dignitas et exaltatio catholicæ Ecclesiæ, in alienis manibus depressus vivere cogitur, et cum eo universa deprimitur Ecclesia, quæ non dominæ, sed servæ figuram gerit ([2]). "

Utinam omnes politici saperent ac intelligerent vim ac sensum hujus declarationis a Christi Vicario et suprema majestate factæ.

Immunitas personalis summa, eaque plena, est jus exemptionis a jurisdictione civilis potestatis cujusvis et competit soli Romano Pontifici.

Competit autem ipsi jure divino, si minus positivo, saltem naturali. Quod ut demonstremus, personam Romani Pontificis immunem esse jure divino naturali a jurisdictione civilium Principum, satis est probemus eam esse divinitus auctam dignitate, quæ istam jurisdictionem prorsus excludat.

Quod ita liquet : " Potestas coactiva, quæ jurisdictionis est, requirit in alium hujuscemodi vim quæ nequeat in illo per superiorem potestatem impediri aut ligari "— sic merito cum Suaresio ratiocinatur Cl. P. Palmieri ([3]). — Jam vero Romanus Pontifex potest impedire aut ligare quamlibet potestatem coactivam alienam, quæ in ejus personam exer-

1. Cap. III, § 8. J. Palmieri, *Op. cit.*, th. XXIV, § VII, p. 590.
2. Pius IX, Epist. 29 Nov. 1870.
3. *De Rom. Pont.*, pag. 577 sqq., th. XXIV. — Suarez, vol. XXIV, *Defensio fidei cath.*, liv. IV, c. IV, § I, II et c. VI-VII.

ceretur. Igitur persona aucta Principatu pontificali hujusmodi, est immunis a jurisdictione alterius potestatis terrenæ

Major cum pateat, probatur minor. Propter positivam, licet indirectam, subjectionem potestatis civilis ad potestatem Primatus, jus habet Romanus Pontifex tum prohibendi Principibus sæcularibus quæcumque noxia forent Ecclesiæ, tum præcipiendi quæcumque necessaria vel maxime utilia ipsi exstarent; potest enim solvere et ligare quidquid ad Ecclesiæ bonum regimen et christianæ reipublicæ rectam ordinationem conducit.

Et quis non videt prodesse Ecclesiæ et maxime quidem expedire ipsi, ut non exerceatur legalis vis coactiva in Romanum Pontificem ulla? Etenim :

1° Non possumus quin saltem summopere dedecere fateamur ut v. g. Vicarius Christi, totiusque orbis catholici Pater, auctoritate juris civilis in carcerem detrudatur, omnigenisque pœnis mulctetur;

2° Hujusmodi dependentia maxime officeret existimationi, qua Christi Vicarius penes omnes gaudere debet;

3° Quæ subjectio idcirco vehementer noceret recto ac tranquillo regimini Ecclesiæ.

" Quapropter licet naturæ jus, supposita institutione Primatus, id absolute et primitivo præcepto non vetet, at certe habita ratione dignitatis, secundario præcepto illud ut graviter inconveniens persuadet.

" Jus itaque habet Pontifex, ratione auctoritatis suæ superioris, quæ est fastigium Primatus, impediendi quamcumque vim legalem coactivam erga se ipsum, atque solvendi quamlibet legem in se ipsum ab alio latam (1) ".

Quod egregie confirmatur ex doctrina Concilii Tridentini. Testatur enim S. Synodus personarum ecclesiasticarum immunitatem constitutam esse " divina ordinatione (2) ". Inter

1. Palmieri, *Op. cit.*, thes. XXIV. — Suarez, *Defensio fidei cath.*, lib. IV, c. IV.
2. Sess. XXV, *De Reform.*, c. 20.

personas autem ecclesiasticas præcipuam esse Papam, quis est qui dubitet, proindeque jus immunitatis ordinatione divina, si minus positiva (cum lex positiva expresse non exstet), ast certe naturali, fuisse statutum?

" Dicendum est, inquit Suarez, summum Pontificem *ex divino jure* habere exemptionem et immunitatem ab omni judicio ac jurisdictione sæculari etiam imperatorum ac regum (1)."

2. Jus ipsum immunitatis, in quantum funditus est divinum, nequit in tantum a voluntate vel ipsius summi Pontificis dependere; exercitium vero illius juris, cum absolute necessarium non sit, potest quandoque non exstare, sicut de facto aliquando non fuit; potestque magis minusve esse plenum. Quod exemptionis exercitium præter ipsum jus divinum indiget causa aliqua determinante. Hæc, si objective sumatur, erit utilitas Ecclesiæ; quod si efficienter, habebitur auctoritas illa suprema, quæ omnia in Ecclesia regit, nimirum ipsa auctoritas Romani Pontificis cui incumbit ex mandato divino (" *Pasce oves meas* "), consulere utilitati Ecclesiæ universæ. In Pontificis ergo potestate est tum præcipere ceteris ne immunitatis exercitium impediatur, tum determinare modum ut jus illud recte exerceatur (2); sed juri ipsi non potest renuntiare, non potest valedicere.

3. Jus immunitatis pontificiæ nequaquam a civili potestate originem ducit. Nam, jus illud, quippe quod proprium et intrinsecum Primatui, nequit ideo originem habere nisi ab ipso Primatus institutore, Jesu Christo. Et quomodo posset derivare a potestate civili quin contradictionem involveret? Omnis enim auctoritas sicut nequit se ipsam simul et affirmare et negare, ita non potest conferre *jus* independentiæ a se ipsa, quod habeatur independenter a suo consensu. Reges Italiæ inhabiles exstiterunt sive ad conferendum Romanis

1. *Defensio fidei cath.*, lib. I, sect. 1, cap. 16.
2. Palmieri, pag. 1198.

Pontificibus hujusmodi jus ullum, sive ad auferendum ab eis quo fruebantur jus immunitatis; non enim inferioris i. e. civilis seu politici, sed altioris ordinis est illud jus, ideoque a causa superiore adæquate dependet, nempe a Deo; quare merito " divinum " vocatur.

Sine dubio anterioribus sæculis fide imbutis, Principes sæculares in legibus suis hanc Pontificis immunitatem sanxerunt easdemque deinceps amplexa est Ecclesia. Hisce ita legibus non collatum fuit immunitatis jus; tantummodo sic agendo, prout decet munus civilis potestatis, materiale quoddam præsidium libertati Ecclesiæ apposuit regia Principum potestas, cujus tunc leges veram habebant rationem præcepti pro subditis laicis eorum [1]. Quod si deinceps Principes possunt has leges mutare exindeque violenter exercitium juris immunitatis a Pontifice supremo auferre, *jus* tamen ipsissimum non est in sphera civilis dominii, nec homini ulli nec imperatori quantumvis potenti obnoxium.

" Nam nihil magis diligit Deus in hoc mundo quam libertatem Ecclesiæ suæ ". — Hæc memorabilia verba, quæ scripsit gloriosus vindex immunitatum Ecclesiæ, S. Anselmus Cantuariensis [2], certe non sic sonant quasi omnipotens et benignus ille Deus ullum jus in suam Ecclesiam Principibus reliquisset vel commisisset.

Quapropter S. Sedis prærogativæ omnes et omnia supremæ auctoritatis jura, quæcumque igitur ad regendam Ecclesiam universam sunt necessaria, tam spiritualia quam temporalia, cuncta hæc Romanus Pontifex in persona S. Petri *directe* ab ipso Deo accepit, haud minus ac ipsam Ecclesiæ libertatem, nedum a Principibus teneat. Mortuus est Christus pro libertate Sponsæ suæ Ecclesiæ, atque ex hoc infinito divini sanguinis pretio est hæc libertas æstimanda [3].

Celeberrima quoque et perpulchra sunt hæc Bonifacii VIII

1. F. Palmieri, *Op. cit.*, pag. 577 et seq., th. XXIV.
2. Epist. 8, l. 4.
3. Cfr Encycl. Pii IX 15 Maii 1871.

de libertate Ecclesiæ effata: " Ineffabilis amoris dulcedine Sponso suo, qui Christus est, Sancta Mater Ecclesia copulata, dotes et gratias ab Ipso suscepit amplissimas, ubertate fecundas et specialiter, inter eas, beneficium libertatis. Voluit enim peramabilem Sponsam Ejus libere fidelibus populis præesse dominio, ut velut in filios haberet, more matris, in singulos potestatem, ac Eam cuncti cum filiali reverentia tamquam universalem matrem et dominam honorarent.

" Quis ecclesiasticæ libertatis infractor contra Deum et Dominum cujusvis defensionis clypeo protegetur, ut supernæ virtutis malleo commissus et redigi nequeat in pulverem et favillam ? "

4. Hoc jus immunitatis necessarium est et essentiale, non adventitium seu accidentale, Primatui Romani Pontificis.

Quod patet. Etenim ut qua potestas dicatur essentialiter alicui convenire, non opus est ejus *exercitium* sit subjecto essentiale et necessario insitum; satis est si ipsa cum essentia rei sit absolute connexa. Ita facultas intelligendi et quamlibet scientiam acquirendi est essentialis humano intellectui; potest tamen dari intellectus quin expedite adsit hujus potestatis exercitium.

Itaque sicut essentialis est Primatui potestas recipiendi ex toto orbe christiano appellationes a quovis primo judicio Episcoporum ; — sicut essentiale eidem est jus exercendi cujuscumque actus jurisdictionis episcopalis in universa Ecclesia ; — ita essentiale dicendum est Primatui jus immunitatis a laica jurisdictione ([1]).

5. Quanta est ergo potestas quam dedit Deus homini illi, qui Vicarius est Filii sui ac centrum seu principium unitatis in Ecclesia ?

In temporalibus rebus a nullius jurisdictione pendet; in spiritualibus, sola auctoritate divina excepta, nulla alia judi-

1. Palmieri, *Op. cit.*, pag. 500.

cari potest : proinde ubi Rex Romæ erit, regem esse autocratam decet.

Verum ne timeamus supremæ hujus potestatis abusus. Ut ipse ait Pius IX statim post proclamatum dogma infallibilitatis pontificiæ in concilio œcumenico Vaticano :

"Summa ista Romani Pontificis auctoritas non opprimit sed adjuvat ; non destruit sed ædificat ; et sæpissime confirmat in dignitate, unit in charitate, et Episcoporum jura firmat atque tuetur ([1]) ". Et idem de Pontifice-Rege dicendum foret.

6. Itaque, sicut in ordine spirituali unicus et singularis prorsus est Primas Ecclesiæ, ita et in regno temporali unicus ac singularis erit Princeps, quemadmodum scite dixit olim Pius VII.

" Summi Pontificis, universalis Pastoris, communis omnium Patris, Ministri pacis, catholicæ religionis capitis tituli,— seu potius gravissima et omnium maxime formidanda onera, quæ *Nostri tantum propria sunt, neque in alium ullum confluunt Principem, quorum nemo duplici est*, ut Ipsi sumus onerati pondere divinitus, Nos vetant omnino ea facere, quæ aliis interdum Principibus tantum temporalibus facere licet.

" Hoc nostro, Nobis a Deo dato, temporalis Principis munere, nihil aggredi possumus, quod officiis apostolici ministerii, Nobis item a Deo præcipueque commissi adversatur.

" Itaque pro discrimine, quod inter Nos aliosque interest Principes, qui non iisdem obligantur vinculis quibus Ipsi obligati sumus, Nobis non semper licet in ratione politicarum rerum iisdem atque illi principiis uti ([2]) ".

7. In re mere politica internationali Supremum Pontificem ceu omnium Patrem, semper decet neutrius favere vel studere dominationi. Hoc principium factis et verbis præclare

1. Pius IX, Alloc. post proclam. dogm. Infallib.
2. Alloc. 16 Mart. 1808.

servatum distinuit Pium VII a Napoleone, cum hic proposuisset ut, offensivo ac defensivo fœdere inito, Pontifex portus statuum suorum occluderet Anglis. Spretis potentissimi imperatoris minis, dixit mitissimus Pater omnium fidelium : " Non est cur ea iterum proferamus quibus et a religione et a conscientia ab eo feriendo fœdere detinebamur. Illius amantissimi Servatoris vices gerimus, qui Princeps pacis nuncupatus est, qui pacem venit mittere in terram, qui pacem nos vult habere inter nos. Loco positi sumus Patris omnium, Dei, omnesque patris debemus affectu complecti uti filiolos dilectos, quos Christus redemit sanguine suo. Nostrarum est partium oves quæ perierant errantes quærere, iisque etiam lumen Evangelii præbere, qui in tenebris sedent et in umbra mortis. Quæ quidem sanctissimi Nostri muneris officia haud est qui non videt nullo plane modo cum eo fœdere consociari posse, ex quo in Principes quoslibet (etiam acatholicos) pro Galliarum imperatoris arbitrio bellum parare cogeremur. Quæ si a nobis fierent, et vi ac lege perpetui fœderis fieri omnino deberent, quonam modo sperare possemus, quod propter Dei gloriam et animarum salutem a Nobis non solum optandum, sed etiam omni ope curandum est, ut quæ gentes sunt extra catholicæ Ecclesiæ sinum, ad eam veniant, et Romanum Pontificem ut illius caput et Pontificem venerentur, quem cum ipsorum hostibus fœderatum, ad cædes et ferrum, ad vastitatem ipsis adferendam paratum esse viderent (1)? "

Quibus rationibus tanta vis inest ut non solum tempore Napoleonis I, sed omni ætate Romano Pontifici neutralitatem inter belligerantes imponere debeat.

Jam antea propositum aliud Napoleonis I rejecerat idem Pontifex, scilicet ut Gallorum hostes et suos hostes æstimaret. " Quomodo, exclamavit Pastor universalis, quomodo Nos et muneri prædicandi Evangelium omni creaturæ et diligendi

1. Alloc. 11 Jul. 1808.

Deum plus venerabilibus fratribus nostris præcepto, et pascendi agnos et oves officio, et debito tam severe et amanter nobis commendato satisfecisse judicaremur, si inito perpetuo belli fœdere tot illos agnos nostros carissimos, tot oves nostras venerabiles et dilectissimas Nostrique amantissimas, adeo ingenti damno afficeremus? Quis non intelligat quantum ista pugnent, nec videat nos sublaturos totam illam quam inter nos et illos habemus communicationis facultatem ac libertatem, eaque ratione a capite innumerabilia membra, a grege et centro unitatis gregis, tot pastores discerpturos et disgregaturos (1) ? "

8. Ergo nequidem hujuscemodi fœdere perpetuo necnon absoluto fas est Pontifici supremo se ad aliquam nationem, imo christianam, jugiter obstringere, quo res unius fierent res alterius. Quod idem immortalis Pius VII hisce verbis docet :

" Confirmatam perpetuo fœdere societatem, quæ nos aut in bello, aut in belli statu continenter esse compellat, inire nullo modo possumus : ne hostes quidem Nostros judicare, aut habere omnes illos, qui quacumque de causa alieni hostes sint ; nec Nobis generatim licet hostiles agere partes in bellis, quæ hic aut ille princeps gerat, gesturusve sit. "

Rationem hujus allegat mitis ille Pontifex : " Quarum rerum si unam aliquam aggrediemur, Nos ipsi profecto impedimento esse judicaremur tum communicationi, quæ intercedat necesse est inter caput ac membra catholici gregis, tum usui expedito et libero spiritualis Primatus, cujus potestatem exercere vetaremur in eas nationes, contra quas perpetuum fœdus ictum cum aliquo fuisset, atque actum agendumve alienam ob causam bellum. "

Demum objectioni forsan ex historia desumendæ ita respondet laudatus Pontifex : " Quod si interdum Summos Pontifices, peculiaribus quibusdam de causis, quas justas

1. Alloc. 16 Mart. 1808.

putarunt, iniisse fœdera cum aliquibus principibus, gestarum rerum memoriæ testantur, at certe nullum est in tota ecclesiastica historia exemplum *perpetui cujusdam fœderis*, quod a summis Pontificibus initum fuerit.

" Illud omnes facile intelligent Romanum Pontificem ab ea ratione non posse discedere, qua semper est neutrarum partium (1). "

9. Imo 9 Junii 1862 totus Episcopatus catholicus per os Cardinalis Mattei, sacri Collegii Decani, solemniter declaravit : oportere sane totius Ecclesiæ caput, Romanum Pontificem, non tantum nulli principi esse subjectum, " IMO NULLIUS HOSPITEM ". — Et hanc præclaram et decisivam addidit rationem : " Quis inficiari possit in hoc rerum humanarum, opinionum, institutionumque conflictu, necessarium esse ut servetur extrema in Europa medius, tres inter veteris mundi continentes, quidam velut sacer locus, et Sedes augustissima, unde populis Principibusque vicissim oriatur vox quædam magna potensque, vox nempe justitiæ et veritatis, nullis favens præ ceteris, nullius obsequens arbitrio ? Quid porro vel hac vice fieri potuisset, ut Ecclesiæ Antistites securi huc ex toto orbe accurrerent, si ex tot et tam diversis regionibus confluentes, Principem aliquem invenissent, his oris dominantem, qui vel Principes ipsorum in suspicione haberet, vel illis, suspectus ipse, adversaretur ? Sua sunt etenim et christiano et civi officia; haud quidem repugnantia inter se, sed diversa tamen ; quæ adimpleri ab Episcopis quomodo possent, nisi perstaret Romæ civilis Principatus, qualis est Pontificum, juris alieni omnino immunis, et centrum quodammodo universalis concordiæ, nihil ambitionis humanæ spirans, nihil pro terrena dominatione moliens ? Ad liberum ergo Pontificem-Regem venimus liberi. "

10. Revera factum est ut sæc. XIV Pontifices Avinione in Gallia degerent, ast notum est, ni fallor, summos Pontifices

1. Pius VII, Alloc. 16 Mart. 1808.

illos nequaquam fuisse hospites regum Galliæ; habitabant enim in civitate, quæ tunc temporis ad dominium S. Sedis pertinebat. Nihilominus hæc mansio extra Romam fuit vera calamitas. Ut notat Wouters, Clemens V, natione Gallus, quamvis ut in Italiam proficisceretur a cardinalibus efflagitatus, in Galliis commorari maluit, eo quod Italia esset factionibus perturbata, et sedem Apostolicam transtulit Avenionem, in qua urbe annis circiter septuaginta, *non sine magno detrimento rei christianæ et pacis publicæ in Italia*, permansit. Nam antea Pontifices Romæ sedentes, nullius regis legibus obnoxii, Ecclesiam universam liberius gubernabant, Principibus, populis ac universo terrarum orbi leges dictabant, præsentia sua factiones in Italia coercebant. Ex quo autem extra Italiæ fines versabantur, Papæ plus minusve Francorum regibus fuerunt obstricti; factiosorum in Italia audacia aucta est; Pontificum auctoritas atque mandata a Romanis, Italis aliisque Europæ populis minus venerata sunt; vix ullos e ditionibus Romanæ Ecclesiæ redditus percipientes, ad taxas seu exactiones extraordinarias, annatas, expectativas, reservationes, provisiones urgendas coacti sunt; eorumque ab Urbe absentia contemnendæ residendi legis occasionem nonnullis præsulibus præbuit ([1]).

Certe Pontifices qui sederunt Avenione permanserunt Urbis et Ecclesiæ Romanæ Episcopi, et Pontificatus numquam fuit disjunctus ab Episcopatu Romano; sed nimis erant negotiis aulæ Franciæ lacessiti nimisque Gallis addicti. Quod et historia constat in qua Clemens V fertur decem creasse cardinales, inter quos novem ex Gallia erant; et hæc mansio, stigmatizata fuisse, et quidem jure merito, ut captivitas Babylonica. Cœlitus per sanctas Birgittam et Catharinam Senensem admoniti, tandem Urbanus V ad tempus tantum, et Gregorius XI definitive Romæ S. Sedem restituerunt et calamitati finem imposuerunt.

1. Wouters, *Hist. eccl. comp.*, t. II, pag. 293; Thomassin, *Disc. vet. et nov.*, t. III, pag. 397.

11. Et insuper ut res magis magisque clarescat, hæc omnimoda adeoque necessaria Pontificis libertas et illud postulare videtur ut ipse, cujus auctoritas certissimum ortum habet a Deo, minime vero a populo, in usu ejus nullo plane modo vinciatur centenis impedimentis atque implicationibus, quæ manent hasce formas modernorum regiminum, quas repræsentativas, seu per cœtus legiferos, vocare solent.

Papa sit Princeps temporalis prorsus independens; sit quasi imperator autocrata Romæ necesse est.

Etenim civilis potestas habetur tanquam accessorium quoddam Ei collatum propter principale, quod est sacer Primatus.

Hic vero non admittit formam regiminis quam repræsentativam dicunt et, cum accessorium sequatur principale, perinde est ut S. Sedis Principatus civilis vix et ne vix quidem sit compossibilis cum illa forma. — Major cum pateat probetur et minor.

Christus soli Petro ejusque successori plenissimum tribuit Primatum, independentem a collegio Apostolorum. Ita regimen Ecclesiæ plane liberum est et obnoxium nemini, ut ait Pius VII. — Atque certis, minimeque dubiis legibus a divino suo Conditore fuit constitutum.

Ceteroquin de systemate repræsentativo licet dicere, cum eodem Pontifice, " quod superioribus annis, magno a rerum novarum cupidis exceptum plausu, terrarum orbem ærumnis, cæde, luctuque cumulavit.— Fundamentum et basis regiminis Ecclesiæ nequaquam est systema illud repræsentativum; sed integra illa est, et numeris omnibus absoluta Jesu Christi Vicarii potestas ([1]). "

12. Ecquid, Romani cives privanturne jure electionis et cœtu legifero? Et sane. Quod si possunt tantum auctoritates municipales sibi eligere, an ideo infelices sunt dicendi? Quinimo annon e contra fortunatissimi omnium sunt æstimandi?

1. Pius VII, Alloc. 16 Mart. 1808.

Nonne fortunate liberantur a stulto hoc regimine quo sæpe sæpius una vox supra dimidium numerum electorum capax sit ut legem condat haud raro iniquissimam ? Annon liberantur ab innumeris occasionibus corruptelarum, flagitiorum, mendaciorum, detractionum, simultatum, ebrietatum, rixarum, blasphemiarum, perjuriorum, etc., quæ in gubernio constitutionali electiones generales tam frequenter comitantur ?

Agedum, nec timeas fore ut absoluta potestas Summi Pontificis in temporalibus brevi degeneret in tyrannidem. Adest experientia decem sæculis protractior quæ probat quam felix esset beate vivere sub paterno Vicarii JESU CHRISTI regimine; nam suave semper ac leve exstitit imperium summorum Pontificum. Hi " sui officii esse partes putabant pacis fœdera sancire, bella avertere, urbes tueri, amissas recuperare, hostes propulsare [1], " atque ita nedum nomine sed re ipsa adumbratio erat paternæ Providentiæ Dei [2].

1. Pius VII, Alloc. 11 Jul. 1808.

2. Paterna sollicitudo Romanorum Pontificum, quam ceu principes temporales erga plebem, præsertim vero erga pauperes gerebant, elucet ex innumeris documentis historicis. Sufficiat ex millibus seligere, atque in medium proferre, constitutionem Benedicti XIV, *De spicarum collectione post absolutam messem pauperibus permittenda.*

" Acerbi plane doloris argumentum paterno cordi nostro præbuerunt clamores pauperum, quos mense Junio superioris anni moleste accepimus, cum ad arcem nostram Gandulphi secedentes, ad proxima eidem arci loca diverteremus. Multorum siquidem vocibus ac lacrimis proposita Nobis est querela contra agrorum dominos, qui oculos suos in terram declinantes, pio et antiquo immutato more pauperes, messe jam absoluta, spicas colligere non patiuntur ...... Hujusmodi querelas nostris quotidie obstrepantes auribus confirmarunt supplices egenorum libelli, eum in finem Nobis exhibiti, ut antiqua colligendarum spicarum libertas, non sine injuria, auctoritate nostra in commune solatium restitueretur. "

Deinde hanc libertatem erudite probat doctus Pontifex auctoritate Scripturæ sacræ et jurisconsultorum, et tandem ita concludit, Archiepiscopos et Episcopos ditionis ecclesiasticæ alloquens : " Injuncto apostolico muneri deesse videremur, nisi nostra etiam studia et officia ad vos converteremus, quibus solemne semper fuit, causam pauperum, quæ causa Dei est, omni ope et conatu tueri. Ideoque majori quo possumus paternæ charitatis sensu hortamur et obtestamur, ut in vestram veluti clientelam suscipientes pauperes, dignum pietate vestra zelum exhibeatis.

" Vestris primum vocibus et exhortationibus ac mandatis, etiam in singulis

Nec mirum; quis enim melius quam Vicarius Christi posset nosse et sequi regulam hanc auream, ita a Leone XIII formulatam : " Principes a Deo optimo maximo, unde sibi auctoritas data, exempla sumant: Eiusque imaginem sibi in administranda republica proponentes, populo praesint cum aequitate et fide, et ad eam, quae necessaria est severitatem, paternam caritatem adhibeant (1). "

13. Sunt qui ausi sint hæc et similia proferre : Principatus temporalis Summi Pontificis est possessio antiquitus mero latrocinio occupata et etiamsi sæculorum decursu justo titulo nunc gauderet iis rebus Pontifex, non licet ipsi jure retinere eas, quippe quod Principatu civili potiri cum Principatu spirituali pugnet ; imo cum Evangelio et spiritu humilis Christi Domini plane sit dissonum. Hujuscemodi facetiis innixi massones modo judaïco garriebant se nihil antiquius habuisse quam ut exonerarent Pontificem a curis temporalibus, ut ipse ita melius possit vacare spiritualibus. O devotio, o pietas, o corda tam tenere affecta et purissimis hypocrysis radiis rutilantia massonum !

Quod nil est quod repugnet Pontificem spiritualem esse simul et regem temporalem, patet primo ex multorum sanctorum exemplis qui huic singulari Providentiæ consilio minime contradixere.

Diœcesium vestrarum Parochiis inter Missarum solemnia evulgandis, commendetur egenorum causa, agnoscatque populus, quam turpe ac christiano nomini indecorum sit, messe jam absoluta, pauperes ab agri finibus amoveri. " (Constit. LVI 22 maii 1742.)

Deinde 17 Maii 1751 novam hac de materia idem Pontifex edidit Bullam, quæ incipit : " Ex commisso Nobis Apostolicæ sollicitudinis munere libenter ea omnia prosequimur, quæ nostrorum subditorum commodum atque utilitatem respiciunt : sed ad ea potissimun animum nostrum intendimus, per quæ pauperum necessitatibus et miserorum indigentiis consulitur. " — Quæ verba compendium exhibent totius normæ omnium Romanorum Pontificum in regimine Principatus sui civilis usurpati.

Priorem constitutionem de spicarum libera collectione confirmat Benedictus XIV addita etiam pœna triginta scutorum pro singulis delinquentibus. En specimen autocratiæ paternæ papalis, quæ usque ad tam minuta descendit ubi agitur de subjectis pauperibus.

1. Encycl. *Diuturnum*, 20 Jun. 1881.

Probatur secundo ratione. Potestas enim ecclesiastica et politica non sunt contradictoriæ neque oppositæ, sed utraque bona, utraque est a Deo; una alteri servit; nulla implacabilis pugna inter utramque; ergo simul in eodem esse possunt cum in primis divinitus in ipso conjunguntur.

Confirmatur: qui donaverunt Episcopo Romano Principatum temporalem, pii homines floruerunt; dum e contra, qui ejusmodi Principatum auferre conati sunt, ab omnibus sanæ mentis judicibus, ut impiis sacrilegis adstipulantur.

Si objicitur verbum Domini: *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic* (1), — responsum præsto est et cum cl. Bellarmino dicemus, Dominum hic solum instituere meros Principes ecclesiasticos, ac docere, ut tales suis præsint subditis; i. e. non more regum et dominorum terrenorum, sed more patrum et pastorum; hinc minime igitur sequi insociabilitatem qua unus idemque nequiret esse Episcopus et Princeps (2).

Nec magis adversariis favet dictum Christi ad Pilatum: *Regnum meum non est* DE *hoc mundo* (3), Christus enim minime dixisse fertur: non est IN hoc mundo, ast, ut animadvertit P. Corluy, "est enim regnum Ejus vere IN hoc mundo, sicut discipuli Ejus in mundo sunt; sed sicut ipsi non sunt DE hoc mundo ita et Christi regnum non est DE hoc mundo. Hinc denuo abest ut excludantur ab Ecclesia *externi regiminis* jura; immo vero jus habet adhibendi omnia media externa quæ conducunt ad regnum spirituale, supernum tuendum ac promovendum, et nulli potestati quæ sit DE hoc mundo licet hoc jus in aliqua re infringere (4)."

Tandem ad egregia dicta quæ sibi vindicant ex ore D. Pauli: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæculari-*

1. *Matth.*, XX, 25.
2. *De Rom. Pont.*, lib. V, cap. 10.
3. *Joan.*, XVIII, 36.
4. Commentarius in S. Joan, *l. c.*, p. 400.

bus ([1]), respondemus : negotia sæcularia de quibus in hoc loco, minime indigitare regimen politicum, sed curam parandi victus, proindeque negotiationes, et mercimonia alia hujusmodi ([2]).

1. *II Tim.*, II, 4.
2. Bellarminus, *l. c.*

CAPUT TERTIUM.

Necessarius est Principatus civilis propter liberum exercitium Immunitatis S. Sedis, præ primis in præsenti rerum statu, — et hæc est veritas adeo fidei catholicæ proxima, ut fide certa dicatur.

1. Exercitium Primatus requirit et exercitium immunitatis omnimode perfectum i. e. exemptum a quacumque laica jurisdictione. — 2. Quod Ecclesia declaravit indirecte per concilia quæ damnaverunt eos qui volebant temporale S. Sedis dominium destruere. — 3. Declaravit directe per Pontifices suos, præsertim per Pium VII. — 4. Pium IX. — 5. Et Leonem XIII. — 6. Fides adhibenda est dictis Papæ in hac causa sua. — 7. Eorum testimonium confirmatur ab Episcopis. — 8. Veritas revelata habetur, tum jus immunitatis Papæ, tum jus ad media ejus usui necessaria. Quid de præsenti necessitate temporalis dominii? — 9. Sunt veritates credendæ fide infallibili, innixa auctoritati Ecclesiæ : compatibilitas civilis Principatus cum Primatu spirituali ; — convenientia illius — et necessitas in præsenti rerum ordine. — 10. Inaniter objicitur status Ecclesiæ per octo priora sæcula. — 11. Necessitas dominii temporalis confirmatur ex incommodis quæ oriuntur ex ejus spoliatione. — 12. Confirmatur et per historiam.

1. Si ergo immunitas plena, sicuti est potestas regalis, competit Christi Vicario propter eminentiam Primatus sui, eadem independentia illi absolute necessaria est propter *exercitium* muneris sui plane immunis.

Hoc necessario sequitur e natura hujusmodi Primatus ; asseritur ab ipsis summis Pontificibus, qui merito judices sunt in hac causa sua ; confirmatur testimonio Episcoporum, ratione theologica et experientia historiæ.

Necessitas Principatus regalis pro Romano Pontifice patet vel ex eo quod sine dominio hoc temporali, immunitas Primatus nequeat exerceri.

Ut jure meritoque ratiocinatur Cl. Palmieri : " Potestas quævis est propter actum, actus autem propter finem, qui est perfectio vel ipsius agentis, vel aliorum, extra agens. "

Primatus vero collatus est Petro et successoribus ejus propter bonum Ecclesiæ : omnis ergo potestas et omne jus Primatus est in bonum Ecclesiæ ; jus etiam igitur immunitatis pro regimine Ecclesiæ collatum est Pontifici.

Jamvero exercitium hujus juris non est absolute necessarium Ecclesiæ *ut sit* simpliciter, sed *ut bene sit.*

Non est necessarium ut simpliciter sit ; hoc liquet ex facto. Primis enim Ecclesiæ sæculis non gaudebat exercitio hujus juris Romanus Pontifex, et nihilominus Ecclesia stabat.

Est tamen aliqua necessitas exercitii ejusdem. Nimirum Ecclesia non tantum jus habet *ut sit*, sed etiam *ut bene sit*, ut nempe perfecto modo, modo convenienti naturæ suæ existat et regatur.

Jamvero ut Ecclesia *bene sit*, evidens est necesse esse ut omnia ejus jura, inter quæ sunt potissimum jura sui Capitis, in actum deducantur. Non enim frustra ea jura contulit Deus. Oportet ergo ut et jus immunitatis ad actum deducatur.

Ecclesia est societas visibilis et independens, jus habens ad vitam socialem perfectam. Ut ait Pius IX « Ecclesia perfectæ societatis formam vi divinæ suæ institutionis obtinuit [1]. "

Ut autem ejus vita socialis bene se habeat, seu perfecta sit :

(1) Necesse est ut supremum ejus Caput semper gaudeat actu, plena et perenni libertate docendi et ferendi leges, atque pœnis reos cohibendi, erga omnes fideles, ipsosque Principes.

(2) Necesse est ut pax et tranquillitas regiminis Ecclesiæ sit ex se stabilis, ideoque nullo modo dependeat a voluntate mutabili alicujus hominis, cui Ecclesiæ cura non est commissa.

1. Encycl. *Cum catholica*, 26 Mart. 1860.

(3) Necesse est ut *exercitium* potestatis Capitis Ecclesiæ ita certo constare possit omnibus fidelibus, ut excludantur exceptiones probabiles, quas promovere possent adversarii dicentes Pontificem non esse liberum, vel non agere sponte sua.

(4) Necesse est ut Pastor immediatus omnium fidelium alienus sit a contentionibus, quas fideles populi in societate civili inter se committere possent, ne et ipse debitam fidelium fiduciam et reverentiam amittat, ejusque decreta, quæ forte non placent, suspicione laborent quod in gratiam Principis vel gubernii cui subest, edita sint.

(5) Necesse est ut eo sensibili splendore cultus et honoris honestetur Primatus, qui idoneus sit penes homines, in sensibilibus intelligibilia percipientes, ad conciliandam ei existimationem supremam, et ad cavendum ne auctoritas sua vilescat ([1]).

Atqui hæc omnia vel includunt vel exigunt plenissimum exercitium immunitatis Pontificiæ a laica jurisdictione qualibet. Vilesceret certe penes multitudinem auctoritas Pontificis, si is, non secus ac alii cives, ad laica tribunalia traduceretur, a laica potestate pœnis mulctaretur. Ut ergo debitus honor Pontifici deferatur, subjectus is esse non debet auctoritati Principum, quibus ipse præstat auctoritate.

Item tranquillitas regiminis ecclesiastici non foret stabilis per se, id est ex intrinseca virtute auctoritatis. Penderet enim tranquillitas ab extrinseca voluntate quoque Principis, qui Pontificem cogere et ejus actiones impedire posset. Et quamvis id non faceret, tamen *posset;* cumque mutabilis sit ejus voluntas, semper id velle poterit : unde per accidens tantum tranquillitas regiminis obtineretur.

Item spectata inordinatione humanarum voluntatum, fieri non posset ut Pontifex subditus Principi gauderet plena et perenni libertate docendi, ferendi leges et puniendi; propter

1. Palmieri, *De Rom. Pont.*, thes. XXIV, p. 384.

corruptionem naturæ eveniret ut Principes, auctoritati suæ nimium studentes, vellent prohibere Pontificem ab iis quæ sibi non placent.

Insuper quia quævis natio civiliter adversatur iis omnibus quæ ad inimicam pertinent nationem, Papa, Pater universalis christianorum omnium, frequenter objectum aversionis evaderet eorum fidelium, qui cum suo Principe bellum gererent. Imo sua decreta, quæ forte non placerent, suspicione laborarent quod in gratiam Principis sui sint edita; et ideo contemptui obnoxia forent.

Esto Papa sit subjectum regis Borussiæ : Qua fiducia gaudebit Reipublicæ Gallicæ ? — Sit subjectum Russiarum Cæsaris : an satis liber videbitur Polonis ? — Degat in insula Melita ut hospes regni Britanniæ : Quomodo impartialis apparebit Hibernis? — " Omnibus compertum est, — dicebat Pius IX Gajetæ, 20 Aprilis 1849, — fideles populos, gentium regna numquam plenam fiduciam et observantiam esse præstitura Romano Pontifici, si illum alicujus Principis vel gubernii dominio subjectum, ac minime liberum esse suspicerent. Siquidem fideles populi et regna vehementer suspicari ac vereri numquam desinerent, ne Pontifex idem sua acta ad illius Principis vel gubernii, in cujus ditione versaretur, voluntatem conformaret, atque idcirco actis illis hoc prætextu sæpius refragari non dubitarent. "

Et post sacrilegam usurpationem alicujus partis dominii S. Sedis iterum mundo universo ait : " Sane a Deo ipso sapientissime consultum est, ut in tanta temporalium Principum multitudine ac varietate Summus Pontifex illa frueretur politica libertate, quæ tantopere necessaria est ad spiritualem suam potestatem, auctoritatem et jurisdictionem toto orbe absque impedimento exercendam.

" Atque ita plane decebat, ne catholico Orbi ulla oriretur occasio dubitandi, impulsu fortasse civilium potestatum, vel partium studio duci quandoque posse in universali procura-

tione gerenda Sedem illam, ad quam " propter potiorem principalitatem necesse est omnem Ecclesiam convenire (1) ".

Ergo utilitas Ecclesiæ, *ut bene sit*, exposcit immunitatem Capitis sui plenam (2). Ea immunitas autem existere nequit si orbatur potestate regali. Sit ergo Papa rex independens a quacumque auctoritate humana oportet.

Alia ratio necessario requisitæ independentiæ Romani Pontificis hæc est : Omnimoda libertas qua gaudere debet in delectu Cardinalium, qui sunt Cleri Romani pars præcipua et præstantissima. Pontifici enim sunt a consiliis, imo et ipsius Pontificis soli electores.

Mos autem est et consuetudo Pontificum ex omnibus Christianitatis nationibus, quantum commode fieri potest, et prout viri idonei reperti fuerint, Cardinales et Episcopos assumere (3). Ast si Papa esset sub potestate cujusdam arrogantis Principis, nonne timendum esset ne iterum videremus id, quod hujus sæculi initio occurrit ? Tunc enim contendit Napoleo I ut sibi jus concederetur tot designandi Cardinales Gallos, quot tertiam constituerent sacri Collegii partem, et ita Ecclesia potius Gallica fuisset quam universalis seu catholica.

2. Hac ratione immunitatis plane firmiterque exercendæ innixa, Ecclesia necessitatem Principatus temporalis decursu sæculorum, quoties opus erat, sæpe sæpius proclamavit, nunc indirecte, damnando hæreticos qui verbo et opere volebant temporale S. Petri dominium destruere, nunc directe, asserendo per voces Pontificum, Conciliorum aut Episcoporum, hanc veram et tenendam esse doctrinam.

Jam anno circiter 1138 apparuit Arnaldus Brixiensis, discipulus Petri Abælardi, hæreticus, qui, assumpta larva sanctitatis, monastico scilicet habitu, Episcopis et etiam Romano Pontifici regalia feudosque deneganda esse docuit.

1. Encycl. *Cum catholica*, 26 Mart. 1860.
2. Palmieri, pag. 584, sqq., thes. XXIV.
3. Trid. Sess. XXIV, decret. *De Reform.*, cap. 1.

Damnatus est in synodo œcumenica Lateranensi sub Innocentio III, anno 1139. — Anno vero 1145 sub Eugenio III in Urbem irrepsit idem Arnaldus, proclamavit renovandum esse Capitolium, renovandam dignitatem senatoriam, docuit in dispositione Urbis nil ad Romanum spectare Pontificem, cui sufficere deberet spiritualis potestas sola. Quem propter errorem aliasque hæreses multaque crimina ad rogum tandem damnatus est Arnaldus cineresque ejus in Tiberim sunt projecti (1).

Nicolaus III constitutione *Fundamenta militantis Ecclesiæ*, de die 18 Julii 1278, secessus Constantini Magni ab Urbe et initii potestatis temporalis S. Sedis hoc assignat motivum: " Non justum arbitrans, ut ubi Sacerdotii Principatum et christianæ Religionis Caput Imperator cœlestis instituit, illic imperator terrenus habeat potestatem; quia magis ipsa Petri Sedes in *Romano jam proprio solio* collocata *libertate plena* in suis agendis per omnia potiretur, *nec ulli subesset* homini, quæ jure divino cunctis cognoscitur esse prælata. "

Anno 1418, damnati sunt a concilio Constantiensi et Martino V per bullam *Inter cunctas*, articuli 45 Joannis Wikleff, quorum 33us sic sonat: " Sylvester Papa et Constantinus imperator erraverunt, Ecclesiam dotando. "

Celeberrima est antiqua bulla *In Cœna Domini*, quæ habet § 20 : " Excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui per se, seu alios, directe vel indirecte, sub quocumque titulo vel colore, invadere, destruere, occupare et detinere præsumpserint, in totum vel in partem Almam Urbem,... et alias civitates, terras et loca vel jura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictæque Romanæ Ecclesiæ mediate vel immediate subjecta; necnon supremam jurisdictionem in illis nobis, et eidem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto usurpare, perturbare, retinere et vexare variis modis

1. Natalis Alex., *Hist. Eccl. sæc. XI et XIII*, cap. IV, artic. 8.

præsumunt ; necnon adhærentes, fautores et defensores eorum, seu illis auxilium, consilium vel favorem quomodolibet præstantes (1). "

S. Pius V bulla *Admonet*, quæ est de die 29 Martii 1567; Innocentius XI, constitutione *Quæ hac ab sede*, pridie nonas Novembris 1591 ; Clemens VIII, *Ad Romani Pontificis curam*, 26 Junii 1592 ; Alexander VII, *Inter cæteras*, nona kalendas Novembris 1660 — excommunicationem injiciunt in eos qui alienationem et infeudationem civitatum et locorum S. Romanæ Ecclesiæ moliuntur.

Quam excommunicationem renovavit et Romano Pontifici reservatam esse declaravit Pius IX in bulla *Apostolicæ Sedis*, art. XIII.

Firma etiam manet excommunicatio a concilio Tridentino lata in eum qui " alicujus Ecclesiæ... bona, census ac jura... per se, vel alios vi vel timore incusso... quacumque arte aut quocumque quæsito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare præsumpserit, seu impedire, ne ab iis ad quos jure pertinent, percipiantur. "

3. Necessitatem civilis Papæ Principatus ita contra agressionem Napoleonis I, affirmat Pius VII : " Illud omnes facile intelligent... Romani Pontificis quam maxime esse libertatem summi sui temporalis imperii tueri, quod non minus a Deo est, quam ab Eodem sint imperia ceterorum Principum ; quodque tam *arcte cum liberiore, expeditiore, promptiore usu supremi sui spiritualis Primatus, ideoque cum summis ipsius Religionis rationibus, utilitatibus, commodis conjunctum et colligatum est* (2). "

Deinde contra occupationem Romæ a Napoleone I ita protestatur : " Omnia quæ contra Principatus a Deo Nobis dati jura sunt gesta, reprobamus ; et testes invocamus hodie cœlum et terram (3), reprobata esse a Nobis et reprobari, ne

1. *Bullar. Benedicti XIV*, vol. I, pag. 77.
2. Alloc. 16 Mart. 1808.
3. *Deut.*, IV, 26.

quis nunc, in posterumve fallatur, et occasione hujus mansuetudinis et lenitatis spiritus qua ducti hactenus, Deo largiente, sumus, putet eorum quidquam a Nobis fuisse comprobatum.

" Declaramus esse mentem, propositum, voluntatem nostram, omnia hujus Sanctæ Sedis dominia, eorumdemque jura integra et inviolata ad successores nostros transmittere: ac quamcumque eorum occupationem, sive jam factam, sive adhuc faciendam, injustam, violentam, nullam, irritam esse declaramus; eademque dominia Nobis, nostrisque successoribus debere restitui (1). "

4. Vix e Statibus suis expulsus, Pius IX:

A) In consistorio 20 Aprilis 1849 Gaietæ habito ita jus S. Sedis in Romanam ditionem tuetur:

" Haud possumus eos non redarguere qui, decreto illo, quo Romanus Pontifex omnis civilis sui imperii honore ac dignitate est spoliatus, plaudunt, — ac decretum idem ad ipsius Ecclesiæ libertatem, felicitatemqne procurandam vel maxime conducere asserunt.

" Hic autem palam publiceque profitemur, nulla Nos dominandi cupiditate, nullo temporalis Principatus desiderio hæc loqui, quando quidem Nostra indoles et ingenium a quavis dominatione profecto est alienum.

" Verumtamen officii Nostri ratio postulat, ut in civili Apostolicæ Sedis Principatu tuendo jura possessionesque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, atque ejusdem Sedis libertatem, *quæ cum totius Ecclesiæ* libertate et utilitate est conjuncta, totis viribus defendamus. "

B) Surgente nova in S. Sedis dominium procella, iterum levat vocem Pius IX et hæc nuntiat mundo universo: " Ut Romanus Pontifex Primatus sibi divinitus collati munus, ut par est, adimpleret, iis indigebat præsidiis, quæ temporum conditioni et necessitati congruerent. Unde singulari divinæ

1. Alloc. cit.

Providentiæ consilio factum est, ut... Romana quoque Ecclesia temporalem dominationem haberet, quo Romanus Pontifex, summus totius Ecclesiæ Pastor, nulli Principi subjectus, supremam universi dominici gregis pascendi regendique potestatem auctoritatemque ab ipso Christo Domino acceptam, per universum orbem plenissima libertate exercere, ac simul facilius divinam religionem magis in dies augere, et, quæ pro re ac tempore ad majorem totius christianæ reipublicæ utilitatem pertinere ipse cognosceret, efficacius peragere posset (1). "

" Necessarium esse palam edicimus Sanctæ huic Sedi civilem Principatum, ut in bonum Religionis sacram potestatem, sine ullo impedimento exercere possit (2). "

C) Episcopis 265 coram se congregatis et quasi totum Episcopatum catholicum seu totam Ecclesiam *docentem* repræsentantibus, congratulatus est immortalis Pius IX de zelo et de doctrina eorum, relate ad necessitatem temporalis Principatus S. Sedis, et quidem hisce claris verbis : " Nihil dicimus de impia conspiratione et pravis cujusque generis molitionibus ac fallaciis, quibus civilem hujus Apostolicæ Sedis Principatum omnino evertere et destruere volunt. Juvat potius hac de re commemorare miram prorsus consensionem, qua vos ipsi, una cum aliis venerabilibus Fratribus universi catholici orbis sacrorum Antistitibus, numquam intermisistis et epistolis ad Nos datis, et pastoralibus litteris ad fideles scriptis, hujusmodi fallacias detegere, refutare, ac simul docere, hunc civilem Sanctæ Sedis Principatum Romano Pontifici fuisse singulari divinæ Providentiæ consilio datum, illumque necessarium esse (3). "

D) Et jam antea, Encyclica sua diei 19 Januarii 1860, Pius IX Episcopis et catholicis fidelibus ita congratulatus erat : " Ipsum Principatum civilem Romanæ Ecclesiæ con-

1. Lit. apost., 26 Mart. 1860. — Item Alloc. 20 Junii 1859.
2. Encycl. 18 Junii 1859.
3. Alloc. 9 Junii 1862.

stanter tuentes, profiteri et docere gloriati estis, eumdem singulari divinæ illius omnia regentis ac moderantis Providentiæ consilio datum fuisse Romano Pontifici, ut ipse nulli civili potestati unquam subjectus, supremum Apostolici ministerii munus sibi ab ipso Christo Domino divinitus commissum plenissima libertate, ac sine ullo impedimento in universum orbem exerceat.

" Atque Nobis carissimi catholicæ Ecclesiæ filii, vestris imbuti doctrinis, vestroque eximio exemplo excitati eosdem sensus Nobis tutari summopere certarunt ac certant.

" Namque ex omnibus totius catholici orbis regionibus innumerabiles pene accepimus tum ecclesiasticorum, tum laicorum hominum cujusque dignitatis, ordinis, gradus et conditionis Litteras etiam a centenis catholicorum millibus subscriptas, quibus Beati Petri patrimonium omnino integrum inviolatumque servandum esse contendunt ; ex quibus insuper non pauci id ipsum, vulgatis apposite scriptis, docte sapienterque asseruere. Præclaræ significationes omni certe laude ac prædicatione decorandæ et aureis nobis in catholicæ Ecclesiæ fastis inscribendæ. "

E) In *Syllabo* post Propositionem LXXVI legimus : " Præter hos errores (de civili Romani Pontificis Principatu) explicite notatos, alii complures implicite reprobantur, proposita et asserta doctrina, *quam catholici omnes firmissime retinere debent*, de civili Romani Pontificis Principatu. Ejusmodi doctrina luculenter traditur :

in allocutione *Quibus quantisque* 20 April. 1849 ;
in allocutione *Si semper antea* 20 Maii 1850 ;
in litt. apost. *Cum catholica Ecclesia* 26 Martii 1860 ;
in allocutione *Novos* 28 Sept. 1860 ;
in allocutione *Jamdudum* 18 Martii 1861 ;
in allocutione *Maxima quidem* 9 Junii 1862.

F) Et præter publicatum famosum syllabum exstant Litteræ protestationis causa editæ, ipsa die invasionis Urbis,

20 Septembris anni 1870, et ad diplomaticum guberniorum cœtum apud S. Sedem, ex mandato Sanctissimi Patris, missæ. In hisce invasio hæc notatur ut " sacrilega usurpatio " et " immanis iniquitatis actus ". Dicitur per illam " supremum Ecclesiæ catholicæ Caput in ea rerum angustia collocatum, ut spiritualem suam auctoritatem exercere nequeat ea *expedita libertate* ac independentia, queis pro sui ministerii ratione carere *numquam* potest. "

G) Idem docet Papa Litteris paulo post datis Eminentissimis Cardinalibus, die scilicet 29 ejusdem mensis et anni. " Nos enim, — ita scribit, — qui licet indigni et immerentes vicaria Christi Domini in terris potestate fungimur, et qui Pastor sumus in universa domo Israel, nunc libertate illa carere reipsa experimur, quæ ad regendam Ecclesiam Dei, ejusque rationes curandas omnino Nobis necessaria est; — atque hanc protestationem a Nobis emittendam esse ex officii Nostri debito sentimus, eam publicis etiam consignare litteris in animo habentes, ut universo catholico orbi veluti par est, innotescat. "

H) Die 20 Octobris sequentis Apostolicas dat Litteras Pius IX, quibus ad aliud opportunius et commodius tempus Concilium Vaticanum suspenditur, quia ait " sub hostili dominatione et potestate, Deo sic permittente ob imperscrutabilia judicia sua, penitus constituti sumus. In hac luctuosa rerum conditione,cum Nos a libero expeditoque usu supremæ auctoritatis Nobis divinitus collatæ multis modis impediamur, cumque probe intelligamus minime ipsis Vaticani Concilii Patribus in hac alma Urbe, necessariam libertatem, securitatem, tranquillitatem suppetere et constare posse ", etc.

J) Deinde 1 Novembris 1870, anno Pontificatus Pii IX jam vicesimo quinto, in orbem catholicum missa est celebris Epistola Encyclica *Respicientes*, qua, præmissa narratione eorum quæ violentam captionem Urbis præcesserunt et subsecuta sunt, censuræ jam latæ confirmantur et solemniori

quo potest modo iterum declarat Christi Vicarius: " Nostram mentem, propositum et voluntatem esse omnia hujus S. Sedis dominia ejusdemque jura integra, intacta, inviolata retinere atque ad successores nostros transmittere ; quamcumque eorum usurpationem, tam modo quam antea factam, injustam, violentam, nullam irritamque esse, omniaque perduellium et invasorum acta, sive quæ hactenus gesta sunt, sive quæ forsitan in posterum gerentur ad prædictam usurpationem quoquo modo confirmandam, a Nobis etiam nunc pro tunc damnari, rescindi, cassari et abrogari.

" Declaramus præterea et protestamur coram Deo et universo Orbe catholico, Nos in ejusmodi captivitate versari, ut supremam nostram pastoralem auctoritatem tuto, expedite ac libere minime exercere possimus.

" Tandem monito illo S. Pauli obtemperantes : quæ participatio justitiæ cum iniquitate ? aut quæ societas luci ad tenebras ? quæ autem conventio Christi ad Belial [1] ? Nos palam aperteque edicimus ac declaramus, Nos nulli unquam conciliationi assentiri vel assensum præstituros, quæ ullo modo jura Nostra atque adeo Dei et Sanctæ Sedis destruat vel imminuat. "

Deinde auctoritate omnipotentis Dei, SS. Apostolorum Petri et Pauli ac sua usurpationis et occupationis Urbis mandantes, fautores, adjutores, consiliarios et adhærentes per excommunicationem segregat ab ovili Christi ; cujus condemnationis terribilia verba videre licet infra, capite octavo.

K) Item in Encyclica sua *Ubi nos* de 15 Maii 1871 iterum vindicat Pius IX jura sua, et simul nota *absurditatis, versutiæ* ac *ludibrii* infamat hypocritas leges immunitatis a gubernio subalpino elaboratas et sibi loco Principatus civilis oblatas.

5. Addantur Pii IX dictis Leonis XIII præclara testimonia.

1. *II Cor.*, VI, 14 et 15.

A) Vix gubernaculum naviculi Petri tenebat Leo XIII, cum jam in prima sua Encyclica restitutionem potestatis civilis Ecclesiæ indicaret ceu primum remedium adversus mala coæva. " Nihil Nobis potius esse debere cognoscimus, quam ut Romanae cathedrae suam dignitatem sartam tectamque servemus.

" Quapropter ut in primis iura libertatemque huius Sanctae Sedis adseramus, contendere numquam desinemus, ut auctoritati Nostrae suum constet obsequium, ut obstacula amoveantur, quae plenam ministerii Nostri potestatisque libertatem impediunt, atque in eam rerum conditionem restituamur, in qua divinae Sapientiae consilium Romanos Antistites iampridem collocaverat.

" Ad hanc vero restitutionem postulandum movemur, non ambitionis studio aut dominationis cupiditate, sed officii Nostri ratione ... Ac praeterea non solum ex eo quod Principatus hic ad plenam libertatem spiritualis potestatis tuendam conservandamque est necessarius, — sed etiam quod exploratissimum est, cum de temporali Principatu Sedis Apostolicae agitur, publici etiam boni et salutis totius humanae societatis causam agitari (1). "

B) Die 27 Augusti 1878 scribit Leo XIII ad cardinalem Nina : " Violationem iurium sacrorum Sedis Apostolicae bono populorumque utilitati apprime officere ; statuumque diversorum catholicos tranquillitate frui non posse, donec Summus Pontifex vera absolutaque gaudeat libertate. " —

C). Ad catholicarum ephemeridum repræsentantes dicit 23 Februarii 1879 : " Interest quam maxime rursus in catholicorum mentem reducere, supremam Ecclesiae potestatem quae Petro eiusque successoribus divinitus collata est, ex divina ipsius Christi institutione, plenissimam sibi libertatem vindicare ; — ad hanc autem potestatem libere toto orbe exercendam necessarium esse civilem Pontificis Principatum. "

1. Encycl. *Inscrutabili Dei*, 21 April. 1878.

D) Allocutione 24 Martii 1884 ait : " Sicut Pius IX f. r. Decessor Noster, ita et Nos Apostolicae Sedis iura tueri omnique contentione vindicare studuimus. Denuo improbamus damnamusque quodcumque est cum Apostolicae Sedis iniuria actum, itemque testamur, omnia Nos iura eius ex integro et in perpetuum salva velle."

E) Die 15 Junii 1887 scripsit Sanctitas Sua ad Cardinalem Rampolla celebrem hanc Epistolam quæ est quasi summa revindicationum iurium Sanctæ Sedis; ita ea expostulat " eum rerum statum, quo Romanus Pontifex subesse debeat nemini, plenaque, non vero illusoria, libertate frui ".

F) Allocutione die 24 Maii 1889 congressus laudat catholicos, qui suas faciunt expostulationes Sedis Apostolicæ additque : " Pro qua caussa Nos quidem maxime et ante alios, ut debemus, diu propugnamus : ab eaque vindicanda, nec longinquitas temporis Nos, neque ulla difficultatum magnitudo deterrebit."

G) Et 30 Junii loquens Cardinalibus de signo apostatæ Bruno Romæ erecto : " Hinc, inquit, magis magisque apparet, num quieverint everso Principatu civili hostiles animi; an aliud expectant ut extremum, — scilicet ipsam aequare solo sacram Pontificum auctoritatem, fidemque christianam ex stirpe delere.

" Similiter eminet, num Nos in repetendis Apostolicae Sedis iuribus, humana aliqua re, an potius libertate Apostolici muneris, dignitate Pontificis, atque ipsa rerum Italicarum germana prosperitate moveamur.

" Denique nimium nosse licet, quid valeant et quo ceciderint tam multa et ampla, quae initio promittere ac spondere non dubitaverunt."

H) Allocutione 24 Decembris conqueritur Beatissimus Pater de vexationibus Ecclesiæ illatis ; " omnia enim, ait, iam tentat Satanas contra Ecclesiam Dei, praesertim vero contra libertatem Pontificis."

I) Id idem asserit in Allocutione 30 Decembris, iterumque affirmat causam civilis Principatus eo tendere ut fides christiana conservetur integra, ut oportet.

K) Ad Episcopos, clerum, populumque Italiæ scribens die 15 Octobris 1890, iterum scopum massonum detegit. " Primo quidem coeptum est ab evertendo, sub politica specie, civili Romanorum Pontificum Principatu, ad supremam ipsam eorumdem spiritualem potestatem pessumdandam. "

Deinde elata denuo voce protestatur : " Sacra Ecclesiae et Pontificatus iura, quorum assertores ac tectores constituti sumus, sarta tectaque servare volentes, iniurias, quae ipsimet Ecclesiae ac Pontificatui continenter irrogantur, quaeque difficilius Nobis reddunt catholicae Ecclesiae regimen graviorem que ac prorsus indignam praesentem conditionem nostram, palam propellimus, atque universo catholico Orbi notas facimus. "

L) Epistola 3 Martii 1891 excitantur Ordinarii imperii Austriaci ad habendas quotannis quasdam inter se congressiones, in quibus : " Velle autem ut Romanus Pontifex nulli subsit hominum ditioni, sed plene sui perfecteque sit iuris ; hoc nempe *officium quum ad omnes ubique gentium catholicas, non ad unam gentem aliquam*, sancte pertineat, Episcopi idcirco collatis videant sententiis atque opera efficiant, ut fidelium studia in eam iustissimam caussam erecta constent, caleantque ad exitum feliciter maturandum. "

M) Archiepiscopis et Episcopis regni Lusitaniæ per Epistolam 25 Junii 1891 gratulatur de voto in congressione Bracaræ Augustæ emisso relate ad restitutionem dominii temporalis S. Ecclesiæ : " Neque reticere volumus non mediocre Nobis attulisse solatium ea capita quae devotam prorsus huic Apostolicae Sedi declarabant voluntatem coëuntium et studium, quo flagrant, ut debitus Illi pro dignitate habeatur honor, neve quid de maiestate et iuribus eius minuatur. "

N) Encyclica 22 Septembris 1891 Mariale Rosarium com-

mendans, fideles hortatur ut a Deipara impensius implorent id " quod bonis omnibus exoptatissimum esse debet, ut Ecclesia mater libertate potiatur et fruatur sua, quam non alio Illa refert nisi ad summas hominum procurandas rationes, a qua singuli et civitates nulla usquam damna, plurima omni tempore et maxima beneficia senserunt. "

Stetit ergo Leo XIII promissis suis : " Decessores nostri *omnes* incolumitatem tueri Principatus sui omni contentione studioque conati sunt ; Nosque ipsi conamur vindicare *perseverantia pari* (1). "

Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem testium, deponamus omne dubium de necessitate temporalis Romani Pontificis Principatus, et per fidem, spem et charitatem curramus ad propositum nobis certamen, atque vindicemus hæreditatem Patrum nostrorum, quæ injuste ab inimicis nostris aliquo tempore possessa est !

6. Ast opponere quis posset, ipsorum Romanorum Pontificum testimonia hac in quæstione esse suspecta, cum loquantur in propria causa. Quominus autem ita quis sentiat, multa sunt quæ impediunt.

7. Et sane : Pontificum dicta confirmantur ab Episcopis ; quinimo ab Ecclesia ubique terrarum dispersa. — Quæ affirmat auctoritas illorum, ea plerumque hi probant argumentis juris ac rationis firmissimis. — Ipsa confidentia qua loquuntur, haud parvum est indicium juris auctoritatisque ab omni fraude et usurpatione alienæ. — Omnem quoque suspicionem excludit nota doctrina et sanctitas loquentium. Merito proinde in hac quæstione audiantur (2).

Quare et Principatui civili applicare licet ea, quæ olim celeber Bossuet de Primatu professus est : " Audio quid dicant : Romanis Pontificibus, sedis suæ dignitatem commendantibus, in propria videlicet causa non esse credendum.

1. Epist. ad. Episc. Cremon. 29 Aprilis 1889.
2. Cfer Hurter, De primatu. *Theol. gen.*, n. 508, nota.

Sed absit : pari enim jure dixerint, ne Episcopis quidem aut Presbyteris esse adhibendam fidem, cum sacerdotii sui honorem prædicant ; quod contra est. Nam quibus Deus singularem honoris dignitatisque prærogativam contulit, iisdem inspirat verum de sua potestate sensum, ut ea in Domino, cum res poposcerit, libere et confidenter utantur, fiatque illud quod ait Paulus : *Accepimus Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis* [1]. Quod quidem semel hic dicere placuit, ut temerariam ac pessimam responsionem confutarem [2]. "

Deinde animadvertendum quod non more superborum Principum et dominatorum hujus sæculi, Vicarii Christi temporalem sibi Principatum vindicaverint, sed unice ducti sunt conscientia muneris sui. " Ad hanc restitutionem postulandam movemur, — jam dixit Leo XIII initio pontificatus sui, uti supra vidimus, — non ambitionis studio aut dominationis cupiditate ; sed officii Nostri ratione et religiosis iurisiurandi vinculis quibus obstringimur ; et iam, quod exploratissimum est, cum de temporali Principatu Sedis Apostolicae agitur, publici etiam boni et salutis totius humanae societatis caussam agitari [3]. "

" In propugnatione iuris Nostri non tutelam rei alicuius mortalis Nobis proponimus tamquam finem, sed maiora quaedam atque altiora spectamus. Videlicet fidem christianam conservari integram, ut oportet, volumus : eius enim vocatur in discrimen incolumitas [4]. "

Si Romani Pontifices stant immobiles et valli fortissimi instar ad tuendam potestatem civilem S. Sedis, oportet ut, Spiritu sancto inspirante, dominium illud ceu absolute necessarium sibi considerent. Etenim in aliis quæstionibus immunitatis paterno modo multum concesserunt exigentiis statuum

1. *I Cor.*, II, 12.
2. *Def. declar. cleri Gallic.*, lib. 10, c. 6.
3. Encycl. *Inscrutabili*, 21 April. 1878.
4. Alloc. 30 Dec. 1889.

hodiernorum, ut patet variis e concordatibus ; ut patet vel e verbis Pii IX, quibus declarat : " Se non abhorrere a canonum sanctionibus circa immunitates ipsas pro loco ac tempore moderandis, prout scilicet opportunum in Domino visum fuerit, ac dummodo Ecclesia aliis in rebus liberiori suorum jurium exercitio potiatur [1] ; " ast immunitati, dominio temporali roboratæ, firmiter semper adhæserunt.

Testimoniis Pontificum robur adjecit quoque magnus Episcoporum cœtus : " Civilem Sanctæ Sedis Principatum ceu quiddam necessarium ac providente Deo manifeste institutum agnoscimus, nec declarare dubitamus, in præsenti rerum humanarum statu ipsum hunc Principatum civilem pro bono ac libero Ecclesiæ animarumve regimine omnino requiri.

" Oportebat sane totius Ecclesiæ caput, Romanum Pontificem, nulli Principi esse subjectum, imo nullius hospitem ; sed in proprio dominio ac regno sedentem, suimet juris esse, et immobili, tranquilla et alma libertate, catholicam fidem tueri ac propugnare, totamque regere ac gubernare Rempublicam. "

His aliisque solemnibus verbis Episcopi ducenti sexaginta quinque, quum Romæ anno 1862, in canonizatione Sanctorum martyrum Japonensium congregati essent, suam de Principatu civili Romani Pontificis sententiam expresserunt. Ac sancte se amplecti, iidem Præsules testati sunt, doctrinam ab ipso Pio IX iterate proclamatam : " Quod singulari prorsus divinæ Providentiæ consilio factum sit, ut Romanus Pontifex, quem Christus totius Ecclesiæ suæ caput centrumque constituit, civilem assequeretur Principatum [2]. "

Ad hæc verba alludunt, eaque dictis suis obfirmant Episcopi qui die 1 Julii 1867 Romæ erant ob centenarium S. Petri, dicentes in libello suo congratulatorio ad Pium IX : " Hac fide, hisce sensibus ducti, loquebamur olim, Beatissime Pater,

1. Alloc. 1 Nov. 1860.
2. Jungmann, *Diss. select. in hist. eccl.*, t. III, diss. 14, pag. 82.

cum ante quinquennium tuo throno adstantes, vota pro Te, *pro civili tuo Principatu*, pro justitiæ ac religionis causa palam nuncupavimus. Cuncta hæc, quæ tunc declaravimus, nunc denuo piissimo cordis sensu confirmamus, idque universo orbi testatum esse volumus ([1])."

8. " Quæri solet, — scribit doctus Palmieri, — cujusmodi sit certitudo illius veritatis, quæ asserta est hac ætate, de necessitate Principatus civilis Romani Pontificis ? " — Et respondet : " Dicimus 1°) JUS (non loquimur de *facto*) immunitatis personalis esse veritatem divinitus revelatam.

" Unde sequitur eam esse *fide divina* credendam.

" Assertio autem nostra ex discursu theologico procedit ; unde nolumus dicere hæreticos esse qui secus sentiant, nullaque alia censura sententiam oppositam notamus.

" Sane revelatum illud dicendum est quod, analysi instituta veritatis revelatæ, ope principii contradictionis in ea contentum reperitur. Atqui, in veritate Primatus, veritas quoque continetur immunitatis et independentiæ illum exercentis ab ulla alia potestate ; contradictorium est enim posse Romanum Pontificem ligare et sic irritare actus potestatis alterius exercitos in ipsum et eidem potestati subesse... Ergo."

2°) Idem dicendum de alia veritate, quod nempe Pontifex jus habeat ad media necessaria ut libertate sua plena uti possit.

" Revelatum est enim Romanum Pontificem jus habere ad exercitium plenissimum suæ auctoritatis. Perinde est enim conferre auctoritatem et conferre hoc jus. — Atqui collato jure ad finem, hoc ipso confertur jus ad media necessaria, ut qui affirmat jus esse ad finem, hoc ipso affirmet jus esse ad media necessaria. Ergo hoc quoque affirmatum est a Deo, seu revelatum.

" Quænam autem sint hujusmodi media, quæ plerumque ex diversis adjunctis et conditionibus dependent, in quibus

1. Coll. Lac., t. III, col. 1033, 1034.

Ecclesia versari potest, ea non opus fuit omnia singillatim revelari, sed relinqui potuerunt determinationi Ecclesiæ. Idque factum videtur quoad Principatum civilem.

" Ecclesia scilicet, quæ scit se habere jus ad media necessaria pro pleno exercitio suæ potestatis, illudque habere pro quavis conditione humanæ societatis, definire potest: his in adjunctis, necessarius est Pontifici Principatus civilis.

" Quanta ergo est certitudo hujus veritatis ?

" Supponendum est Ecclesiam posse sententiam infallibilem ferre circa veritates sive theoreticas sive practicas, aut historicas, quæ cum dogmate connexionem habent.

" Porro hujusmodi est veritas illa.

" Nam *dogma* est Romanum Pontificem jus habere ad liberum exercitium plenæ suæ potestatis.

" Præceptum est divinum, sive dogma practicum, debere fideles omnes potestatem hanc revereri, liberumque ejus exercitium numquam impedire. Atqui, ut id firmiter præstetur, constare debet cum certitudine quænam sint media necessaria ad illud exercitium. Si enim negetur necessitas alicujus medii, quod tamen reapse sit necessarium, periclitari potest in fidelibus *fides ipsius dogmatis*, juris nempe ad liberum exercitium suæ potestatis. Nam si quis putet illud non esse necessarium, et posse sine injuria auferri Pontifici, nequit ille fidelis simul tenere Pontificem habere jus ad eam libertatem, quam sine eo medio Pontifex reapse exercere nequit.

" Jamvero auctoritati docentis respondet in discipulo fides ; — et auctoritati infallibili respondet fides certa et infallibilis. — Quæ idcirco non est tantum fides *humana* nam innititur auctoritati magisterii divinitus instituti, et infallibilis.

" Non est autem simpliciter fides *divina*, quia objectum ejus formale non est auctoritas Dei revelantis.

" Est ergo fides *infallibilis, innixa auctoritati magisterii divinitus instituti.*

" Est autem fides debita. Auctoritas enim magisterii Ecclesiæ est auctoritas jurisdictionis, qua fides præcipitur; unde nec sufficit obsequiosum silentium, ut decrevit et declaravit Clemens XI constit. *Vineam Domini* (1). "

Hujusmodi est v.g. damnatio Propositionum § IX *Syllabi*, quæ " errores de civili Romani Pontificis Principatu enuntiant. "

Propositio LXXV sic sonat : " De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianæ et catholicæ Ecclesiæ filii. "

Verbotenus desumpta est hæc propositio ex Encyclica Pii IX *Ad Apostolicæ Sedis*, de die 22 Aug. 1851, qua damnantur doctrina et opera juris ecclesiastici Joannis Nepomuceni Nuytz, in regio Taurinensi Athenæo Professoris. — De dicta propositione, ceteraque pessima hujus Professoris doctrina, testatur Pontifex : " Compertum est auctorem per hujusmodi doctrinam ac sententias eo tendere, ut Ecclesiæ constitutionem ac regimen pervertat et catholicam fidem plane destruat... Ecclesiam civili imperio subditam esse, per summum nefas asserit,... impium renovat Protestantium systema, quo fidelium societas in servitutem redigitur civilis imperii. "

Tandem infallibilis Ecclesiæ Doctor de propositionibus Nuytz ait eas esse : " respective falsas, temerarias, scandalosas, erroneas, in S. Sedem iniuriosas, eiusdem iuribus derogantes, Ecclesiae regimen et divinam eius Constitutionem subvertentes... " " Eas, pergit, reprobamus, damnamus ac pro reprobatis, et damnatis ab omnibus haberi volumus et mandamus. "

Contradictoria ergo præfatæ propositionis erit fide certa, scilicet : " De temporalis regni cum spirituali compatibilitate non disputare inter se christianæ et catholicæ Ecclesiæ filios."

1. Palmieri, *De Rom. Pont.*, pag. 501-502.

— Aliis verbis : Non licet disputare de compatibilitate vel incompatibilitate civilis Romani Pontificis Principatus.

Propositio autem LXXVI in *Syllabo* damnata ita sonat : " Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiæ libertatem felicitatemque vel maxime conduceret. "

Jam confixa fuit hæc propositio per allocutionem *Quibus quantisque*, diei 20 Aprilis 1849.

Profecto admittimus cum cl. De Angelis [1] quod hucusque non fuit data Ecclesiæ definitio dogmatica de necessitate Principatus civilis successoris S. Petri; sed præteritum non infirmat futurum, et quod nondum factum fuit, fieri potest.

Satis sit ergo ad veritatem circa necessitatem Principatus civilis ad immunitatem Pontificis tuendam, si minus eam fide divina credendam dicamus, sicuti de jure ipso immunitatis supra dictum est ; ast saltem eam et adeo fidei cath. proximam et auctoritati infallibili affinem pronuntiemus, ut fide certa ab omnibus teneatur necesse sit. Nec ipsi sine infidelitatis peccato contradicatur.

Quod ex nunc dicendis clarius patebit.

9. Præstat ipsissima docti hujus Professoris accipere verba. " Objicitur, inquit, Ecclesiam ad id tandem devenisse, ut civilem S. Sedis Principatum inter dogmata accenseret. "

Ast facilis fiet ad hanc propulsandam calumniam responsio ; hanc scilicet Ecclesiæ definitionem non fuisse dogmaticam, quia non fuit formulata in articulum.

Sed tamen 1°) *veritas* de *compatibilitate* civilis gubernii cum potestate spirituali, —

2°) pariter hæc maxima *convenientia* quod S. Sedes habeat civilem hanc dominationem, et

3°) hæc relativa *necessitas*, attentis præsentibus socialibus conditionibus, — constituunt totidem *veritates* morales, nec simplices, sed *ab Ecclesia assertas*.

1. *Prælect. Juris can.*, t. II, lib. III, tit. V, 15.

Et Ecclesia non solum est infallibilis in definiendis veritatibus dogmaticis, sed et in definiendis veritatibus ordinis moralis.

Proinde, qui tales veritates negaret, non modo dicendus esset a veritate aberrare, sed quoque vocandus est *temerarius* (in fide) et *impius*, quia veritatibus assertis ab Ecclesia contradicit.

Ecclesia vero de iis veritatibus moralibus judicare potest prout de factis dogmaticis. Ipsi enim competit judicare de eo, quod sibi bonum, conveniens, utile aut necessarium est, sive potius perniciosum.

Cui Ecclesiæ definitioni captivandus est quoque internus mentis assensus, ut non liceat neque verbis, neque factis contradicere, vel interno animi sensu aliter putare.

Civilis proinde Principatus S. Sedis *de se* non est materia dogmatica : sed ejus compatibilitas cum regimine spirituali, ejus convenientia et magna utilitas, imo et necessitas in præsenti rerum ordine sunt veritates, quæ judicio Ecclesiæ subsunt, atque sunt ab ipsa jam decisæ, et ideo retinendæ seu credendæ propter infallibile Ecclesiæ magisterium i. e. propter connexionem ad illud. Quod si contradictor non faciat in fide naufragium, hoc est ex eo quod Ecclesia non processit ad statuendum articulum, non vero quia judicio Ecclesiæ non subjacet (1).

Dices : nonne per plura sæcula etiam a Constantini ætate caruit Principatu Romana Sedes, aut cur Deus statim ab initio illum non instituit ?

Respondemus: 1) divina Providentia res suaviter disponit et consilium suum exsequitur ordinarie per causas naturales. Oportebat prius per humanas vicissitudines imperium Romanum dissociari, partem ejus legitime subduci a potestate Principis et sensim sine sensu dari Christi Vicario. Tunc nullus

1. De Angelis, *Prælect. Juris can.*, lib. III, tit. V, n° 15.

legitimus prætextus potuit existere violati juris. Id autem tandem sæculo VIII absolutum fuit.

2) Interea tamen divina Providentia res ita moderata est, ut Romanus Pontifex liber omnino atque plane independens in Urbe Roma esset, et antequam omni specie regiæ auctoritatis potiretur, jam a sæculo V politica potestate utebatur.

Hæc tamen conditio de se erat incerta, labilis, obnoxia mutationibus. A Deo ordinata erat ad firmiorem statum obtinendum per Principatum. Quare ineptum esset postulare ut rursus ad eam primitivam et imperfectam conditionem rediret Ecclesia (1).

Instant Pontificiæ dominationis temporalis osores, dicuntque: " Civili Principatu destituta fuit Ecclesia per octo prima sæcula ; ergo potest et isto adminiculo carere etiam postĕa, præsertim cum opus hoc divinum, quod est Ecclesia, non possit dici pendere a conditione hac politica et accidentali. "

Cui difficultati contraitur sequenti argumento : Christus voluit Ecclesiam suam *initio* destitutam esse omni humano auxilio, imo propagari obnitentibus cunctis humanis potestatibus, ut hujus origo prorsus divina monstraretur. Tria sæcula persecutionis, in initio ab Ecclesia tolerata, irrefragabile constituunt argumentum ejusdem divinitatis.

At cordatus quisque vir non putabit statum continuæ persecutionis statum normalem esse Ecclesiæ, nec omnes ejus summos Pontifices, sicut triginta priores, debere violenta morte martyrii coronari. Nequidem putabit Ecclesiæ statum semper eumdem futurum in hoc mundo, et non potius divinæ Providentiæ ope singulari Ecclesiam adjutum iri illis humanis mediis, quibus indiget ut sua missio ab omnibus recognoscatur, et suum ministerium valeat cum utilitate et honore exhibere. Et inter hæc media potissimum locum habet Principatus temporalis S. Sedi singulari divinæ Provi-

1. Palmieri, *l. c.*, pag. 506.

dentiæ consilio tributus, ut eadem Ecclesia pronuntiavit, eumque in præsentibus humanæ societatis conditionibus necessarium ad illum finem consequendum recenset.

Profecto etsi Ecclesia hoc quoque medio privaretur non periret, quia a Christo dictum est : " Ecce, Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi (1)." Sicut Deus Ecclesiæ adstitit primis tribus persecutionis sæculis, sic hodie adesset ; et facta demonstrant Ecclesiam stetisse, quamvis Alexander III debuisset vagus existere, hospitium quærens de monasterio in monasterium, quamvis Joannes I et Pius VI in vinculis demortui sint, quamvis Pius VII toto quinquennio sub arcta custodia teneretur, ita ut per totum istud tempus nequiret vel ullam Encyclicam edere, quamvis alii bene multi Pontifices exulare coacti sint, imo, ut S. Gregorius VII, mortui sint in exilio.

Nec Deum percontamur, quomodo Ecclesiæ et Pontifici succurreret, cum Ipse universum mundum in manu teneat. Sed hoc non esset " pro bono et libero Ecclesiæ animarumque regimine ", prout fert declaratio Episcoporum jam memorata ; et " ingens animarum pernicies ingrueret, prout experientia luctuosa docuit (2). "

Quæ rationes confutationum confirmantur testimonio Sanctissimi Domini Leonis XIII.

" Quoniam a suprema summi Pontificis auctoritate eiusque libero exercitio pendet totius Ecclesiae bonum, maximopere intererat ut eius nativa autonomia ac libertas tuta et secura, sarta tectaque trans saecula, in illius viri persona, qui eadem auctoritate praeditus esset, servaretur iis modis atque adminiculis, quae divina Providentia ad finem consequendum efficacia aptaque agnovisset.

" Atque ita Ecclesia ex diutinis immanibusque oppugnationibus, quae quasi in manifestum de eius divinitate testi-

1. *Matth.*, ultim.
2. De Angelis, *l. c.*

monium primis saeculis eidem contigerunt, victrice egressa,— aetate, quae infantiae dici potest, transacta, quumque iam tempus advenisset, quo se in plena vitae explicatione ostenderet, Romanis Pontificibus nova ac specialis rerum conditio incepit. Haec pedetentim concurrentibus, Dei numine, quibusdam propitiis rerum adiunctis, in stabilem desiit civilis eorumdem Principatus constitutionem (1). "

11. Necessitatem dominii temporalis Sanctæ Sedis probant vel ipsa incommoda quæ ejus invasionem secuta sunt. — Hæc inter alia numerantur: per amissionem regalis suæ potestatis adempta est Pastori supremo summa libertas et securitas litterarum, quibus debet cum universo communicare orbe terrarum. " Nemo enim est, — sanæ mentis, ait Pius IX, quin videat et fateatur, quod erepta Nobis suprema illa ac libera potestate, qua in publici cursus usu proindeque in publico epistolarum commercio civilis Nostri Principatus jure fruebamur ;— et cum fidere non possimus gubernio ipsi quod eam sibi potestatem arrogavit, necessaria expeditaque via ac libera facultate prorsus destituamur negotia agendi, quæ JESU CHRISTI Vicarius et communis fidelium Pater, ad quem filii ex omni orbe confugiunt, omnino pertractare ac expedire debet (2). "

Alia incommoda enumerat Romanus Pontifex.

" Ii qui Vaticani nostri domicilio egrediebantur, perquisitioni subjecti fuere, explorantibus gubernii militibus, si quæ illi sub vestimentis occulerent.

" Quis nesciat quam facili negotio hujusmodi allucinationes iterari ac aliæ ex aliis suboriri possint ?

" In Lyceo magno Urbis annuus disciplinarum cursus ob falsas erroneasque doctrinas et ob eorum ingenium qui eas tradunt, in eam conditionem prolapsus est, quæ a veteri longe discrepat.

1. Leo XIII, Epist. ad Cardin. Rampolla, 15 Junii 1887.
2. Pius IX, Litt. 29 Sept. 1870.

" Tabularia ipsa parœciarum Urbis per vim excutiuntur et indagantur.

" Insectationes et injuriæ ab ultionis cupiditate et partium studio profectæ, impunitæ relinquuntur (1). "

Quibus malis addere licet confiscationem bonorum Congregationis de Propaganda fide; confiscationem tot bonorum quæ ad pias et beneficas pertinebant sodalitates; confiscationem et dispersionem immensarum bibliothecarum, expulsionem multorum religiosorum a dominiis suis; suppressionem multarum ceremoniarum pontificalium; introductionem nefariam divortii, etc.

12. Sed et historia sæculorum confirmat necessitatem plenæ independentiæ pro Romano Pontifice, et quidem argumento quod *a contrario* vocatur.

Etenim quatuor præsertim fuerunt in decursu temporis epochæ, in quibus Papa non erat, vel saltem videbatur non sufficienter esse independens, qui libertatis defectus semper habuerunt sequelas maxime lamentabiles.

Prior epocha occurrit sub imperatoribus Romanis et per fere tria sæcula fuit protracta; sed eo tempore omnes plane Pontifices præter solum Papam Liberium, martyrio obierunt.

Secunda fuit sub Orientis imperatoribus, qui pseudo-theologorum more doctrinas erroneas suas satagebant Doctori supremo obtrudere; attamen romani Pontifices cum erroribus obstiterint, continuo passi sunt et carcerem, et exilium, et ignominias omnigenas.

Tertia præsto erat ubi supremus Pontificatus cecidit quasi præda in manus procerum Romanorum et factionum plebis; hæc luctabilis periodus anti-paparum, et degradationis atque confusionis!

Quarta contigit tempore dominationis imperatorum Germaniæ vel Regum Galliæ; et tunc quasi captiva Ecclesia nec potens in opere, nec conspicua honore, nec satis catholica sed potius nationalis esse videbatur.

1. Pius IX, Litt. 29 Sept. 1870.

Unde concludere fas est cum Palmieri, Romani Pontificis immunitatem numquam violatam fuisse nisi cum detrimento Ecclesiæ ([1]).

" Si animadvertatur bellum Romanorum Pontificum Principatui illatum, Ecclesiae hostes semper auctores habuisse, atque ultimis hisce temporibus perduellium coniuratorum sectas, quibus in dominatu evertendo civili mens fuit, ad ipsam spiritualem Pontificum potestatem aggrediendam atque oppugnandam viam sibi aperire ; hoc idem manifesto confirmat, etiam dum regium Romanorum Pontificum Principatum in divinæ Providentiae consiliis esse, tamquam medium ad pacificum Apostolicae ipsorum potestatis exercitium, quum eorumdem autonomiam libertatemque efficienter tueatur ([2]). " — Ita Leo XIII.

1. *De Rom. Pont.*, pag. 502.
2. Epist. ad Card. Rampolla.

CAPUT QUARTUM.

Justissima est possessio Principatus civilis S. Sedis cum sit singulari consilio Divinæ Providentiæ referenda.

1. Antiquissima sunt ejus initia. — 2. Legitima est ejus acquisitio et possessio, ratione habita tum admirabilis dispositionis Providentiæ, tum legum humanarum. — 3. Historia ostenditur hunc Principatum *acceptum* potius fuisse quam quæsitum. — 4. Ejus constitutio finalis. — 5. Quid hac in re egit B. Carolus Magnus. — 6. Donationes subsequentes. — 7. Conclusio: non datur Principatus civilis ullus adeo legitimus, possessio ulla adeo justa.

1. Initia istius Principatus civilis qui ad Romanam Sedem pertinet antiquissima sunt, et a sæculo septimo et præsertim octavo Ecclesiæ ortum ducunt.

" Quin enim insistamus, merito ait De Angelis, in *divino afflatu*, quo, juxta Eusebium, Constantinus Magnus Romam deseruit et Byzantium petiit, Constantinopolim Novam Romam conditurus, certum est ab initio sæculi septimi Romam ejusque limitrophas provincias incursibus barbarorum patuisse et ignavia Constantinopolitani imperii derelictas, ac veluti vacante domino temporali, adeo adhæsisse summis Pontificibus, quorum opera et labore pluries ab incursu barbarorum salvæ factæ erant, ut eis se dedissent regendas et gubernandas. Quæ proinde dominatio, ut decens erat, initium omnino impollutum ac justum habuit (1). "

Peccant proinde in historicam veritatem auctores illi, qui hujus temporalis dominii prima initia repetunt a spontaneis donationibus Pepini et Caroli Magni. Isti tantum, ut refert historia, dominium S. Petri et civitates S. Sedis a Longobardis usurpatas vi armorum repetierunt, et Pontifici ut

1. De Angelis, *Præl. Juris can.*, lib. III, tit. V, n. 12.

legitimo possessori restituerunt ; provincias illas nova donatione auxerunt, non autem primitus donarunt ([1]).

En quæ de origine Statuum Ecclesiæ dixit olim mitissimus Papa Pius VII : " Quum octavo sæculo grassaretur ex Leonis Isaurici perfidia Iconomachorum hæresis, quum Longobardicis armis squallerent omnia, quin miserrimis Italiæ rebus ullum ab imperatoribus præsidium expectari posset, mirum profecto est, quo studio, qua cura, qua sollicitudine Romani Pontifices populorum incolumitati consulerent. Id tum Gregorius II, tum Gregorius III, tum Zacharias, viri sancti, feliciter præstitere, ponentes se ut murum æneum pro populo suo.

" Ex quo factum est ut potior esset Romæ et apud Italiæ populos Pontificis auctoritas, quam orientalium imperatorum, qui sedem imperii et provincias hostibus diripiendas dimiserant.

" Itaque primum Romani, tum plures Italiæ civitates spontanea deditione Romanæ Ecclesiæ potestati se subjecerunt, cujus præterea auctoritas mirum in modum amplificata est ex suavi et levi Summorum Pontificum imperio. "

2. Acquisitio et possessio Principatus civilis legitima fuit et est, ratione habita admirabilis dispositionis divinæ Providentiæ, tum etiam habita ratione legum humanarum. Quod egregie probat Palmieri.

" Illud merito dicitur institutum providente Deo, quod, mediantibus quidem naturalibus causis, divina Providentia non solum permittit, sed positive intendit atque sapienti ratione assequitur.

" Hoc posito sic arguimus : singulari consilio divinæ Providentiæ referenda est in acceptis ea institutio, quæ efficaci modo ac suavissimo obtinetur, et quæ cum bona in se sit ad finem intentum a divina Providentia vel maxime, vel unice ratione habita historicorum adjunctorum conducit. — Atqui

1. Pius VII, Alloc. 11 Julii 1808.

talis est institutio Principatus civilis Romani Pontificis. Ergo.

" Major patet, tum quia proprium est divinæ Providentiæ efficaciter simul et suaviter, utpote omnium causarum Dominæ, finem suum assequi, tum quia quod bonum est, et ad finem intentum conducit, non permissum sed volitum a divina Providentia dicendum est.

" Minor autem probatur. — Et primo quidem eo quod efficacia et suavitas præclarissime splendescent in institutione Principatus civilis, qui sine vi et fraude, ipsis causis naturalibus juvantibus, rerumque ordine veluti efflagitante, sensim sine sensu adolevit, suamque firmitatem omnibus consentientibus nactus est.

" Quod autem secundo per ipsum *maxime*, hoc est perfectiori modo obtineatur finis, qui est independentia Pontificis ejusque plena libertas, et ita perfecta, quoad hoc caput, administratio Reipublicæ christianæ, — id est per se evidens. Quare etsi non unice conduceret ad finem intentum a divina Providentia Principatus civilis, illud satis esset ut diceretur iste Principatus romanus singulari consilio divinæ Providentiæ esse institutus.

" Verum cum affirmatur Principatum civilem esse institutum singulari consilio Dei, illud quoque spectatur, quod nempe ipse sit medium necessarium ad finem quem Providentia intendit ; non quidem per se seu absolute, sed ratione habita certorum adjunctorum, ita ut ipse in iis adjunctis unice valeat ([1]). "

3. Quemadmodum speramus fore ut dominium temporale, divina disponente Providentia, Sanctæ Sedi restituatur, ita maxime convenit, contra Ecclesiæ adversarios, ex historia quoque ostendere, quanto jure, quantaque necessitatis vi iste Principatus conditus sit, et quam multa et maxima bona inde Ecclesiæ ac societati civili provenerint.

1. *De Rom. Pont.*, pag. 503, 504.

Videbimus, quod multis prorsus ignotum est, a Romanis Pontificibus, summa cum justitia ac necessitate cogente, hunc Principatum civilem *acceptum potius fuisse quam quæsitum.* Itaque, duce clarissimo Jungmann [1], tria videbimus, scilicet.

(1). Causas atque eventus quibus providentialiter præparatus fuit Principatus civilis Romani Pontificis.

(2). Elevationem Pipini in Francorum regem a Romanis Pontificibus factam, ita ut vicissim Pipinus, ejusque successores, operam contulerint ut Pontificum Principatus civilis, qui jam exstabat, formaretur.

(3). Constitutionem finalem hujus Principatus temporalis.

(1). Haud inopinate, vel ex improviso, vel a subitaneo facto politico dominium temporale Sanctæ Sedis fuit constitutum, sed diuturno tempore per sæculorum decursum, disponente Providentia divina exsurrexit : sæcula illud molita sunt regnum, et bene molita sunt dicemus ut olim Napoleon Buonaparte fertur dixisse. Veluti fundamenta hujus Principatus præbuerunt patrimonia illa Ecclesiæ Romanæ, latifondia nempe amplissima, quibus paulatim per pietatem tam fidelium quam principum Sancta Sedes ditata erat.

Constat, ut fatentur probatissimi historiographi, Ecclesiam, quæ tribus prioribus sæculis jam fundos haud parvos adepta erat, et ampliores acquisivisse brevi post triumphum Constantini, adeo ut ineunte jam sæculo VI proprietatibus et patrimoniis gauderet non in Italia tantum sed in Sardinia, Sicilia, Corsica, Gallia, Africa, Illyria et Asia [2].

Hisce brevi post novum et peculiarem characterem auxit supremus influxus quem in res civiles summi Pontifices exercebant tum ob concessiones imperatorum ac regum, tum

1. *Dissert. select. in Hist. Eccl.*, t. III, dis. 14.
2. Wouters, diss. VIII. — De Brabander, *Jus can.*, I, p. 193.

ob excelsam suam dignitatem, tum ob adjuncta externa et vere providentialia.

Inde gradatim per tres quasi epochas dominium temporale privatæ proprietatis crescit in dominium Principatus civilis, donec ad culmen constitutionis et organisationis suæ provehatur sub Carolo Magno et Leone III. *Prima epocha* potius innotescit per influxum quemdam civilem et gressus facit a scissione imperii Orientalis ab Occidentali (395). Cui posteriori successive regna Herulorum (475) et Ostrogothorum finem imposuere, donec tandem imperium græcum Constantinopolitanum vix et ne vix quidem Italiam ejusque populos subigere est conatum (554 ad 568). Uti dicemus hæc tamen Græcorum invasio et possessio mox a Longobardis impetita nunquam non præcaria exstitit.

Ex hujusmodi adjunctis temporum et rerum non potuit quin maxime cresceret ille influxus civilis Pontificum, præsertim cum Longobardi jam magnam Italiæ partem occupaverint.

Etenim contra invasionem horum barbarorum imperatores Byzantini Italiam nonnisi segnissime et plane inefficaciter defenderunt, ita ut mox sola spes Italorum et salus patriæ in RR. Pontificum interventione et influxu posita videretur. Hinc influxus politicus Pontificum, hinc populorum recursus et ratio convolandi ad ipsos tanquam ad Principes suos.

Oritur hinc *secunda epocha* quæ recte diceretur elaboratio suavis primi nuclei dominii temporalis Papæ in *Status Pontificios* Reipublicæ Romanæ cui accedunt brevi et aliæ Italiæ partes.

Tunc enim temporis hunc Principatum civilem agnoscunt atque dono confirmant erga Ducatum Romanum ad utramque Tiberis ripam, Athalaricus et Theodatus legitimi successores Ostrogothorum regum (526-533). Accedit deinceps sanctio pragmatica Justini imperatoris Vigilio Papæ concessa

ad ratihabendam et legitimitatem agnoscendam concessi dominii (537-555) necnon protectio et bonum officium S. Gregorii Magni in conciliando S. Sedi populos Italicos. Mox vero Gregorius II papa excepit in regimine Urbis gubernatorem Byzantinum qui potius honoris et invigilantiæ causa adhuc Romæ videtur stetisse (726).

Succedit et *tertia epocha* (ab annis 726 et 731 ad 741 et 752) consolidationis firmæ Principatus çivilis.

Cum enim Byzantini imperatores jam incapaces exstitissent retinendi et Exarchatum Ravennatensem (vulgo *la Romagne*) atque Pentapolim (vulgo *duché d'Urbin et marche d'Ancône*) Principatum eorumdem plane et naturalissime devolutum esse censerunt Romanis Pontificibus quorum tunc temporis jus erat, sicuti de facto constat, et condere leges et inire fœdera cum aliis regibus civilibus ([1]).

Talis fuit Providentialis elaboratio hujus singularis dominii civilis S. Sedis per quinque ferme sæcula ut fas sit nos exclamare cum poeta hanc novam Romam alludentes : *Tantæ molis erat Romanam condere gentem !*

Restabat ut operis Providentialis coronatio fieret per Francos, nimirum per Pipinum regem et Carolum Magnum imperatorem.

Nil mirum igitur si, ut Longobardos repellere et in propriis statibus sese tueri possent, RR. Pontifices jam ut Principes constituti et ab imperatoribus derelicti ad Francorum reges recurrerunt eosque beneficiis sibi devinxerunt.

Et ita factum est ut, extincta imperatorum orientalium in Italiam dominatione, et everso Longobardorum regno, tandem a Francorum Principibus dominium temporale S. Sedis sit firmatum.

Nunc tamen haud ingratum fore putamus hæc per singula aliquanto accuratius exponere, quo magis pateat non communis tantum sed singularis quidam Providentiæ cursus, qui

1. A. Gosselin, *Pouv. des pp. au M. A.*, I.— Hergenrœther, *Hist. de l'Église*, II.

influxum R. Pontificum fortiter et suaviter provexit ad Principatus civilis regimen perfectum.

Uti diximus tempore Constantini conversi, reddita pace Ecclesiæ, bona illa immobilia admodum aucta sunt, præsertim occasione conversionis, vel clericalis ordinationis, vel professionis religiosæ quorumdam prædivitum et etiam ex oblationibus continuis fidelium. Sed ut recte perspiciatur magnus influxus qui ex istis bonis S. Sedi obvenit, præ oculis habendum est si v. g. tempore S. Gregorii Magni, anno 600, Ecclesia Romana patrimonia sita habebat in Africa, Gallia, Sicilia, Corsica, Dalmatia, et præsertim in Italiæ meridionalis provinciis Campaniæ, Calabriæ et Lucaoniæ, necnon in Italia septentrionali, ubi Alpes Cottiæ ad patrimonium ejus pertinebant. Præ oculis habendum est, proprietates possessionesque hujusmodi non affecisse merum fundum terrarum, sed et simul ruricolas earumdem, prout jus et mos temporum patiebantur. Nemo enim nescit agricolas, vinitores, conductores agrorum, pastores, rusticos pene universos servilis fuisse conditionis, ad solum quasi alligatos, agrisque colendis ipsa nativitate mancipatos.

Eos igitur agros accepit Ecclesia cum colonis suis, et cum in iis regendis pia Mater servile jugum mirum in modum lenivit, quamvis hi plerumque nexu servitutis retinerentur territorio devincti, in eos tamen mirum influxum exercuit.

Proinde ex talibus possessionibus in dies non mediocrem auctoritatem in populos dimanasse ob difficillima adjuncta temporum nullus est qui non videt.

Accedit insuper ut jam a sæculo quarto Romanus Pontifex et Episcopi permagna potestate in res civiles aucti essent ab ipsis imperatoribus : verumenim summi judices et administratores civitatum ac provinciarum haud raro constituebantur.

Postea vero quum sæculo quinto primæ barbarorum catervæ Urbi imminerent, in summo periculo suis subsidio adfuerunt præsertim Romani Pontifices.

Nemo est qui nesciat per S. Leonem factum fuisse, anno 452, ut Attila, Hunnorum rex, Romæ parceret, et cum copiis suis recederet. Paulo post, anno nempe 455, idem Pontifex a Genserico, Vandalorum rege, obtinuit, ut Urbs servaretur et vita habitantium incolumis esset.

Sub Theodorico, Gothorum rege Ariano (a. 488), Romani Pontificis influxus in res quoque civiles maximus habebatur.

Ast tempore Longobardorum (a. 568) jam viget in Papa influxus et protectio quam decet Principem habere in suos, jam unicum refugium et tutum Italis præsidium videbatur soli S. Sedi inesse. Pontifex enim multoties pacem et pacta conciliat Italos inter et Longobardos, qui Pontificis dignitatem multo plus reverebantur quam exarcharum imperialium potestatem.

Tanti fuerunt in ejusmodi gestis, exeunte sæculo VI et ineunte VII, S. Gregorii magni labores, ut influxus ejus jam inde Principatui cuidam civili plane compar esset. Imo, sicuti egregius Card. Hergenrœther in sua scripsit historia, curia græca facta imbecilla Lombardisque invadentibus, dicere fas est Gregorio Pontifici incumbendum fuisse majori negotiorum sæcularium parti, quum unusquisque ab ipso præsidium ac salutem peteret. Ipse debuit impensas belli Lombardis illati præstare, Romæ et vastatis Italiæ provinciis frumentum providere, securo otio habitantium invigilare, qui justitia ejus et mansuetudine nixi, promptis animis ipsi obediebant ([1]).

Sæculo septimo et ineunte octavo, res non tantum in eodem statu permanserunt, sed et magis confirmata fuit regia protectio S. Sedis et magis magisque Itali considerarunt Papam ceu protectorem præcipuum ac ducem. Hinc factum est ut, dura et Italis exosa cum esset Longobardorum dominatio in maximam Italiæ partem eorumque rex Luitprandus Romam jam obsideret, Gregorius III, omni spe accipiendi

1. Hergenrœther, *Hist. de l'Église*, II, p. 382.

auxilii ab imperatore Orientis destitutus, sese tandem ad Carolum Martellum vertit Francorumque opem imploravit. Pontificis interventio optimum habuit exitum. Nam, quum Carolus Martellus eo tempore amicitia junctus esset Luitprando, factum est ut hic ab obsidenda Roma desisteret et in sua rediret dominia. Ast pax momentanea fuit. Anno enim 741 S. Zachariam, Gregorii III successorem, cum Luitprando ipso tractare cernimus ut Longobardorum rex plures civitates necnon varia patrimonia Pontifici restituat, patrimonia nimirum illa quæ, ut supra notavimus, maxima parte extra ducatum Romanum erant sita, et quæ Pontifici, non vero imperatori Græco, ut possessio sua restituuntur. Quatuor insuper civitates redduntur ducatui Romano, seu Reipublicæ Romanæ, in qua jam per longum tempus Pontifex de facto præcipuam habebat auctoritatem, quamvis aliquamdiu magistratus essent Byzantini vel deinceps ab ipsis Romanis electi, et nominatus ducatus aliquamdiu, potius nominatim, adhuc ad provinciam imperii pertineret. Videre est ergo ex historia quantopere S. Zacharias aliique Pontifices laboraverint ut Imperatoris dominium subsisteret, et quantum alieni fuerint a dominandi ambitione ita ut nonnisi quasi reluctanter et urgente singulari Providentiæ consilio rerum potiti sint (1).

Tempore Stephani II, S. Zachariæ successoris, rex Longobardorum erat Aistulphus, qui territoria mediæ Italiæ imperio adhuc subjecta, annis 751 et 752 occupavit, atque dominationem imperatoris Constantinopolitani in illis partibus penitus extinxit.

Inde ab anno 752 *de facto* effulsit omnimoda independentia Romani Pontificis et Romanorum ab imperatore Orientis; inde etiam ab hoc anno Principatus civilis S. Sedis omnino

1. " Il est curieux de voir les Papes, souverains de fait depuis le départ des empereurs, défendre le droit des empereurs sur l'Italie et sur Rome, et leur demeurer fidèles au milieu des bouleversements amenés par les invasions jusqu'à ce qu'enfin le vœu des peuples les oblige de secouer définitivement un joug devenu tout à fait intolérable. " (Laforêt, *Revue catholique*, t. XXXI, pag. 139.)

perfectus reputari potest, brevi post firmatus et ampliatus.

Arma sua dein Aistulphus vertit ad expugnandum quoque ducatum Romanum. Stephanus II tandem pacem in quadraginta annos cum eo concludit; sed mox fœdera rupta sunt. Pontifex ab imperatore Orientis auxilium postulat; sed frustra. Constantinus Copronymus, bello contra sacras imagines gerendo unice intentus, nihil fecit ut Longobardos reprimeret. Confugit ergo Pontifex ad Francos et Pipini petit auxilium, qui auxilium promisit Papamque ut in Galliam veniret invitavit. Stephanus Roma profectus, prius quam ad Galliæ fines progrederetur, intrepide adivit Aistulphum. Hic, quamvis ægerrime tulerit Stephanum in Galliam proficisci, non ausus est eum retinere. Hujus itineris felices fuerunt fructus. Nam auxiliis Pipini et dein Caroli Magni, potestas Longobardorum fuit repressa, demumque contrita, Principatus vero civilis S. Sedis firmiter constitutus.

Ast decet ut jam de elevatione Pipini ad regnum et de beneficiis mutuis inter Pontificem et regem Francorum instituatur sermo.

(2). Mediante sæculo octavo in regno Francorum deposita fuit antiqua stirps Merovingorum, quæ jam diuturno tempore intestinis familiæ discordiis, polygamia et luxuria debilitata, repræsentabatur in rege Childerico III, puero decem annorum nato, inepto et regiminis incapaci. — Majoratus domus seu summa regiminis erat penes Pipinum, qui res Francorum pro virili parte gessit, rebelles redegit, hostesque domuit. Cum vero vastissimum Francorum regnum seditionibus, necnon Maurorum aliorumque hostium incursionibus pateret, proceres ecclesiastici atque civiles, pro Ecclesiæ ac Reipublicæ bono, consilium inierunt abdicandi Childericum III et regem creandi Pipinum. Adeundum prius censuerunt Romanum Pontificem et ad eum missi sunt legati qui, tum Pipini, tum Francorum nomine Papam interrogarent utrum is, qui merum regis nomen, an is qui regiam potestatem haberet, rex

esset vocandus. Respondit Pontifex, melius atque utilius esse, ut ille qui potestatem habebat rex nominaretur et esset, quam is qui merum regis nomen gerebat. Quapropter Franci, abdicato Childerico III, Pipinum in regem elegerunt, qui postea ab Episcopis Galliæ, imo iterum a Stephano Papa solemniter in regem unctus fuit.

Casus ergo fuit hujusmodi ut in mentem revocetur hæc judiciosa animadversio cl. Bellarmimi : " Non potest Papa, ut Papa, ordinarie temporales Principes deponere, etiam justa de causa, eo modo quo deponit Episcopos, id est tamquam judex ordinarius ; tamen potest mutare regna et uni auferre atque alteri conferre, tamquam summus Princeps spiritualis, si id necessarium sit ad animarum salutem ([1]). "

(3). Jam videamus constitutionem finalem et coronationem quasi vere providentialem Principatus temporalis S. Sedis. Hæc sunt gesta Dei per Francos.

Mense Septembri 754 rex Pipinus cum copiis suis Alpes transgressus, Longobardorum regem Aistulphum prœlio vicit fugatumque insequens Papiam obsedit. Stephanus Papa II regi Francorum comitatus est, sed timens ne christiani sanguinis nova fieret effusio, cum Pipino convenit, ut acceptis ab Aistulpho juramento obsidibusque pro restituenda Ravenna, pax concluderetur. Cui Pipinum sic pulcherrima respondisse historia narrat : " Fiat secundum præceptum tuum, benignissime Pater. " — Spopondit itaque Aistulphus sub terribili sacramento et per scriptam paginam se illico redditurum Ravennam cum aliis civitatibus. Quibus peractis, Pipinus in Galliam, Papa Romam rediit. Attamen Longobardorum rex promissis nullatenus stetit, et versus finem ejusdem anni Pontifex in litteris ad Pipinum de Aistulpho sic conqueri coactus fuit: " Nec unius palmi terræ spatium B. Petro, sanctæque Dei Ecclesiæ vel reipublicæ Romanorum reddere

1. *De Rom. Pont.*, lib. V, c. 6. — Nonnulli tamen Doctores huic Bellarmini sententiæ contradicunt

passus est. " Quinimo anno 756 Aistulphus quum ipsam Urbem Romam ingenti exercitu cingeret, Pontifex Pipinum denuo obtestatus est qui civitatem, nova expeditione facta, defenderet. Quapropter Francorum rex iterum jugum Alpium superavit et mense Aprilis Romam liberavit.

Sed interim ab imperatore Constantinopolitano negotiatione diplomatica actum est ut Italiæ provincia imperio Byzantino conservaretur. Quam propositionem Pipinus merito recusavit renuens reddere eas Longobardorum civitates quas nuper Aistulpho eriperat. Et jure meritoque: imperatores enim jam diu Italiam non solum non tuiti erant contra Longobardos, imo hostili animo in Pontifices et Italos passim sese gesserant; jure belli igitur poterat Pipinus vel sub supremo suo dominio provincias ut eas protegeret retinere, vel eas tradere Pontifici Romano, ut sub ejus dominio Itali sui juris essent. Et hoc consilium iniit Pipinus : Instrumento authentico recensentur nominatim 22 civitates quæ præter dominium S. Sedis proprium Papæ restituuntur.

" Animadvertendum est, observat cl. Jungmann, in documentis illius temporis dici Civitates *reddi ac restitui* B. Petro, Pontifici, reipublicæ Romanæ, Ecclesiæ Romanæ, quæ voces significatione synonyma adhibebantur.

" Haud alluditur ad donationes supposititias Constantini, quæ aliquanto post tantummodo confectæ fuisse censentur.

" In documento donationis Pipini non commemoratur ipse ducatus Romanus, quia de facto jam auctoritati Pontificis subjectus erat nec in manus Longobardorum ceciderat (1). " Generatim ex illo tempore Principatus civilis Romani Pontificis plene constitutus apparet, ita ut suprema auctoritate Romam reliquasque provincias et civitates gubernet. Habebat Papa in sua ditione eam fere auctoritatem et ea jura, quæ antea exarcha Ravennatensis nomine imperatoris habuerat,

1. Jungmann, *Op. cit.*, pag. 135.

sed Pontifex proprio nomine iis fungebatur (1) : erat rex independens.

Anno 774-800, Carolus Magnus non solum donationem a Pipino Romanæ Ecclesiæ factam confirmavit, sed novo diplomate a se et ab Episcopis, ducibus et comitibus, qui erant in suo comitatu, subscripto, Romanæ Ecclesiæ donavit exarchatum Ravennatensem totum, insulam Corsicam, provincias Venetiarum et Istriæ, ducatus Spoletanum et Beneventanum cum nonnullis civitatibus adjunctis (2). Addidit Parmam, Mantuam et reliquas partes Pentapoleos cum quibusdam regionibus Lombardorum et Sabinorum et promissione de Sicilia subigenda.

Ex hisce expositis recte colligitur vi cujusdam necessitatis Principatum civilem Romani Pontificis constitutum fuisse, quemadmodum et subsequente ætate usque ad tempora nostra hujus Principatus necessitas pro bono societatis atque Ecclesiæ manifesta apparuit. Dominium illud temporale eo evenit momento, quo imperii jura in mediæ Italiæ provincias de facto conciderant ; neque interierunt hæc jura arte aliqua vel influxu nocivo Pontificum (3).

5. De gestis B. Caroli Magni hac in re præstat verba accipere Pii VII. Cum enim vanus ac superbus Napoleo I Status Ecclesiæ occupasset, contendens eos partes esse imperii illius cujus ipse esset supremum caput, tamquam Caroli Magni jurium hæres (!) ait mitissimus Pontifex : " Quam falsa sint re ipsa conficta illa Caroli Magni in ditiones nostras jura, nihil opus est oratione Nostra ut constet. Illud et certum, et notum, et quoquo versus pervagatum est : 1) Carolum Magnum a Pontifice Romano creatum imperatorem fuisse ; — 2) Carolum Magnum munifica, piaque liberalitate sua Sedis Apostolicæ dominia, quorum Ipsa potiebatur,

1. Jungmann, pag. 136.
2. *Ibid.*, pag. 141. — Abb. Gosselin, *Pouv. des PP. au M. A.*
3. Jungmann, pag. 166.

auxisse ; — 3) Carolum Magnum, erepta a Longobardis regibus Sedis Apostolicæ dominia, Eidem armis recuperata restituisse.

" Illud in hac re animadvertere satis est, etiamsi daretur falsa non esse conficta illa Caroli Magni jura, tamen a Napoleone imperatore compertam non fuisse Sedem Apostolicam, atque Nos ipsos, qui eam divinitus habemus, in eo rerum statu, in quo Prædecessores Nostri a Carolo Magno comperti fuerunt ; Apostolicam Sedem libero et nemini obnoxio, continuis decem sæculis, summo in ditiones suas imperio potientem ac fruentem, Napoleo imperator comperit ([1]). "

6. Donatio Caroli Magni aucta fuit a filio ejus Ludovico, anno 817, qui non solum Siciliam sed et Sardiniam S. Sedi subigere promisit ; ab imperatore Othone, anno 962 ; ab Henrico II in 1020.

Immo res adeo sacra civilis auctoritas B. Petri ac per eum Romanorum Pontificum successorum perenniter habita est, ut ex causa tergendi culpas ac cœlestem merendi coronam aucta et amplificata in dies extiterit. Enimvero hac præcise de causa comitissa Matilda, anno 1077,cuncta, quæ possidebat, beato Petro per interventum successoris Pontificis Gregorii VII donavit, edicens : " Ego Matilda, Dei gratia comitissa,*pro remedio animæ* meæ et parentum meorum dedi et obtuli Ecclesiæ Sti Petri per interventum domni Gregorii papæ VII omnia bona mea jure proprietario ([2]). "

7. Conclusio est hæc ergo quam merito notat sanctissimus Dominus Leo XIII : " Initium vitamque sumpsit civilis Ecclesiae Dominatus, non phrenetici furoris ope, sed *divinae Providentiae consilio*, optima quaeque prae se ferens, quae legitimam cuiuslibet Principatus valent constituere possessionem ; nimirum :

1. Alloc. 16 Martii 1808. *Bullarium*, Edit. Prati, pag. 1044.
2. Pallottini, *Sacerdotium et Imperium*, II, cap. 1, a. 3, n. 69.

" 1° Grati animi in populis beneficio affectis ;
" 2° Ius gentium ;
" 3° Spontaneus civilis assensus ;
" 4° Suffragium denique saeculorum (1). "

Quæ cum ita sint, logice concludere licet : A Domino factum est istud Dominium temporale S. Sedis et est mirabile in oculis nostris ! — Non datur in toto orbe terrarum regnum ullum vel solium adeo antiquum, adeo legitimum, adeo purum a sanguine, a fraude, ab ambitione, adeo sanctum et venerandum, quam Dominium totale et integrum S. Romanæ Ecclesiæ !

Uno verbo Dominium temporale S. Sedis factum divinum æstimamus, institutum nempe Providente Deo, vel singulari divinæ Providentiæ consilio, quo " illud quoque spectatur quod ipsum sit medium necessarium ad finem quem Providentia intendit : Non quidem per se seu absolute sed ratione habita certorum adjunctorum *ita ut ipsum in iis adjunctis unice valeat* (2). "

" Et sane (ut scite aiebat celebri littera pastorali ad populum quam dictabat olim de temporali Principatu R. Pontificis Perusiæ Episcopus, quem nunc Leonem XIII festanter salutamus), suprema R. Pontificum potestas iam ab origine suum in se habebat suae temporalis potestatis germen, quod gradatim se explicabat, et iugiter in incremento erat usque dum perveniret ad suam perfectionem. Est lex ordinaria terrenarum rerum, quae ab incunabulis vix percipiuntur : sic homo infans successive ad maturam aetatem perducitur : fructus in planta, plantae in semine continentur, et nonnisi pedetentim ad maturitatem suam perveniunt (3)."


" Patet ergo voluntas Summi Dei qui " ad potestatem (Pontificiæ immunitatis) libere toto orbe exercendam providissimo consilio illud factum esse decrevit ut, post pericu-

1. Epist. ad Card. Rampolla, 24 Junii 1895.
2. Palmieri, *De Rom. Pont.*, t. XXIV, § VI, p. 588.
3. Apud Scavini, *Theol. mor. universa cura Del Vecchio*, n. 234.

losa primae aetatis discrimina, civilis Principatus Romanæ Ecclesiæ adiiceretur, eidemque longo saeculorum tractu, inter infinitas rerum vicissitudines regnorumque ruinas conservaretur (1). "

" Hac autem ratione (manifestato singulari Providentiæ consilio) sane gravissima, pergit Pontifex, non regni ambitu ut saepius ediximus, non dominandi cupiditate permoti, Romani Pontifices quoties civilem hunc Principatum turbari et violari censerunt, Apostolici muneris esse putarunt sacra Romanae Ecclesiae iura sarta tecta servare et pro viribus tueri; Nosque ipsi Predecessorum nostrorum exempla secuti, haec eadem iura asserere et vindicare non praetermisimus, nec unquam praetermittemus. " *Quod Deus ita coniunxit homo non separet!* "

1. Alloc. ad Ephem. script. 22 Feb. 1879.



Juxta F.W. Putzgers. – Leipzig. 1890

CAPUT QUINTUM.

Sacer fit exinde Principatus civilis S. Ecclesiæ. Sacratissima est quoque Roma papalis.

1. Sacra hæc possessio quia nunc necessarie unita auctoritati sacræ summi Pontificis. — 2. Sacra in origine sua, quæ constat ex donationibus.— 3. Sacra propter beneficia societati civili præstita. — 4. Sacra propter duodecim sæculorum præscriptionem.— 5. Hinc magni semper exstitit Pontificibus et Conciliis hæc possessio. — 6. Hæc omnia speciatim et potiori jure de Urbe æterna Roma valent, quæ imperio Universali divinitus fuit prædestinata. — 7. Cujus sortes semper cum sortibus Vicarii Christi sunt ligatæ. — 8. A quo semper et maxima accepit beneficia. — 9. Sacratissima est Roma ut caput Orbis catholici, ut centrum spiritualis societatis Ecclesiæ. — 10. Sacratissima propter sepulchra Apostolorum Petri et Pauli. — 11. Et aliorum millium sanctorum. — 12. Propter splendorem cultus. — 13. Propter innumerabilia alia capita. — 14. Demum sanctitas Romæ patet vel ex odio inimicorum Dei in eam. — 15. Sit Vaticanus nobis instar montis Sion.

1. Non tantummodo legitima est in sua origine Principatus temporalis S. Sedis, sed et sacra est ejus possessio, utpote pertinens ad *auctoritatem sanctam Vicarii Christi* atque juxta singulare Providentiæ decretum ipsi necessarie unita.

Et quis narret quantum sanctitatis ex tali conjunctione obveniat huic Principatui civili ?

— Reapse ; Auctoritas Summi Pontificatus fuit directe a Filio Dei instituta et Beato Petro data;

— collata fuit per Petrum ad hujus successores, Romanos scilicet Pontifices ;

— destinata fuit missioni reparatrici Filii Dei usque ad consummationem sæculorum in mundo prosequendæ ;

— ornata existit præclarissimis prærogativis ;

— affatim donata juribus sublimibus, propriis ac legitimis,

quæ ad regendam veram perfectissimamque societatem requiruntur ;

— non potest, tum ob naturam sui, tum ob expressam divini sui ipsius Fundatoris voluntatem, humanæ cuilibet in terris potestati subesse unquam ;

— debet in Officii sui muneribus fungendis amplissima frui libertate (1) ;

— libera autem esse non potest nisi in suprema civili Potestate ei providentialiter collata ;

Ergo sancta est natura sua civilis hæc Potestas quemadmodum sancta est Ecclesia, sanctificata sanguine et permanente mansione in ea Christi Domini, qui autonomastice vocatus est ab angelo Gabriel " Sanctum ".

2. Sacra est possessio temporalis Dominii Ecclesiæ et immaculata in ortu suo, cum etenim, uti supra vidimus, Donatores ejus ex pia et mere religiosa intentione egerint in offerendo villas et possessiones consecrando B. Petro, clavigero cœli, vicario Christi, in persona summi Pontificis, vel convolando ad hunc tamquam ad Patrem, tamquam ad cœlestem Protectorem pro tutela contra inimicos suos. Ex sancta ergo, pia et christiana intentione christifidelium concepta imo et orta est possessio temporalis S. Sedis et continuo sacram originis tesseram præsefert (2).

Vicissim acceptatores Pontifices sancte egerunt quippe qui pari intentione, nequaquam vero dominandi cupidine seducti, sed ut omnibus essent omnia, ceu veri servi

1. Leo XIII ad Card. Rampolla, 15 Junii 1887.

2. " C'est un des spectacles les plus curieux de l'histoire, ainsi que l'a déjà observé le comte de Maistre, que l'*opération cachée* qui prépara et éleva graduellement le pouvoir temporel des Papes. Sous le feu même des persécutions, cette *mystérieuse* préparation se révèle à l'observateur attentif. Non seulement l'Évêque de Rome y apparaît jugeant, comme les autres évêques et conformément aux recommandations de l'apôtre saint Paul, les affaires temporelles de la communauté qui lui est spécialement commise ; mais la magistrature suprême, dont il est investi, dans l'ordre religieux, imprime à cette judicature inférieure un caractère de majesté, en même temps qu'*elle provoque de la générosité des chrétiens des donations de toute nature* qui lui apportent avec une certaine

servorum Dei facti, has donationes in finem sanctum acceperint.

Bonum est ergo sacrum, Patrimonium S. Petri bonum seu Patrimonium familiæ sacræ cujus pater est Pontifex, cujus filii sunt christifideles per universum sparsi. Bonum est in solidum possessum, cujus violatio redundat in societatem sanctam, quæ est Ecclesia catholica.

3. Sacra est possessio temporalis Ecclesiæ Dominii, propter innumera atque immensa sanctitatis et salutis et prosperitatis beneficia ejus ope a Ponctificatu humanæ societati præstita. — " Romanorum Pontificum eorumque Principatus insignia decora profecto sunt : Barbarae quaeque gentes vel expulsae, vel civilibus excultae moribus; — tyrannis fortiter oppugnata fraenisque coercita;— litterae,artes,scientiae ubique promotae ; — municipiorum omnimoda libertas ; — militares in Musulmanos expeditiones, quando hi non Religioni modo, sed et civili christiano cultui atque Europae tranquillitati hostes omnium maxime formidabiles erant [1]." Innumera ergo hujuscemodi commoda in Italiam totamque Europam mirificentissima, etiam in re politica et civili, et ad hæc usque tempora, contulit potestas papalis.

Quibus in beneficiis non infimum locum occupat sacra conservatio ordinis et salus juris publici inter varias Europæ nationes.

" Exploratum est olim plurimum in rebus etiam civilibus auctoritatem Romanorum Pontificum valuisse. Non raro usu veniebat ut ad eum, velut ad parentem publicum con-

richesse, le signe extérieur de la puissance. — On sait l'usage vraiment nouveau que le christianisme faisait de la richesse. Dès le second siècle l'histoire nous montre *la charité du chef de l'Église romaine embrassant le monde*, et cet usage datait de plus haut. Les aumônes de l'Église de Rome vont soulager jusqu'aux communautés chrétiennes de la Syrie et de l'Arabie. La charité était organisée et formait au sein de Rome une vaste administration hiérarchique. Il est hors de doute que le Pontife romain disposait de ressources considérables, même en possessions territoriales. (Laforêt. *La question Romaine*. — *Revue catholique*, t. XXXI, pag. 134.)

1. Leo XIII, Epist. ad cit. Card. Rampolla.

fugerent civitates. Apostolica Sedes perinde habebatur ac propugnaculum iustitiae et infirmiorum tutela adversus iniurias potentiorum. Et hoc quidem cum magna utilitate communi ; hac enim ratione factum est, ut, Pontificibus auctoribus, diremptae saepe sint controversiae, sedati tumultus, sublatae discordiae, bella composita.

" In hoc tamen magisterio populorum ac pene *dictatura*, nemo Romanos Pontifices iure coarguet imperii sui vel opes augere, vel fines proferre voluisse.

" Omnem potestatem suam illuc semper converterunt, ut civitatibus prodessent [1]. "

Item haud parum fuit societati publicæ beneficio Dominium S. Petri, cum semper exstaret civitas refugii et altera quasi patria pro hisce infortunatis qui alibi non erant nisi profugi vel exules. Sic sæculum nostrum intuitum est Pium VII hospitalitatem regalem offerentem matri et familiæ Napoleonis I, persecutoris sui, quæ post hujus novi Atillæ casum, ubique terrarum rejiciebatur [2].

4. Possessio Dominii temporalis S. Sedis manet perpetuoque sacrata manebit vel propter titulum diutissimæ et pacificæ occupationis a S.Sede necnon præscriptionis peractæ.

" Illud, quod maximi ponderis est, — inquit Pius VII, — ad tuendum Romanæ Ecclesiæ in suis ditionibus Principatum a longæva decem et ultra sæculorum pacifica possessione repetere præsertim oportet, quam neque unus ex regibus, aliisque potentatibus sæculi proferre potest.

" Imo si quis cujuscumque familiam tam longævæ possessionis jure munitam a privato fundo exturbare auderet, neque a judice audiretur, et nonnisi per vim et calumniam id fieri posse unusquisque censeret ; — quanto magis Ecclesiæ, et præsertim Romanæ, cui tanta privilegia concessa sunt, et contra quam nec longissimi temporis valet

1. Leo XIII, Epist. ad Episc. Siciliæ, 22 Aprilis 1882.
2. Vide P. Douglas, *The divine Redeemer and his Church*, pag. 698.

præsumptio, sua temporalis possessio salva et integra servanda est, qua nullum sanctius manere, nulla potior causa ac detentio haberi potest [1]. "

Quod idem egregie ostendit Leo XIII : " Huiusmodi institutio tam legitimis ac spontaneis modis exorta, cui pacifica, nec unquam sive oppugnata, sive in dubium vocata, duodecim saeculorum possessio suffragatur ; quae fidei civilique cultui propaganda adeo potenter navavit operam ; quae ad populorum exigendam pro officiis gratiam tot sibi nomina comparavit, ea nimirum potiori præ alia qualibet iure potitur ut observetur ac sustineatur. Nec ideo quia per vim et repetitas injurias oppressa est, immutata erga illam dicenda sunt divinae Providentiae consilia [2]. "

5. Inspiciendum nunc est quanti habitus sit ab Ecclesia hic civilis S. Sedis Principatus.

De legitimitate ejus nullus ne hostes quidem est qui dubitet; hæc omnibus fatentibus, evidentissimis argumentis demonstrata existit.

Catholici magnis efferunt laudibus donationes vel restitutiones Ecclesiæ factas eorumque auctores de universali Ecclesia benemeritos proclamant.

Exstat series Pontificum a sæculo septimo ad nostram usque ætatem, qui permulti et præcipue doctrina ac sanctitate perspicui, illud Dominium non solum tuta conscientia retinent ; quinimo maximo zelo illud vindicare cernuntur contra invasores, perturbatores et hostes pacificæ Dominationis suæ.

Adsunt testimonia conciliorum generalium singulorum quæ per hunc temporis lapsum acta fuerunt (sunt numero *novem*), quæ quasi testes adstant universi populi Christiani, et non solum nihil in hoc temporali Dominio reprehendendum inveniunt, sed pluries specialia nonnulla ad has possessiones tuendas statuunt.

1. Alloc. 11 Julii 1808.
2. Epist. ad Card. Rampolla. *Acta S. Sedis*, XX, p. 15.

Ita concilium Lateranense IV et concilium Tridentinum contra violatores temporalis Dominii Ecclesiarum anathemata interminantur ([1]).

Quinimo ipsum Constantiense concilium, quamvis vellet reformare Ecclesiam in capite et in membris, nihilominus non modo non putat hunc Pontificum Principatum illegitimum, sed decretum edit pro ejusdem administratione ([2])."

Ut scribit Ferraris : I) Papa, noviter assumptus in summum Pontificem, debet promittere et jurare de non infeudandis civitatibus, oppidis et locis S. Romanæ Ecclesiæ ; — et post coronationem debet sacrum hoc juramentum litteris suis confirmare ([3]). — Sic statuit sanctissimus Papa Pius V, in constitutione 35 quæ incipit *Admonet* § 9, quam constitutionem confirmarunt Pontifices successores :

Gregorius XIII constitutione 3 *Inter cætera,*
Sixtus V constitutione 26 *Quanta,*
Gregorius XIV constitutione 1ª *Romanus Pontifex.*
Innocentius IX constitutione 1ª *Quæ ab hac S. Sede.*

II) Hujusmodi infeudationes consulentes, easque summo Pontifici per se, vel per alium insinuantes, vel suadentes, excommunicationis pœnam ac læsæ Majestatis etiam in primo capite et confiscationis bonorum, privationisque dignitatum ac beneficiorum eo ipso incurrunt, ut statuit idem S. Pius V.

III). Item Cardinales in assumptione pilei et iterum Sede vacante, in conclave, jurare debent prædictam constitutionem observare, eique non contravenire, nec Pontificibus contrafacientibus consentire, neque absolutionem a juramento petere, nec oblatam ut concessam acceptare. Quæ omnia mandavit idem sanctissimus vir Pius Papa V.

Tandem notat Ferraris formam juramenti, qua se obstrinxit

1. Trid. Sess. XXII, cap. 11.
2. De Angelis, *Præl. Juris can.*, lib. III, tit. V, nº 13.
3. *Prompta Biblioth.*, Verbo *Feudum*, art. II, nº 6. et seq.

Papa, longe esse diversam a juramento de non infeodando, quo se adstringunt Prælati inferiores ([1]).

6. " Quæ generatim de civili Pontificum Principatu disseruntur, eadem speciatim et quidem potiori iure praecipuaque ratione de Urbe Roma valere affirmamus.

" Ad quid ea fuerit divinitus destinata in universa eius historia plane ac dilucide perlegitur. Quemadmodum enim in arcanis divinae Providentiae consiliis omnes humani eventus ad Christum eiusque Ecclesiam ordinati fuerunt, sic Roma vetus eiusque imperium pro Roma christiana sunt constituta. Nec sine speciali Dei numine ad illam idololatrae orbis metropolim B. Petrus, Apostolorum princeps, gressus egit, ut eiusdem Pastor evaderet, eique supremi apostolatus auctoritatem in perpetuum transmitteret. Roma vere urbs aeterna non amisit dominationem suam temporalem in gentes nisi ut spiritualem acciperet a Christo.

7. " Ita Romanae civitatis sortes, sacra quadam ratione atque indissolubili, cum IESU CHRISTI Vicarii sortibus fuerunt colligatae. Quum Constantinus Magnus ad transferendam in Orientem Romani imperii sedem convertit animum, sine ulla erroris formidine credi potest, illum divinae Providentiae manu quodammodo ductum fuisse, quo melius divina consilia super Romam Pontificum complerentur.

" Exploratum est autem, post illam epocham, temporum atque adiunctorum gratia, omnino sponte, sine cuiuspiam iniuria, atque obnitente nemine, modis denique perquam legitimis, Romanos Pontifices eius Urbis Dominium etiam civile, nactos esse atque ad haec usque tempora obtinuisse.

8. "Hic vero haud operae pretium esse recensere existimamus maxima beneficia, quae Romani Pontifices huic sibi prae caeteris adeo dilectae civitati compararunt, quaeque ceteroqui indelebilibus characteribus in monumentis omnium saeculorum scripta prostant. Supervacaneum item est innuere

1. L. c., n° 12.

Urbem hanc Pontificalis Dominatus alte impressa vestigia in quaqua sui parte referre, quibus ostenditur eadem ad Romanos Pontifices tot talibusque nominibus pertinere, quot qualiaque in quamlibet sui regni urbem nullus Princeps unquam habuit (1). "

9. Sacra imò et sacratissima est Roma, ceu caput Orbis christiani, ceu centrum vitale hujus societatis almæ quæ est Ecclesia. — Etenim, ut pergit sanctissimus Dominus: " Magni interest animadvertere rationem independentiae et libertatis Pontificis, in exercitio apostolici ministerii, maiorem vim ac prorsus sui propriam acquirere, cum ad Urbem Romam, naturalem summorum Pontificum Sedem, centrum vitae Ecclesiae, caput Orbis catholici, refertur.

" Heic ubi Romanus Pontifex ut plurimum moratur, regit, docet, praecipit, heic sit plena catholicae vitae manifestatio et explicatio; heic cultus solemnitas splendidissima; heic reverentia et observantia exemplaris legum ecclesiasticarum; heic omnium piorum operum catholicorum tranquilla et legalis existentia (2) ".

Ubi Petrus, ibi Ecclesia. Petrus per Romanum Pontificem loquitur, et semper in suis successoribus vivit et judicium exercet, et præstat quærentibus fidei veritatem; et ideo hæc Romana cathedra omnium Ecclesiarum mater est atque magistra. Hæc siquidem principalis Ecclesia, unde unitas sacerdotalis exorta, hæc pietatis metropolis, in qua est integra christianæ religionis ac perfecta soliditas, in qua semper apostolicæ cathedræ viguit Principatus, ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, qui sunt undique fideles, cum qua quicumque non colligit, spargit, — hanc Roma Felix in sinu suo possidet (3).

10. Sacratissima est Roma propter Limina Apostolorum

1. Leo XIII, Epist. ad Card. Rampolla.
2. Cfr Epist. ad Card. Rampolla.
3. Cfr Encycl. Pii IX, *Qui pluribus*, 6 Nov. 1846.

quæ ex omni plaga accurrentes religiose visitant et fructuose Episcopi universi.

Ut eloquenter dixit magnus Pius IX, in allocutione ad Episcopos, qui ob centenarium S. Petri Romam convenerant, die 26 Junii 1867 in consistorio publico habita, et in qua nuntiavit sibi propositum esse concilium œcumenicum celebrare : " Nos semper persuasum habuimus fieri non posse, ut ejus fortitudinis, qua præcipuo Domini munere cumulatus est Petrus, non aliqua semper in Vobis fieret accessio, quoties prope ipsam Petri personam, qui suis in successoribus vivit, præsentes constiteritis *ac tantummodo solum attigeritis hujus Urbis*, quam sacri Apostolorum Principis sudores et triumphalis sanguis irrigavit. Immo etiam numquam nos dubitavimus, quin ex ipso sepulchro, ubi beatissimi Petri cineres ad religionem orbis sempiternam quiescunt, quædam arcana vis et salutaris virtus existat, quæ Pastoribus dominici gregis fortes ausus, ingentes spiritus, magnanimos sensus inspiret, quæque instaurato eorum robore efficit, ut impudens hostium audacia, catholicæ unitatis virtuti et potestati impar, impari etiam certamine residat et corruat (1) ".

Sacratissima est Roma non tantum propter sepulchrum Principis apostolorum sed et propter martyrium ejus coapostoli, Doctoris gentium. Qua de re audiatur eloquentissimus S. Joannes Chrysostomus : " Ego et Romam propterea diligo, tametsi aliunde illam laudare queam, nempe a magnitudine, ab antiquitate, a pulchritudine, a multitudine, ab imperio, a divitiis et a rebus in bello fortiter gestis. Sed his omnibus omissis, ob id illam beatam prædico, quod erga illos Paulus, dum viveret, adeo fuit benevolus, adeo illos amavit, et coram disseruit, et postremo vitam apud eos finivit. Cujus sanctum corpus ipsi possident ; et propterea civitas illa hinc facta est insignis, magis quam ab aliis rebus omnibus ; et tamquam corpus magnum ac validum duos habet oculos fulgentes,

1. *Coll. Lac.*, t. VII, col. 1031, a. et b.

sanctorum videlicet horum corpora. Non ita cœlum splendescit quando radios sol dimittit, quemadmodum Romanorum urbs, duos istos fulgores ubique terrarum emittens. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Considerate et horrete, quale spectaculum visura sit Roma! Paulum videlicet repente ex theca illa cum Petro resurgentem in occursum Domini, sursum ferri. Qualem rosam Christo mittet Roma! Qualibus coronis duabus ornatur urbs ista! Qualibus catenis aureis cincta est! quales habet fontes! Propterea admiror hanc urbem, non propter copiam auri, non propter columnas, neque propter aliam quamcumque rerum speciem, sed propter columnas illas Ecclesiæ (1) ".

Revera juvat ex ore clarissimæ et piissimæ Boetii conjugis hasce excipere laudes et cum Ecclesia cantare hæc cantica:

" O Roma felix, quæ duorum Principum.
Es consecrata glorioso sanguine,
Horum cruore purpurata ceteras
Excellis orbis una pulchritudines (2) ".

11. Sacratissima et pio filiorum cultu digna nobis est Roma propter vitam sanctam, propter martyrium et sepulturam tot beatorum Romanorum Pontificum.

Sancta est et pie colenda propter catacumbas atque reliquias tot millium sanctorum martyrum. Adeo enim sanguine martyrum et cineribus eorum imbibitus et plenus exstat vel pulvis platearum hujus almæ Urbis, ut nobis, sicut olim factum est Moysi e medio rubi ardentis, et vocem edere et clamitare videatur: " Solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est (3) ". — Est terra sanctorum!

12. Sacratissima est Roma in qua splendor cultus, quo ibi

1. Expos. in Epist. ad Rom., Serm. 32 in exhort. mor. vel Brev. Rom. 4 Julii. Lect. V et VI.
2. Brev. 29 Junii ad Vesp.
3. Exod. III, 5.

fulget vera Religio Christiana et " cujus fides,ut olim ait Paulus, annuntiatur in universo mundo [1] ". Sicut Petrus debet in fide sua confirmare fratres suos, ita et cathedra Petri, Ecclesiam Romanam decet per majestatem et solemnitatem rituum sacrorum cœteras confirmare ecclesias, ut matrem decet filias. Et eheu! nunc in Urbe hac sacrosancta nec licet religiosas processiones pacate fieri, nec cum honore sanctissimum Viaticum deferre ad infirmos, nec peregrinantium turbas cum pio decore suscipi. Eheu! quo generosa illa tellus, quo pristina hujus sanctæ Urbis hospitalitas, quam Papa ut rex independens semper largitus est non principibus a regno suo depositis tantum, sed miseris exulibus, verbo: infortunatissimis quibuscumque. Eheu! quo conditio protracta est Patris familias Orbis catholici! Hunc minis et pœnis prohibere, facultas est potestati civili profanæ, quin aliquem e filiis suis, miseratione dignum, ut hospitem domi accipiat.

13. Sacratissima dicatur Roma propter sanctitatis titulos innumerabiles. Quod si vel aditus aulæ regiæ veneratione dignus censetur ex sola frequentatione principum: " Quis dinumerare possit pulverem Jacob et nosse numerum stirpis Israël [2]" i.e. frequentationem dignissimam aulicorum Ecclesiæ? — Ibi enim sunt Cardinales, Principes Ecclesiæ, consiliarii Vicarii Christi, electores successoris ejus. Ibi sunt ecclesiarum Romæ titulares. Ibi sanctuaria et ædes sacræ antiquissima, fere innumerabilia. Ibi Superiores Generales ordinum religiosorum. Ibi legiferæ Congregationes et spiritualia tribunalia. Ibi universitates et collegia, magna luminaria scientiarum. O beata tellus! " Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israël! Ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas! Fluet aqua de situla ejus, et semen illius erit in aquas multas [3]. "

1. *Rom.*, I, 8.
2. *Num.*, XXIII, 10.
3. *Num.*, XXIV, 5 et seq.

14. Sacratissima demum et fortissima sanctitatis munimina manifeste patent et in primis Urbs Roma et reliqua temporalia S. Sedis dominia. Quo enim tendunt et odium quo illam prosequuntur diaboli et asseclæ eorum Massones, quo machinationes, nisi ut rem sacrosanctam evertant? " Quinimo si animadvertatur, scribit Leo XIII, bellum Romanorum Pontificum Principatui illatum Ecclesiae hostes semper auctores habuisse, atque ultimis hisce temporibus perduellium conjuratorum sectas, quibus in Dominatu evertendo civili mens fuit, ad ipsam spiritualem Pontificum potestatem aggrediendam atque oppugnandam viam sibi aperire, — hoc idem manifesto confirmat, etiamnum regium Romanorum Pontificum Principatum in divinae Providentiae consiliis esse, tamquam medium ad pacificum apostolicae potestatis exercitium, quum eorumdem autonomiam libertatemque efficaciter tueatur (1). "

" Adversarii huius Principatus semper fuerunt inimici et persecutores Ecclesiae (2). "

" Omnia tentat Satanas contra Ecclesiam Dei, praesertim vero contra libertatem et independentiam supremi eius Pontificis (3). "

Et nil mirum; angelus rebellionis, qui per lapsum protoparentum civitatem iniquitatis in terris condidit, et illam ad suum perducere fastigium haud semel fuit conatus, tandem præparatum Romanum imperium Romamque nactus est ut eo totam vim et fortitudinem transferret atque imperium universale stabiliret suum.

Ast fortis armatus Christus Jesus, Filius Dei vivi, sacerdos ac rex justitiæ et pacis, civitatem quoque condidit suam, civitatem justitiæ, regnum universale Ecclesiæ suæ. Hic ideo Romanum temporale imperium in imperium altioris divinique ordinis transformavit, in imperium spiritale Ecclesiæ

1. Epist. ad Card. Rampolla.
2. Alloc. 27 Sept. 1888.
3. Alloc. 24 Dec. 1889.

Catholicæ Romanæ. Hic, ut Ecclesia sua solidissimum civilitatis et justitiæ propugnaculum contra quoscumque hostes fieret, Principatum civilem Romanum adjecit proindeque Romam ad verum apicem gloriæ cui prædestinata erat, provexit. Hinc facta est conjunctio cathedræ Petri Ecclesiæque universalis Christi cum Roma antiqua. Hinc Sedes Romana ejusque Principatus centrum fit novi rerum politicarum ordinis. Hinc quoque Sedes Petri ejusque Principatum et centrum fit cui contradicetur sed contra quod portæ inferi prævalebunt nunquam (1).

15. Fas est dicere : Quod olim fuit Israelitis mons Sion, hoc idem nobis, Christianis, mons Vaticanus sit oportet.

" A plaga orientali usque ad plagam maris, et erit sanctuarium in medio ejus (2). "

" Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium ; et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, et dicent : Venite et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Jerusalem. Et judicabit gentes et arguet populos multos. Domus Jacob. venite, et ambulemus in lumine Domini (3). "

" Et dicetis in die illa : Confitemini Domino! Notas facite in populis adinventiones Ejus! Cantate Domino, quoniam magnifice fecit; annuntiate hoc in universa terra! Exsulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui, Sanctus Israël (4)."

" Urbs fortitudinis nostræ Sion Salvator; ponetur in ea murus et antemurale (5). "

" Magnificatus est Dominus : implevit Sion judicio et justitia (6). "

1. Pallottini, *Sacerdotium et Imperium*, I, cap. 1 a. III.
2. *Ezech.*, c. ultim., 8.
3. *Is.*, II, 2-5.
4. *Ibid.*, XII, 4-6.
5. *Ibid.*, XXVI, 1.
6. *Ibid.*, XXX, 5.

" Respice Sion, civitatem solemnitatis nostræ : oculi tui videbunt Jerusalem, habitationem opulentem, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit ; nec auferentur clavi ejus in sempiternum, et omnes funiculi ejus non rumpentur. Dominus enim Judex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster : ipse salvabit nos (1). "

" Consolabitur ergo Dominus Sion, et consolabitur omnes ruinas ejus; et ponet desertum ejus quasi hortum Domini. Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis (2). "

" Et ædificabunt filii peregrinorum muros tuos, et reges eorum ministrabunt tibi ; in indignatione enim mea percussi te, et in reconciliatione mea misertus sum tui. Gens enim et regnum, quod non servierit tibi, peribit. Et venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi, et vocabunt te civitatem Domini, Sion sancti Israël (3). "

Catholici, vindices Patrimonii S. Petri, dicamus ergo cum filiis Israël : « Neque alienam terram sumpsimus, neque aliena detinemus ; sed hæreditatem patrum nostrorum, quæ injuste ab inimicis nostris aliquo tempore possessa est! Nos vero tempus habentes, vindicamus hæreditatem patrum nostrorum! (4) "

" Si oblitus fuero tui (o Roma) oblivioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui; si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ (5)."

1. *Is.*, XXXIII,20, 22.
2. *Ibid.*, LI, 3.
3. *Ibid.*, LX, 10, 12, 14.
4. *Ibid.*, CXXXVI, 5-6.
5. *I Machab.*, XV, 33, 34.

Pars secunda.

De principiis deorganisationis socialis, quae in eversionem Dominii temporalis S. Sedis conspiraverunt.

CAPUT SEXTUM.

Quinam sunt Massones isti, qui in exitium Dominii temporalis conspiraverunt?— Secta eorum, gravida omni errore ac civili seditione, nonobstantibus Pontificum monitis societatem late pervadens, eam Ecclesiamque evertere, atque horrendum paganismum reducere conatur.

1. Massones, minime genuini Itali, sunt qui Romam occupaverunt et quidem eum in finem ut Ecclesiam evertant. — 2. Clerus Belgicus naturam sectæ massonicæ optime pernoscat, oportet.—3. Exordium Encyclicæ *Humanum genus:* de duabus civitatibus, secundum Augustinum. — 4. Brevis conspectus dimicationis a tempore Christi cum Massonum præcursoribus. — 5. Nostro tempore conspirationis dux est Massonica secta longe lateque diffusa et firmiter constituta. — 6. Fabula est hujus sectæ antiquitas, cum orta sit 1717, et tragico- comicæ sint ejus ceremoniæ. — 7. Magis autem seria ejus diffusio ac vis.—8. Consilia sua jam non dissimulat.—9. Damnatur secta a Clemente XII, 1738, et a Benedicto XIV, 1751. — 10. A Pio VII, 1821, et Leone XII, 1825. — 11. A Pio VIII, 1829, a Gregorio XVI, 1832, et persæpe a Pio IX. — 12. Quorum prudentiam eventus probavit. — 13. Sectam sæpe aggressus est Leo XIII, jam ab initio Pontificatus sui; heic autem *ex professo.* — 14. Centrum omnium clandestinarum societatum est Massonica. — 15. Aliquatenus excusantur quidam sectatores singuli. — 16. De NATURALISMO Sectæ disserit Leo XIII, et ostendit quod *A*) QUOAD RELIGIONEM, sicut Naturalismus omnem rejicit revelationem ac doctrinalem auctoritatem, ita Massones satagunt 1°) a gubernio removere principia christiana; 2°) Ecclesiæ efficaciam diminuere; 3°) S. Sedem destruere. — 17. *B*) QUOAD MORES errant in doctrina etiam naturali 1°) de Deo, de Providentia, de immortalitate animarum; 2°) et consequenter in re morum; 3°) Educationem volunt civicam, solutam, liberam; 4°) Hujus fructus. — 18. *C*) QUOAD FAMILIAM: 1°) Matrimonium volunt civile et dissolubile; 2°) educationem atheam.— 19. *D*) QUOAD GUBERNATIONEM REIPUBLICÆ: 1°) homines esse pares; 2°) omnia in

populo esse; 3°) fontem jurium officiorumque esse in multitudine; 4°) atheam esse rempublicam oportere. — 20. Compendium dictorum. — 21. Pessimi fructus ex his erroribus secuti, nominatim *communismus* et *socialismus*. — 22. Quædam de indole hujus Massonum sobolis. — 23. Summa sententiarum capita cum Massonibus habet communia. — 24. Ut eventus probat, præsertim in Italia. — 25. Sectæ agendi ratio relate ad principes. — 26. Conclusio.

---

1. " Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum! Effuderunt sanguinem servorum tuorum tamquam aquam. Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio et illusio his, qui in circuitu nostro sunt. Usquequo, Domine, irasceris in finem [1]? "

Tam necessarium, tam legitimum, tam sanctum Sponsæ Christi Dominium videmus injuste, subdole et sacrilege usurpatum, et legitimum ejus Administratorem, Vicarium Filii Dei, in aliena potestate constitutum et quasi captivum.

A quibus, quem in scopum, et quo tandem modo patratum fuerit horrendum istud sacrilegum et antisociale facinus, oportet mœrenti et indignabundo animo considerare.

Instigatores et actores præcipui hujus criminis non tam fuerunt Itali quam Massones. Etenim, ut scribit ipse Leo XIII : " Civilem Romanorum Pontificum auctoritatem, non populorum voluntas, sed verius prava sectarum audacia violavit. " Hoc affirmat Leo XIII [2]; affirmavit et Pius IX de Massonibus asserens : " Ex his namque coalescit synagoga satanæ, quæ contra Ecclesiam Christi suas instruit copias, infert signa et manum conserit [3]. "

Scopus autem sectarum nequaquam fuit *liberatio* Romæ, quæ magis libera erat et magis caput Orbis sub paterno dominatu Patris regum, quam sub infausta intrusione domus Sabaudiæ.

---

1. *Psalm.* LXXVIII.
2. Ep. ad Episc. Brixinensem, 31 Martii 1889.
3. Encycl. *Etsi multa*, 21 Nov. 1873 in calce.

Neque fuit verus scopus *unitas* novi regni; nam huic unitati independentia Romæ non plus potest obstare quam independentia status Sancti-Marini.

Verus autem scopus fuit pervertere Romam, majestatem et dignitatem deprimere Christi Vicarii; inermem reddere potestatem ejus spiritualem; debilitare Ecclesiam, imo eam penitus evertere. Hæc omnia delecta et denuntiata sunt a Videntibus nostris, Pontificibus supremis.

" Tartarea hæc caterva, inquit Pius IX, id sibi præstitit, ex Urbe evellere, quem religiosum vocat fanatismum. Postquam Urbe potita est, eam nunc incredulam, vel *tolerantis*, ut aiunt, religionis magistram anhelat efficere ([1]). "

" Huc sane semper spectarunt et spectant nequissima illorum hominum consilia, molitiones et fraudes,qui temporalem Romanæ Ecclesiæ Dominationem convellere exoptant, — ut Ecclesia, suo spoliata Patrimonio, apostolicæ Sedis Romanique Pontificis dignitatem majestatemque deprimant, pessumdent et liberius sanctissimae Religioni maxima quæque damna, ac teterrimum bellum inferant, ipsamque Religionem, si fieri unquam posset, funditus evertant ([2]). "

" Comparata sibi præsidia eo convertunt audacter, ut Ecclesiam durissimo mancipent servitio, fundamenta convellant quibus innititur, divinas conentur depravare notas, queis præfulget insignis, quid multa? Ipsam crebris concussam ictibus, collapsam, eversam, si fieri possit, ex Orbe penitus deleant ([3])."

Hypocrite et judaïce amorem suum exaltant Massones erga " humanitaten " et patriam, ut simplices decipiant; sed frustra. " Secta Massonica, quamvis beneficentiae et philanthropiae spiritum ostentet, Christi religionem, dehumano genere summopere bene meritam, oppugnat atque evertere pertentat ([4]). "

1. Ep. ad Cardin. Vic., 30 Junii 1871.
2. Pius IX, alloc. 20 Junii 1859.
3. Id., Encycl. *Etsi multa*, 21 Nov. 1873 in calce.
4. Leo XIII, Encycl. 15 Oct. 1890.

Sacram Pontificis potestatem evertere cupientes, — " initium excidii a *civili* Principatu fecere, ut hoc veluti expugnato deiectoque praesidio, in illam ipsam conatus suos impetusque converterent (1). "

Ergo impetunt Massones civilem Potestatem Pontificis ut destruant potestatem ejus spiritualem, et ea deleta, de medio tollatur Ecclesia ac reducatur Paganismus.

" Romani Pontificatus oppugnatio non solum eo spectat, ut hæc S. Sedes et Romanus Pontifex legitimo suo civili Principatu omnino privetur, sed eo etiam tendit, ut infirmetur, et, si fieri unquam posset, plane tollatur salutaris catholicæ Religionis virtus; ac propterea impetit Dei ipsius opus, Redemptionis fructum, et sanctissimam illam fidem, quæ pretiosissima est hæreditas in nos derivata ex ineffabili sacrificio, quod in Golgotha consummatum est (2). "

Sacra quoque Congregatio Episcoporum et Regularium testatur oppugnatores Romæ proprie esse Massones, et scopum eorum facinoris nequaquam fuisse libertatem vel unitatem Italiæ, sed eversionem Ecclesiæ catholicæ : " Tenebrosa, inquit, Massonum societas Christi regnum in terris contendit evertere. Ad eam eversionem parandam, consilium initum perfectumque est, potiendi Urbe Roma, cujus consilii ratio simplices quidem latere potuit, callidis declarationibus et promissis deceptos, fallere tamen prudentiores, non potuit. Non enim obscura erant incitamenta et auxilia, quibus oppugnationem Urbis favebat secta nequam, ubique gentium diffusa, obtendens Italiæ prosperitatem et decus, licet huic impenderent ob eam rem pericula externa et dissidia intestina. Pravum illud consilium apertius se prodidit ex iis, quæ subinde acta sunt in gravem Ecclesiæ et Romani Pontificis perniciem (3). "

Verissimum est, fatentibus ipsis Massonibus, nervosum

1. Epist. ad Episc. Brix. 31 Martii 1889.
2. Pius IX, Alloc. 18 Martii 1861.
3. Instructio S. C. Ep. et Reg., 18 Julii 1889.

hoc dictum Pii IX: " Impiarum sectarum machinatione non alia de causa suprema civilis Nostri Principatus jura tanto nisu fuerunt impetita, nisi ut ita via sterneretur ad abolendum, si fieri posset, spiritualem Principatum, quo fulgent Petri successores, delendamque catholicam Ecclesiam, ipsumque Christi nomen, in illa viventis et regnantis (1) ".

Et, ut ait Leo XIII : " Certum exploratumque est, eos hoc assequi velle, una cum capite Ecclesiae, totum corpus afficere et religionem extinguere (2). "

Ast quum habeamus sectam ipsam ut fatentem reum, quid adhuc indigemus Pontificibus testibus? Aperte scripsit Massonibus supremus magister eorum Lemmi, 10 Octobris 1890:

" L'édifice que les FF.·. sont en voie d'élever dans le monde, ne pourra être regardé comme arrivé à bon point, tant que les FF.·. d'Italie n'auront pas fait don à l'humanité des *décombres de la destruction du grand ennemi.... Le Vatican tombera sous notre marteau vivifiant !... Les FF.·. travaillent de toutes leurs forces à dissiper les pierres du Vatican* (3). "

" Oui, mes chers Frères, nous devons lutter non seulement contre le prétendant du Vatican, mais contre le Pontife... Il faut mener contre lui une guerre acharnée (4)... "

" La Papauté jette encore de l'éclat dans le Vatican.... Nous voulons la guerre, et il faut que ce soit une guerre acharnée (5). "

" Ecclesia inermis, inquit documentum authenticum sectæ, non est nisi Ecclesia mortua; occidatur ergo in Urbe (6). "

" Occupatio Romæ mors est supremi Pontificatus. " Ita Crispi (7).

1. Alloc. 23 Dec. 1872.
2. Encycl., *Etsi nos* 15 Febr. 1882.
3. Mgr de T' Serclaes, *Léon XIII*, t. II, p. 121.
4. *Ibid.*, p. 123.
5. *Ibid.*, p. 124.
6. *Bollettino Ufficiale.*
7. Vaughan, *The Roman question*, cap. I.

2. Optandum autem ut clerus, præsertim vero Belgicus, indolem infernalis sectæ Massonicæ optime pernoscat. Nam, ut scribit Beatissimus Pater et universalis Doctor, " Equidem nos, datis in id encyclicis litteris, periculum quod ex conatibus sectae Massonum *civili societati impendet*, ac flagitiosam eiusdem sectae naturam, consilia et artes indicare haud praetermisimus; simulque remedia demonstravimus, quibus tam impura lues extirpari, et humana societas ad salutem revocari possit.

" Maxime autem industriam postulavimus catholicorum hominum, *praesertim ex ordine cleri*, ut nempe erudiendis populis, et contra multiplices errorum formas ac varia incitamenta sectarum sedulo muniendis omnem operam darent.

" Qua in re, probe nos intelligimus, si multum ubique, *maiorem in modum in Belgio esse elaborandum*, enitendumque ut perniciosa, quae isthic sunt, semina evellantur ([1]). "

3. E variis autem Encyclicis quibus Leo XIII Massonum sectæ conatus, naturam, consilia et actus detegit atque percellit, omne profecto tulit punctum ea quæ data 20 Aprilis 1884, incipit cum verbis *Humanum genus*, et quæ erit, uti speramus, MANE, THECEL, PHARES moderni regni Principis hujus sæculi ([2]).

Quamvis sat recens sit secta Massonica, quia tamen sentina est cunctarum hæresum omnium sæculorum et nostro tempore quasi dux hostium Religionis ac societatis civilis, ideo exorditur Doctor infallibilis ac vicarius Illius, qui est alpha et omega, principium ac finis, monumentum suum a pugna sæculari bonos inter ac malos. Itaque :

" Humanum genus, postea quam a Creatore munerumque
" coelestium largitore Deo, *invidia Diaboli*, miserrime defe-
" cit, in partes duas diversas adversasque discessit; quarum

1. Epistola Leonis XIII, ad D. Onclair, 19 Nov. 1885.
2. " L'Encyclique *Humanum genus* est son exécution et son enterrement. " (Sarda Y Salvani, *Le mal social*, t. I, p. 83.)

" altera assidue pro veritate et virtute propugnat, altera pro " iis, quae virtuti sunt veritatique contraria.

" Alterum Dei est in terris regnum, vera scilicet IESU " CHRISTI Ecclesia, cui qui volunt ex animo et convenienter " ad salutem adhaerescere, necesse est Deo et Unigenito " Filio eius tota mente ac summa voluntate servire; — alte-" rum Satanae est regnum, cuius in ditione et potestate sunt " quicumque funesta ducis sui et primorum parentum exem-" pla secuti, parere divinae aeternaeque legi recusant, et " multo posthabito Deo, multa contra Deum contendunt.

" Duplex hoc regnum, duarum instar civitatum, contrariis " legibus contraria in studia abeuntium, acute vidit descri-" psitque Augustinus, et utriusque efficientem caussam sub-" tili brevitate complexus est, iis verbis : *Fecerunt civitates* " *duas amores duo : terrenam scilicet amor sui, usque ad con-* " *temptum Dei : coelestem vero amor Dei, usque ad contemptum* " *sui* (1).

" Vario ac multiplici cum armorum tum dimicationis " genere altera adversus alteram omni saeculorum aetate " conflixit, quamquam non eodem semper ardore atque " impetu. "

4. Omissa prorsus historia diuturni illius conflictus, qui vitam terrestrem Ducis nostri Christi JESU antecessit, quam brevissimum exhibeamus compendium posterioris dimicationis civitatis Dei cum hostibus quibusdam internis, Massonum præcursoribus ; memoresque semper simus horum Gregorii XVI verborum, quod nimirum in sectas Massonicas " quidquid in hæresibus et in sceleratissimis quibusque sectis sacrilegum, flagitiosum ac blasphemum est, quasi in sentinam quamdam, cum omnium sordium concretione, confluxit (2). "

Agejam post longum trium sæculorum spatium, in quibus princeps Babylonis, princeps hujus sæculi, qui homicida fuit

1. *De civit. Dei*, lib. XIV, c. 17.
2. Encycl. *Mirari vos*, 15 Aug. 1832.

ab initio, occiso Auctore vitæ in cruce, occidit et plura millia millium sanctorum, tandem a Constantino, per vexillum crucis, devictus fuit paganismus et libertate donata fuit Ecclesia.

Sed quantumvis devictus, nequaquam penitus extinctus fuit satanicus iste paganismus seu naturalismus; multoties enim iterum levavit caput atque mortali suo veneno infecit Christianos; multoties conatus est Satan Regnum Christi evertere, suumque iterum stabilire.

A tempore Constantini quemadmodum videmus civitatem Dei, seu Ecclesiam, una cum capite suo, Romano Pontifice, continuo adlaborantem ut societati civili conferat pacem, ordinem, bonos mores, ut populos felices atque beatos efficeret, etiam hic in terris, — ita quoque multoties videmus iterum surgentem spiritum nequitiæ, animam ethnicismi, naturalismum, qui conatur societatem civilem evertere atque delere, ut animas, immortales Dei vivi imagines, ad lethalem reduceret paganismum.

A) Series eversorum ordinis religionis et civilis a Christianismo emancipato, incipit cum Juliano apostata, qui Constantio extincto, imperium accepit, et totis viribus allaboravit ut christianam religionem, latissime jam propagatam, exscinderet, et collapsum paganismum restitueret. In primis demum templa aperiri et sacrificia restitui jussit; eos, qui ethnicos ritus assumebant, juribus et privilegiis auxit, christianos vero officiis publicis, foro et judicio exclusit; quibus et litterarum studium interdixit; leges a Constantino, in gratiam clericorum latas, rescidit; verbo, imperium ad paganismum, et consequenter ad barbariem, reducere conatus est. Eum in multis imitantur Massones et socialistæ hodierni, uti evidens est.

Mortuo Apostata, non mortuæ sed sopitæ tantum erant quædam ethnicismi reliquiæ, quæ, data occasione, surrexerunt in factionibus Arianismi et Gnosticismi, seu paganismi occulti.

Æque ordinis socialis ac fidei subversivæ fuerunt diuturnæ machinationes Imperatorum Byzantiæ, qui studebant jus catholicum vi vel astutia opprimere.

Eumdem sibi proposuerunt scopum, tempore medii ævi, Imperatores Germani, qui, si Romani Pontifices non fortiter eis restitissent, civilem societatem ad paganismum primitivum, vel etiam ad pejorem quemdam reduxissent ; nam corruptio optimi, pessima.

B) Post primam illam epocham *Imperatorum*, qui frustra conati sunt paganismum resuscitare, venit epocha *plebis*, in qua vigebant sectæ illæ famosæ anti-sociales, præcursores Massonum ac socialistarum modernorum. Mirum est enim quomodo horum falsa principia quoad naturalismum, principium auctoritatis, jus proprietatis, unitatem et indissolubilitatem matrimonii, aliaque, concordent cum illorum placitis, omnis ordinis religiosi et civilis plane subversivis.

Pullulabant Manichæi redivivi in Italia sub Pontificibus Gelasio, Symmacho et Hormisda, in Gallia, præsertim in Aquitania, ubi et clerum ipsum infecerunt ; in Germania et in principatu Leodiensi, ubicumque, sub larva sanctitatis et specie castitatis, sese maximis tradebant impudicitiis, ruinam Religionis ac societatis civilis molientes ([1]).

Postea orti sunt Cathari, Albigenses, Wicleffitæ, Hussitæ, Fraticelli, quos omnes potestas civilis coacta est debellare, non quasi hostes religionis tantum, sed et qua inimicos societatis et ordinis stabiliti.

Non paucos ex erroribus eorum, præsertim circa cultum divinum, obedientiam civili potestati debitam, jus proprietatis ac matrimonium, resuscitaverunt socialistæ nostri hodierni, uti fatentur vel doctissimi inter historiographos.

Etenim de *Fraticellis*, seu falsis fratribus Minoribus, recte scribunt Bollandistæ : " Qui perpenderit doctrinas ab eis in plebem sparsas, facile perspiciet, rem publicam civilem non

1. Hergenroether, *Hist. de l'Église*, t. III, p. 490.

minus quam ecclesiasticam hæreticorum istorum placitis convelli. Hoc fiebat, ut ipsa societatis humanæ fundamenta non labefactarentur modo, sed penitus destruerentur. Etenim quæ docebant Fraticelli, quæque ipsi ab anterioribus hæreticis accepta, posteris tradebant, exhibent systema, quod hodie socialismum et communismum vocamus, nova quidem nomina, sed errores antiqui (1). "

De doctrinis autem *Hussitarum* notant iidem Bollandiani: "Animadvertere licet Hussitas Luthero viam stravisse. Animadvertere quoque juvat istiusmodi doctrinas non solum rempublicam ecclesiasticam sed et civilem appetere... Qua ratione plene elucidatur, cur principes sæculares perversas doctrinas in regnis suis consistere passi non sint, sed errorum promotores, ut reipublicæ tam civilis quam ecclesiasticæ hostes manifestos habuerint, et suppliciis affecerint. — Nulla siquidem humana societas stare potest, nisi tutari se possit ab iis, qui ejus fundamentum labefactant; atque doctrinæ Hussitarum eo deducebant, ut nullus esset sive rex sive sacerdos, qui populum regere valeret, et unusquisque pro arbitrio et libidine suas actiones, nullo ad alios habito respectu, dirigeret: unde humanæ societatis vinculum omnino disrumpi necesse erat (2). "

Pseudoreformatores sæculi XVI, præsertim vero Anabaptistæ, quid aliud prædicaverunt nisi rebellionem contra religionem ac civilem auctoritatem, abjectum communismum, crudemque socialismum (3)? Legendo doctrinas eorum immorales, crederes te modernum socialistam Bebel legere.

C) In tertia epocha, sopito furore bellico pro religione, flavit spiritus *pseudo-philosophicus*, atheus, criticus atque paganus. Et cum semper adhuc superstites erant antiqui errores, hi tandem et quidquid in hæresibus et in quibusque

1. Vita S. Joannis Capistrani, 23 Octobris. Boll., t. 58, pag. 324, n. 179.
2. Ibid., p. 334, n. 210.
3. J. Janssen, *L'Allemagne et la Réforme*, t. III, liv. 2, chap. VII, § 3, p. 334.

sectis flagitiosum ac blasphemum est — secundum forte Gregorii XVI dictum, jam allatum,— in sectam Massonicam " quasi in sentinam quamdam, cum omnium sordium concretione, confluxit [1]"; et e secta hac naturaliter orta est soboles *communismi, socialismi* ac *nihilismi.*

Operæ pretium est animadvertere omnium illarum sectarum, jam a tempore Apostolorum, communes esse doctrinas cum eis quas profitentur Massones atque moderni socialistæ. NEC DEUS, clamitant hi. — Sed et de hæreticis sui temporis, qui erant Simoniani, Nicolaïtæ, Cerinthii, Ebionitæ, Gnosticorum parentes, testatur Princeps Apostolorum : " Magistri mendaces, Eum, qui emit eos, Dominum negant [2]. "

NEC HERUS! clamant socialistæ. —" Dominationem autem spernunt ", inquit S. Judas Thaddæus de hæreticis sui temporis [3].

MULIERES SINT COMMUNES, USUI OMNIUM, blasphemant multi communistæ, quemadmodum olim Nicolaïtæ et Simoniani promiscuitatem seu communismum mulierum prædicabant.—"Spiritus autem manifeste dicit quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes... doctrinis dæmoniorum, prohibentium nubere [4]." Ita et Massones per leges matrimonii civilis et divortii perfecti, verum matrimonium labefactant, et in unionem temporalem plus minusve pro libitu diuturnam, pervertunt. " Post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant;... voluptatem existimantes diei delicias; coinquinationes, et maculæ deliciis affluentes,... oculos habentes plenos adulterii et incessabilis delecti ; pellicientes animas instabiles [5]. "

Nonne Massones, quemadmodum olim prisci hæretici

1. Encycl. *Mirari vos.*
2. *II Pet.*, II, 1.
3. *S. Jud.*, 8.
4. *II Tim.*, IV, 1.
5. *II Petr.*, II, 10-14.

" penetrant domos et captivas ducunt mulierculas, oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis (1) ?"

Et hi qui semper in ore habent fallacia verba uti sunt "*libertas, æqualitas, fraternitas*", nonne imitantur hæreticos, de quibus ait S. Petrus : " Superba loquentes... libertatem promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis (2) ?"

Quoad substantiam fere omnes sectæ, tam antiquæ quam medii ævi, hos tenuerunt errores, æque ac Massones et socialistæ :

Non datur nisi populus unicus : genus humanum.

Non datur nisi unicus princeps : genus humanum.

Non datur nisi unicus proprietarius : genus humanum.

Nullus civis gaudet jure aliquo privato.

Omnes homines paria habent jura atque officia.

Destruatur familia ; cesset privata proprietas ; omnia sint communia, etiam feminæ.

Destruatur Ecclesia.

Potestas civilis sit impersonalis.

5. Sed iterum audiamus Doctorem infallibilem pressius disserentem de Massonum scopo, qui alius non est, uti jam vidimus, quam eversio potestatis temporalis et deinde etiam spiritualis S. Sedis, destructio veræ Ecclesiæ et substitutio, in ejus locum, naturalismi pagani.

" Hoc autem tempore, qui deterioribus favent partibus " videntur simul conspirare vehementissimeque cuncti con- " tendere, auctore et adiutrice ea, quam *Massonum* appellant, " longe lateque diffusa et firmiter constituta hominum socie- " tate. "

6. Imprimis verbulum habeamus de fabulosa antiquitate quam sectæ suæ attribuunt Massones. Profecto antiqui sunt quos profitentur errores. Sed contendere quod, ceu secta constituta, originem habeat jam ab Adamo, et quod Noë,

1. *II Tim.*, III, 6.
2. *II Petr.*, II, 19. — Cf. D. P. Benoit, *La Franc-maçonnerie*, t. II, pag. 98 et seq.

Nemrod ac Salomon fuerunt magni ejusdem magistri, fabula est æque fide digna ac nostris diebus existentia famosæ Dianæ Vaughan. — Idem dicendum de successione ejus directa ab antiquis Ægyptiis, aut Gnosticis, aut Manichæis, aut Valdensibus, aut Templariis ([1]).

Ortum habuit secta Massonica initio sæculi decimi octavi; nota est ejus patria, noti sunt ejus parentes.

In Anglia antiquæ cæmentariorum seu structorum corporationes, sicuti etiam mos erat apud alias operariorum societates, interdum in sinum suum sodales admittebant, qui minime rerum erant opifices. Itaque factum est ut anno 1717, Londinii tres hujusmodi collegiati, nempe physicus Désaguliers, theologus J. Anderson ac G. Payne, sodalitatem cæmentariorum, cui ad id temporis usque adscripti erant, relinquerent, et novam constituerent associationem pseudostructorum, quæ libera erat seu soluta ab aliis ejusdem artificibus; inde nomen eorum Franco-muratorum seu Massonum liberorum, *free masons* ([2]).

Scopus eorum primitivus, verus vel fucatus, videtur fuisse quamdam stabilire religionem naturalem necnon aliquam colere philanthropiam.

Nonnulli scriptores nimis sunt in enumerandis et explicandis Massonum triginta tribus variis gradibus et in describendis eorum cæremoniis tragico-comicis. Spretis hisce nugis ad ea tantum attendamus quæ nos docent de satanica hac secta, Romani Pontifices, Doctores veritatis ([3]).

---

1. " Il est impossible, quand on examine les choses à la clarté de l'histoire, de découvrir comment la Franc-maçonnerie dérive des mystères d'Égypte, ou de ceux de la Grèce, de l'union pythagoricienne ou des architectes dionysiens, des Esséniens ou des Thérapeutes, des Gnostiques ou des Manichéens, des Vaudois ou des Templiers. Personne n'a encore pu découvrir le lien qui relie la *prétendue* Franc-maçonnerie ancienne à la Franc-maçonnerie moderne."(Wetzer et Welte, *Dict. encycl. de la théol.* art. *Francs-maçons.*)

2. *Nota.* Inde fit ut : " Les Francs-maçons ont adopté des symboles qui sont tous empruntés à l'art de bâtir, tels que le tablier, la truelle, l'équerre, le compas. " (Card. Dechamps, *La Franc-maçonnerie*, t. I. *Œuvres compl.*, t. IX, p. 7.)

3. " Quant à la hiérarchie, il suffit de rappeler les trois grades connus des

7. Quod magis serium est sunt ejus permagna diffusio et firma constitutio, ut fatetur ipse Leo XIII.

De legione hac infernali scripsit anno 1890 Episcopus Fava : "Ses 136,000 loges, — ses 25,873,000 maçons, — ses 2,850,000 sœurs maçonnes ! "

De vi autem ejus : " Son budget annuel de 3 milliards de francs (1). " Et certum est Massones præpotentes esse in prælo, in exercitibus, in tribunalibus, in universitatibus, in re politica. Merito ausus est prolificam et potentem sectam ita exprobrare sacerdos deputatus Lemire in comitiis publicis Galliæ : " Avec votre manière de gouverner vous allez réduire tous les citoyens français à entrer dans une Franc-maçonnerie quelconque, puisqu'il n'y a plus que cette manière d'être qui soit tolérée en France (2)."

8. De istis ergo infensissimis christianismi et societatis civilis hostibus, ita pergit loqui sanctissimus Dominus : " Nihil enim iam dissimulantes consilia sua (3), excitant sese " adversus Dei numen audacissime : Ecclesiae sanctae per- " niciem palam aperteque moliuntur, idque eo proposito, ut " gentes christianas partis per Iesum Christum servatorem " beneficiis, et si fieri posset, funditus despolient.

" Quibus Nos ingemiscentes malis, illud saepe ad Deum " clamare, urgente animum caritate, compellimur : " *Ecce*

apprentis, des *compagnons* et des *maîtres*, les divers fonctionnaires des loges, lesquels forment par leur réunion la grande loge, ayant à sa tête le grand-maître ; les cérémonies d'initiation *tragi-comiques*, *à la fois ridicules et terribles*, aux grades et aux dignités de l'ordre ; les réunions avec ou sans cérémonies, les banquets, les signes de reconnaissance des maçons entre eux, le salut, le regard dits maçonniques, etc. " (Wetzer et Welte, *l. c.*)

1. Lettre à M. Paul Rosen.

2. 12 Nov. 1896.

3. Aperte dixit Lemmi, Massonum supremus magister, consilia sectæ non jam esse celanda. " *Disons-le à visage découvert*, nous devons lutter contre le Pontife",etc.—"La période de l'hypocrisie est donc passée pour la Franc-maçonnerie", notat judiciose D. de T'Serclaes : " Du reste, Lemmi a tenu à ce qu'aucune ambiguité ne pût subsister sur le but qu'il poursuit. S'il a réuni en volume les discours qu'il colporta en 1892 d'un bout à l'autre de l'Italie c'est parce qu'ils exposent avec clarté les idées et les aspirations de l'Ordre. " (*Léon XIII*, t. II p. 122-123.)

" *inimici tui sonuerunt, et qui oderunt te extulerunt caput.* " *Super populum tuum malignaverunt consilium : et cogita-* " *verunt adversus sanctos tuos. Dixerunt : venite, et disper-* " *damus eos de gente* ([1]). "

" In tam praesenti discrimine, in tam immani pertinacique " christiani nominis oppugnatione, nostrum est indicare pe- " riculum, designare adversarios, horumque consiliis atque " artibus, quantum possumus, resistere ut aeternum ne per- " eant quorum Nobis est commissa salus : et IESU CHRISTI " regnum, quod tuendum accepimus, non modo stet et per- " maneat integrum, sed novis usque incrementis ubique ter- " rarum amplificetur.

" Romani Pontifices decessores Nostri, pro salute populi " christiani sedulo vigilantes, *hunc tam capitalem hostem* ex " occultae coniurationis tenebris prosilientem, quis esset, " quid vellet, celeriter agnoverunt ; iidemque praecipientes " cogitatione futura, principes simul et populos, signo velut " dato, monuerunt, ne se paratis ad decipiendum artibus " insidiisque capi paterentur.

9. " Prima significatio periculi per Clementem XII anno " 1738 facta : cuius est a Benedicto XIV confirmata ac re- " novata constitutio. "

En excerpta quædam ex ambobus illis documentis.

Die ergo 24 Aprilis 1738 Clemens XII ita monuit Orbem catholicum : " In eminenti Apostolatus specula... constituti... sollicitudinis studia iis intendimus per quæ, erroribus vitiisque aditu intercluso, orthodoxæ religionis potissimum servetur integritas atque ab universo catholico Orbe, difficillimis hisce temporibus perturbationum pericula propellantur.

" Nobis innotuit longo lateque progredi atque in dies invalescere nonnullas societates, cœtus, conventus, collectiones, aggregationes seu conventicula, vulgo *de' liberi Muratori* seu *Francs-massons* nuncupata, in quibus cujuscumque

1. *Ps.*, LXXXII, 2-4.

religionis et sectæ homines, affectata quadam contenti honestatis naturalis specie, arcto æque ac impervio fœdere secundum leges et statuta sibi condita invicem consociantur, quæque simul clam operantur, tum districto jurejurando, tum gravium pœnarum exaggeratione, inviolabili silentio obtegere adstringuntur.

" Nos itaque, animo evolventes gravissima damna, quæ ut plurimum hujusmodi societatibus temporalis reipublicæ tranquillitati et spirituali animarum saluti inferuntur,... ad latissimam, quæ iniquitatibus impune patrandis inde aperiri posset, viam obstruendam, aliisque de justis ac rationalibus causis nobis notis, easdem societates *de' liberi Muratori* seu *Francs-massons*, ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, damnanda et prohibenda esse statuimus et decerninus.

" Quocirca omnibus et singulis Christifidelibus... districte et in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ne quis sub quovis prætextu audeat prædictas societates inire vel propagare, confovere, ac in suis ædibus vel domibus vel alibi receptare atque occultare, iis adscribi, aggregari, aut interesse, vel potestatem seu commoditatem facere ut alicubi convocentur; — iisdem aliquid ministrare, sive alias consilium, auxilium vel favorem quoquo modo præstare; — necnon alios hortari, inducere, provocare aut suadere ut hujusmodi societatibus adscribantur, annumerentur, seu intersint, vel ipsas quomodolibet juvent; — sed omnino ab iisdem abstinere se debeant, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, a qua nemo per quemquam, nisi per Romanum Pontificem, præterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere. "

Denique locorum Ordinarios excitat Sanctitas Sua ut pro prædictæ Constitutionis executione, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilium invocare non prætermittant. Utinam Principes temporales mature hanc nascentem anguem contri-

vissent ! — non fuisset tanta regnorum perturbatio nec eversio.

Doctus ac providus Benedictus XIV anno 1751 laudatam Clementis XII constitutionem confirmavit, roboravit atque innovavit per suam *Providus Romanorum Pontificum*, in qua et sex enumerat causas damnandi et prohibendi Massonicas sectas.

" Una est, quod in hujusmodi societatibus et conventiculis *cujuscumque religionis* ac sectæ homines invicem consociantur : qua ex re satis patet, quam magna pernicies catholicæ Religionis puritati inferri valeat.

" Altera est arctum et impervium *secreti fœdus*, quo occultantur ea, quæ in hujusmodi conventiculis fiunt ; quibus proinde ea sententia merito aptari potest : *Honesta semper publico gaudent, scelera secreta sunt* (1).

" Tertia est *jusjurandum* quo se hujusmodi secreto

---

1. Cœcilius Natalis apud Minucium Felicem.

Et re quidem vera : Quare hoc secretum, nisi quia mala sunt Massonum intenta atque opera, et ideo odio habent lucem ?

" Ou l'ordre s'occupe de choses qui ne sont pas nuisibles à la Religion, à l'État et au bien public, et dès lors il n'y a pas de raison de soustraire son action à la connaissance du public ; — ou l'ordre s'occupe de choses qu'il ne peut avouer, parce qu'elles sont hostiles à tout ce qui est établi, et dès lors il est jugé par lui-même ; il faut qu'on déchire de toutes manières le voile dont il veut se couvrir. (Wetzer et Welte, *Diction. de théol.*, art. *Francs-maçons.*)

" Ce qui n'est pas moins certain, et ce qui est plus grave au point de vue moral, c'est que la Maçonnerie n'est pas seulement une société secrète pour les profanes, mais qu'*elle l'est aussi pour l'immense majorité, pour la presque totalité de ses adeptes.* Les maçons, nous le savons, tentent de se justifier ici en comparant la loi du secret des loges à la discipline du *secret de la primitive Église ;* mais il n'y eut jamais la moindre ressemblance entre ces deux choses ; le dernier des fidèles, devenu enfant de l'Église, n'ignorait rien de la doctrine de sa mère. C'est aux gentils, c'est à leur ignorance grossière, à leurs sacrilèges moqueries, que l'on dérobait la connaissance des mystères de la foi, parce qu'ils n'y cherchaient que des prétextes à leurs poursuites sanguinaires. Ce n'est à aucun de ses enfants que l'Église laissait cachée la moindre partie du dépôt sacré de la révélation chrétienne. Il n'en est pas de même dans la Franc-maçonnerie. Là, l'*apprenti* ignore ce que sait le *compagnon ;* le compagnon ignore ce que sait le *maître*, et les maîtres, à leur tour, en montant les degrés de l'initiation, ignorent, au degré où ils arrivent, ce qu'ils apprendront au degré immédiatement supérieur. " (Card. Dechamps. La *Franc-maçonnerie*, ch. I. *Œuvres complètes*, t. IX, p. 13).

inviolabiliter servando adstringunt; quasi liceat alicui, cujuslibet promissionis aut juramenti obtentu se tueri, quominus a legitima potestate interrogatus, omnia fateri teneatur, quæcumque exquiruntur ad dignoscendum an aliquid in hujusmodi conventibus fiat, quod sit contra Religionis aut Reipublicæ statum et leges.

" Quarta est quod hujusmodi societates non minus *civilibus quam canonicis sanctionibus adversari* dignoscuntur.

" Quinta, quod jam in pluribus regionibus memoratæ societates sæcularium Principum *legibus proscriptæ fuerunt.*

" Ultima demum, quod apud probos viros eædem societates *male audirent*, eorumque judicio, quicumque eisdem nomina darent, pravitatis et perversionis notam incurrerent. "

10. " Utriusque vestigiis ingressus est Pius VII; ac " Leo XII, constitutione apostolica *Quo graviora*, superio- " rum Pontificum hac de re acta et decreta complexus, rata " ac firma in perpetuum esse jussit. "

Pius VII, dum Roma a copiis Napoleonis I erat occupata, ita cardinales est allocutus: " In hac ipsa Urbe Nostra, captivis Nobis audientibus, et vi, ne tanto malo mederi possimus, oppressis, celebrantur omni pudore deposito, conventicula hominum tenebrosissimorum, qui *liberi Muratores* nominari volunt, quas societates et aggregationes duo summi Pontifices, Prædecessores Nostri, binis editis constitutionibus gravissime ac severissime prohibuerant [1]. Eas Nos constitutiones, etsi nullius egeant confirmationis, tamen in omnibus confirmamus et approbamus, earumque robur et obligandi vim, ipsasque in illis constitutas et sancitas pœnas, ex hoc loco, quantum maxime possumus, in memoriam omnium revocamus [2]. "

Insuper constitutione " *Ecclesiam* ", edita die 13 Septem-

1. Clemens XII, *In eminenti*, 1738 et Benedictus XIV, *Providus Romanorum*, 1751.
2. Alloc. 11 Julii 1808.

bris 1821 iterum prædictas constitutiones Prædecessorum suorum confirmat; et nominatim *carbonarios* perstringit. " Simulant illi quidem singularem observantiam et mirificum quoddam studium in catholicam Religionem... Sed libri ab ipsis typis editi, eorum catechismi et statuta, aperte declarant carbonarios id præcipue spectare ut magnam licentiam cuique dent, religionem, quam colat, proprio ingenio et ex suis opinionibus sibi fingendi; ut JESU CHRISTI passionem per nefarias quasdam ceremonias profanent ac polluant; utque *Sedem hanc apostolicam evertant*, in quam, quoniam in ea apostolicæ Cathedræ semper viguit Principatus, *singulari quodam odio afficiuntur*, et pestifera quæque ac perniciosa moliuntur. "

" Non multo post editam hanc a Pio VII Constitutionem, — scribit Leo XII tertio idus martii, pontificatus sui secundo, ad supremam B. Petri cathedram nullis Nostris meritis evecti Nos fuimus; et continuo omnem Nostram operam convertimus ad detegendum quis esset clandestinarum sectarum status, quis numerus, quæ potentia. Hæc inquirentes facile intelleximus crevisse illarum insolentiam præcipue ob earum multitudinem, novis sectis auctam. Ex quibus ea præsertim memoranda est, quæ " Universitaria " dicitur, quod sedem et domicilium in pluribus studiorum universitatibus habeat, in quibus juvenes a nonnullis magistris, qui eos non docere, sed pervertere student, ejusdem mysteriis, quæ iniquitatis mysteria verissime appellari debent, initiantur et ad omne scelus informantur.

" Qui metus est turbarum et seditionum quas illæ sectæ perpetuo moliuntur?

" Quæ impiarum formido sicarum, quas in eorum corporibus clam defigunt, quos ad mortem designarunt?

" Quot et quam gravia non raro decernere vel inviti coguntur, qui iisdem cum potestate præsunt, ut publicam tranquillitatem tueantur?

" Inde etiam existunt acerbissimæ calamitates, quibus Ecclesia fere ubique vexatur. "

Deinde Leo XII renovat damnationem omnium secretarum societatum jam a Prædecessoribus suis latam ; damnat speciatim jusjurandum quod in "justitia " pronunciandum est, velut vinculum habere, quo quis se ad injustam cædem obliget " et ad contemnendam auctoritatem Ecclesiasticam vel civilem ". — " Intoleranda est eorum impudentia, sive amentia, qui, cum dicant " *non est Deus* ", audeant tamen jusjurandum exigere ab omnibus iis, quos suas in sectas deligunt. "

11. " In eamdem sententiam Pius VIII, Gregorius XVI, persæpe vero Pius IX locuti sunt. "

Pius VIII, 24 Maii 1829, Encyclica *Traditi*, vocem attollit " adversus occultas illas hominum factiosorum societates, qui in Deum et principes infensi, toti in eo sunt, ut Ecclesiæ labem, regnis perniciem, Orbi universo perturbationem importent, viamque ad flagitia sternant, freno veræ fidei confracto.'

Ideo anathemata renovat quibus a quatuor Prædecessoribus suis confixæ fuerunt istæ sectæ.

In eamdem sententiam, uti notat Leo XIII, locutus est Gregorius XVI in famosa Encyclica *Mirari vos*, diei 15 Augusti 1832. — " Vexatur, inquit, acerrime Romana hæc nostra beatissimi Petri Sedes, in qua posuit Christus Ecclesiæ firmamentum. Personant horrendum in modum academiæ ac gymnasia novis opinionum monstris. Institutis enim exemploque præceptorum, corruptis adolescentium animis, ingens religionis clades, morumque perversitas teterrima percrebuit. — Quæ quidem tanta calamitatum congeries ex illarum in primis conspiratione societatum est repetenda, in quas quidquid in hæresibus, et in sceleratissimis quibusque sectis, sacrilegum, flagitiosum, ac blasphemum est, quasi in sentinam quamdam cum omnium sordium concretione confluxit. "

Pius IX jam in Encyclica *Qui pluribus*, die 9 Novembris 1846 data, denuntiat " *molitiones contra hanc Romanam Beatissimi Petri cathedram.* " Et addit : " Huc spectant clandestinæ illæ sectæ e tenebris ad rei tum sacræ, tum publicæ exitium emersæ, atque a Romanis Pontificibus, Decessoribus Nostris, iterato anathemate damnatæ suis Litteris, quas nos Apostolicæ Nostræ potestatis plenitudine confirmamus, et diligentissime servari mandamus. "

Postridie proclamationis dogmatis Immaculatæ Deiparæ Conceptionis Pius IX, " tamquam ex arce Religionis intuens errorum monstra, quæ per catholicum Orbem hac difficillima ætate grassantur, " — imprimis cernit Massones.

" Existere etiam nunc dolendum est, inquit, impium incredulorum genus, qui omnem, si fieri posset, exterminatum vellent religionis cultum ; eisque adnumerandi sunt imprimis clandestinarum societatum gregales, qui nefario inter se fœdere conjuncti, nullas non adhibent artes, ut rem et sacram et publicam perturbent, evertant ; in quos profecto verba illa cadunt divini Reparatoris : " vos ex patre diabolo estis, et opera patris vestri vultis facere (1). "

Dein ut dicit § IV Syllabi, de socialismo, de communismo, de societatibus clandestinis, etc. : " Ejusmodi pestes sæpe gravissimisque verborum formulis reprobantur. In allocutione *Quibus quantisque*, 20 Aprilis 1849 (2), in Encyclica *Nostis et nobiscum*, 8 Decembris 1849, in allocutione *Singulari quadam*, 9 Decembris 1854, in Encyclica *Quanto conficiamur*, 10 Augusti 1863. "

Insuper idem Pius IX excusationes respuens quorumdam Massonum, præsertim Brasiliæ, aperte declaravit : " Pontificias de Massonibus constitutiones non unos percellere

1. Alloc. 9 Dec. 1854.
2. " Quas abominabiles perditionis sectas non solum animarum saluti, verum etiam civilis societatis bono et tranquillitati vel maxime infestas, atque a Romanis Pontificibus, Decessoribus Nostris, damnatas Nos ipsi jugiter detestati sumus, condemnavimus, et nunc pariter suprema Nostra Apostolica auctoritate iterum damnamus, prohibemus atque proscribimus. "

Massonicos cœtus in Europa institutos, sed omnes quotquot in America, aliisque totius Orbis plagis habentur ([1]). "

Idem gloriosus Pontifex in diuturno suo Pontificatu plus quam vicesies sectas Massonicas damnavit. — " Utinam, sic ingemiscit, et non sine summa ratione, — utinam supremi Principes Decessoris nostri vocibus aures præbuissent! Utinam in causa tam gravi non remissius egissent! Numquam certe fuissent deplorandi tanti seditionum motus, tanta bellorum incendia, quibus Europa universa conflagravit, tanta denique malorum acerbitas, a quibus afflictata est, atque adhuc afflictatur Ecclesia. "

Pergit hodiernus speculator domus Israël: " Videlicet " cum sectae Massonicae institutum et ingenium compertum " esset ex manifestis rerum indiciis, cognitione caussarum, " prolatis in lucem legibus eius, ritibus, commentariis, ipsis " saepe accedentibus testimoniis eorum qui essent conscii, " haec Apostolica Sedes denuntiavit aperteque edixit sectam " Massonum, contra ius fasque constitutam, non minus esse " christianae rei, quam *civitati perniciosam:* propositisque " poenis, quibus solet Ecclesia gravius in sontes animadver- " tere, interdixit atque imperavit, ne quis illi nomen socie- " tati daret. Quo ex re irati gregales earum vim sententia- " rum subterfugere aut debilitare se posse partim contem- " nendo, partim calumniando rati, Pontifices maximos, qui " ea decreverant, criminati sunt, aut non iusta decrevisse, " aut modum in decernendo transisse. — Hac sane ratione " constitutionum Apostolicarum Clementis XII, Benedicti " XIV, itemque Pii VII et Pii IX conati sunt auctoritatem " et pondus eludere.

" Verum in ipsa illa societate non deficere, qui vel inviti " faterentur, quod erat a romanis Pontificibus factum, id " esse spectata doctrina disciplinaque catholica, iure factum.

" In quo Pontificibus valde assentiri plures viri Principes

1. Encycl. 21 Nov. 1873 in fine. Confer etiam Encycl. 29 Aprilis 1876.

" rerumque publicarum rectores visi sunt, quibus curae fuit " societatem Massonicam vel apud Apostolicam Sedem ar- ' guere, vel per se, latis ad id legibus, noxae damnare, ut " in Hollandia, Austria, Helvetia, Hispania, Bavaria, Sa- " baudia, aliisque Italiæ partibus.

12. " Quod tamen prae coeteris interest, *prudentiam Deces- " sorum nostrorum rerum eventus comprobavit.* Ipsorum " enim providae paternaeque curae non semper nec ubique " optatos habuerunt exitus; idque *a)* vel hominum, qui in " ea noxa essent, simulatione et astu, vel *b)* inconsiderata " levitate coeterorum, quorum maxime interfuisset diligenter " attendere. "

Revera : *a)* Multi Massones, præsertim multi duces eorum simulabantur sectam suam pessimam esse inoffensivam, societatem philanthropicam tantum, nulli religioni hostilem, etc. *b)* ex altera parte fere omni tempore et quocumque loco plurimi Principes inconsiderate ei nomen dederunt ([1]).

" Quare unius saeculi dimidiatique spatio secta Massonum " ad incrementa properavit opinione maiora; inferendoque " sese per audaciam et dolos in omnes reipublicae ordines, " tantum jam posse coepit, ut prope dominari in civitatibus " videatur. "

Notum est enim eam dominari in Italia, in Gallia, in Austria, in Lusitania, etc, et dominasse in gubernio Belgico ab anno 1857 ad 1870 et magis adhuc a 1878 ad 1884 usque.

" Ex hoc tam celeri formidolosoque cursu illa revera est " in Ecclesiam, in potestatem Principum, in salutem publi- " cam pernicies consecuta, quam Decessores Nostri multo " ante providerant. Eo enim perventum est, ut valde sit " reliquo tempore metuendum, non Ecclesiae quidem, quae " longe firmius habet fundamentum, quam ut hominum opera

1. Sic inter alios primus Belgarum Rex Leopoldus, quamvis in cœteris princeps sapiens, sectæ massonicæ adscriptus erat, uti licuit occasione obitus ejus, ex epistola a Magistro.-Majori Van Schoor in publicam lucem edita, 11 Dec. 1865.

" labefactari queat, sed earum caussa civitatum, in quibus " nimis polleat ea de qua loquimur, aut aliæ hominum sectæ, " non absimiles, quæ priori illi sese administras et satellites " impertiunt.

13. " His de caussis, ubi primum ad Ecclesiae guberna- " cula accessimus, vidimus planeque sensimus huic tanto " malo resistere, opposita auctoritatis nostrae, quoad fieri " potest, oportere. — Sane opportunam saepius occasionem " nacti, persecuti sumus praecipua quadam doctrinarum ca- " pita in quas Massonicarum opinionum influxisse maxime " perversitas videbatur.

" Ita Litteris Nostris Encyclicis *Quod Apostolici muneris* " (28 Dec. 1878) aggressi sumus *Socialistarum* et *Communi-* " *starum* portenta convincere ([1]); aliis deinceps *Arcanum* " (10 Feb. 1880) veram germanamque notionem societatis " domesticae, cujus est in matrimonio fons et origo, tuendam " et explicandam curavimus ; iis insuper, quarum initium est " *Diuturnum* (20 Junii 1861) potestatis publicae formam ad " principia christianae sapientiae expressam proposuimus, " cumi psa rerum natura, cum populorum Principumque " salute mirifice cohaerentem.

" Nunc autem, Decessorum Nostrorum exemplo, in Mas- " sonicam ipsam societatem, — in doctrinam ejus univer- " sam, — et consilia, — et sentiendi consuetudinem — et " agendi animum — recta intendere decrevimus, quo vis " illius malefica magis magisque illustretur, idque valeat ad " funestae pestis prohibenda contagia. "

14. *Centrum omnium clandestinarum societatum est secta Massonica.* " Variae sunt hominum sectae, quae quamquam " nomine, ritu, forma, origine differentes, cum tamen com- " munione quadam propositi summarumque sententiarum " similitudine inter se continentur, re congruunt cum secta

1. Hoc magis ex professo fecit Beatissimus Pater notissima Encyclica *Rerum novarum*, de die 15 Maii 1891.

" Massonum, quae cujusdam est instar centri unde abeunt et " quo redeunt universae (1).

" Quae quamvis nunc nolle admodum videantur latere in " tenebris, et suos agant coetus in luce oculisque civium, et " suas edant ephemeridas, nihilominus tamen, re penitus " perspecta, genus societatum clandestinarum moremque " retinent. Plura quippe in iis sunt arcanis similia, quae non " externos solum, sed gregales etiam bene multos exquisitis- " sima diligentia celari lex est : cuiusmodi sunt intima atque " ultima consilia, summi factionum principes, occulta quae- " dam et intestina conventicula : item decreta, et qua via, " quibus auxiliis perficienda.

" Huc sane facit multiplex illud inter socios discrimen et " iuris et officii et muneris ; huc rata ordinum graduumque " distinctio, et illa, qua reguntur, severitas disciplinae.

1. Quæri posset num omnes totius Orbis associationes Massonicæ unicum tantum constituant corpus morale, sub capite dirigente uno, — an potius aggregationem quamdam, plus minusve unitam. Duplex datur hac de re inter scriptores sententia : " Où est le centre d'unité ? — verba sunt Em. Cardinalis Dechamps.

— " Ne réside-t-il que dans les assemblées générales des députés des Grandes-Loges ou des Grands-Orients, dans les congrès maçonniques ?

— " Ou bien son organisation secrète implique-t-elle en même temps un conseil suprême permanent, et présidé lui-même par une sorte de suprême pontife ?

1°) Il en est qui, sans nier l'unité de l'ordre, la conçoivent comme celle d'autres ordres dont les communautés suivent partout la même règle, et entretiennent entre elles des relations continues, mais sans avoir de supérieur général. Ceux qui pensent ainsi soutiennent que la Maçonnerie n'a pas d'autre centre d'unité que ses assemblées générales, que ses congrès où elle convoque les députés des Grands-Orients des diverses nations. " (*Franc-maçonnerie*, chap.1).

Hæc est opinio cl. Wetzer et Welte : " Malgré leur serment, et malgré l'organisation hiérarchique des loges, formant un ensemble dont en général le but, la tendance, les formes, les signes de reconnaissance sont identiques, on se *tromperait si l'on se représentait cette association comme un corps unique, mu par une seule volonté*, soumis à une obéissance stricte et militaire, sous la direction d'un chef suprême commandant toutes les loges de la terre. *Ce n'est, en vérité, que l'agrégation d'un grand nombre de sociétés analogues*, mais qui se distinguent les unes des autres par les usages, les formes, les grades imaginés pour mystifier les adeptes, se séparent par les opinions les plus divergentes et les plus singulières sur le mystère même de l'ordre,sont soumises aux influences les plus multiples, sont parfois le jouet des escrocs les plus vulgaires, sont souvent sans aucune relation entre elles, ne se font que des communications

" Initiales spondere, immo praecipuo sacramento iurare, ut " plurimum jubentur, nemini se ullo unquam tempore ullove " modo socios, notas, doctrinas indicaturos (1).

" Sic ementita specie eodemque semper tenore simulatio- " nis quam maxime Massones, ut olim Manichaei, laborant " abdere sese, nulloque, praeter suos, habere testes.

" Latebras commodum quaerunt, sumpta sibi litteratorum " sophorumve persona, eruditionis caussa sociatorum; ha- " bent in lingua promptum cultioris urbanitatis studium, " tenuioris plebis caritatem; unice velle se meliores res mul- " titudini quaerere, et quae habentur in civili societate com- " moda cum quam plurimis communicare. (Sed qui non dili- " git Deum, quomodo diligere posset proximum suum ?)

" Quae quidem consilia quamvis vera essent, nequaquam " tamen in istis omnia.

---

accidentelles, ou se déclarent même ouvertement la guerre ". (Wetzer et Welte, *l. c.*)

2°. Alia sententia : " Il en est d'autres qui prennent plus à la lettre cette parole de Ragon, dont l'autorité maçonnique est grande : *La Maçonnerie a plusieurs centres d'action, mais elle n'a qu'un centre d'unité.* Ils soutiennent que ce centre d'unité est un suprême conseil qui s'appelle *firmament;* qu'il est composé d'un petit nombre d'initiés ou de *suprêmes élus;* qu'il est présidé lui-même par *l'élu des élus*, pontife connu seulement des chefs immédiatement inférieurs ; enfin qu'il prend toutes les précautions imaginables pour cacher son existence. De là vient, selon Eckert, qu'on trouve si peu d'actes de ce patriarcat ou de ce pontificat des loges. On en trouve cependant, et le même auteur cite le décret de dissolution des associations *Adelphie* et *Philadelphie*, lors de la conjuration du général Mallet. Cet acte authentique prouverait déjà que l'unité de la Maçonnerie a pour centre une autorité suprême permanente, une autorité qui subsiste après la séparation des assemblées générales. Mais outre la nécessité d'une semblable autorité pour convoquer ces assemblées elles-mêmes,il est un fait plusieurs fois constaté qui semble en prouver l'existence: c'est celui de l'action simultanée et uniforme des loges chez les différents peuples sans que cette action ait été précédée des grandes assises maçonniques, fait qui suppose la réalité d'un moteur unique et distinct des assemblées de l'ordre.

" Quoi qu'il en soit, il reste certain, par l'organisation avouée de la Maçonnerie qu'elle ne se contente pas d'être une société nationale, mais qu'elle prétend être universelle. " (Card. Dechamps, *l. c.*)

1. " Ce qui excite le soupçon et le scandale, c'est la forme antique, terrible et tout à fait judaïque, du serment par lequel l'initié demande, au cas où il trahirait quelques-uns des signes et des mystères de l'ordre, qu'on lui arrache la langue, qu'on brûle ses entrailles, qu'on les réduise en cendres et les disperse au vent. " (Wetzer et Welte, *l. c.*)

" Praeterea qui cooptati sunt promittant ac recipiant ne-
" cesse est, ducibus ac magistris se dicto audientes futuros
" cum obsequio fideque maxima : ad quemlibet eorum nutum
" significationemque paratos, imperata facturos : si secus
" fecerint, tum dira omnia ac mortem ipsam non recusare.
" Revera si qui prodidisse disciplinam, vel mandatis resti-
" tisse iudicentur, supplicium de iis non raro sumitur, et
" audacia quidem ac dexteritate tanta ut speculatricem ac
" vindicem scelerum iustitiam sicarius persaepe fallat ([1]).

" Atqui simulare et velle in occulto latere ; obligari sibi
" homines, tamquam mancipia, tenacissimo nexu, nec satis
" declarata caussa ; alieno addictos arbitrio ad omne facinus
" adhibere ; armare ad caedem dextras, quaesita impunitate
" peccandi, immunitas quaedam est, quam rerum natura
" non patitur. Quapropter societatem, de qua loquimur, cum
" iustitia et naturali honestate pugnare, ratio et veritas ipsa
" convincit.

" Eo vel magis, quod ipsius naturam ab honestate dissi-
" dentem, alia quoque argumenta eademque illustria redar-
" guunt. Ut enim magna sit in hominibus astutia celandi
" consuetudoque mentiendi, fieri tamen non potest, ut una-
" quaeque caussa ex iis rebus, quarum caussa est, qualis in
" se sit, non aliqua ratione appareat. *Non potest arbor bona*
" *malos fructus facere ; neque arbor mala bonos fructus face-*
" *re* ([2]). Fructus autem secta Massonum perniciosos gignit,

1. Quam vera et accurata sint hæc Sanctitatis Suæ de massonicis vindictis effata, probatur vel ex facto sequenti :

" En 1736 un anglais, nommé Richard, fit imprimer à Liége, un ouvrage où il révélait les mystères des grades inférieurs. Ce malheureux fut saisi de force, et conduit la nuit dans la grande loge de Londres où se trouvaient un grand nombre de frères ; on lui arracha la langue jusqu'à sa racine, puis le cœur ; après quoi on le laissa pendu à un clou pendant tout le temps que dura la tenue de la loge ; ensuite on brûla le cadavre et on en répandit les cendres au vent. Toutes les loges furent informées de cette exécution, *dont les auteurs ne furent pas même recherchés.* " (Card. Dechamps, *La Franc-maçonnerie*, chap. I. *Œuvres compl.*, t. IX, p. 20).

2. *Matth.*, VII, 18.

" maximaque acerbitate permixtos, nam ex certissimis in-
" diciis, quae supra commemoravimus, erumpit illud quod est
" consiliorum suorum ultimum, scilicet *evertere funditus* om-
" nem eam, quam instituta christiana pepererunt *disciplinam*
" *religionis reique publicae*, novamque ad ingenium suum
" exstruere, ductis e medio *Naturalismo* fundamentis et
" legibus. "

15. Hisce præmissis de Massonica secta in genere, pro prudentia et justitia et veritate sua, incipit Pastor supremus etiam ovium perditarum, exceptiones quasdam pro singulis individuis, in particulari sumptis, indicare. 1) " Haec, quae
" diximus, aut dicturi sumus, de secta Massonica intelligi
" oportet, spectata in genere suo, et quatenus sibi cognatas
" foederatasque complectitur societates ; non autem de sec-
" tatoribus eorum singulis. In quorum numero utique pos-
" sunt esse, nec pauci, qui quamvis culpa non careant, quod
" sese istius modi implicuerint societatibus, tamen nec sint
" flagitiose factorum per se ipsi participes, et illud ultimum
" ignorent, quod illae nituntur adipisci. 2) Similiter ex con-
" sociationibus ipsis nonnullae fortasse nequaquam probant
" conclusiones quasdam extremas, quas, cum ex principiis
" communibus necessario consequantur, consentaneum esset
" amplexari, nisi per se foeditate sua turpitudo ipsa deter-
" reret. 3) Item nonnullas locorum temporumve ratio sua-
" det minora conari, quam aut ipsae vellent aut ceterae solent:
" non idcirco tamen alienae a Massonico foedere putandae,
" quia Massonicum foedus non tam est ab actis perfectisque
" rebus, quam a sententiarum summa iudicandum. "

16. Jam perventum est ad illam Encyclicæ partem, quæ est ejusdem veluti climax, et in qua Doctor infallibilis incipit confutare *Naturalismum*, seu Franco-muratorum systema genuinum.

A. Quoad Religionem. Ostendit quod sicut naturalismus omnem rejicit revelationem et consequenter omnem aucto-

ritatem doctrinalem, ita secta Massonum, ubi semel dominatur, satagit : 1) principia christiana a gubernio reipublicæ removere; 2) Ecclesiæ vim et efficaciam in hominum directionem imminuere ; 3) Sanctam Sedem destruere.

Proinde : (1) " Iamvero, naturalistarum caput est, quod " nomine ipso satis declarant, humanam naturam humanam" que rationem cunctis in rebus magistram esse et principem " oportere.

" Quo constituto, officia erga Deum vel minus curant, vel " opinionibus pervertunt errantibus et vagis. Negant enim " quicquam esse Deo auctore traditum ; nullum probant de " religione dogma, nihil veri, quod non hominum intelli" gentia comprehendat, nullum magistrum, cui propter auc" toritatem officii sit iure credendum. Quoniam autem mu" nus est Ecclesiae catholicae singulare sibique unice pro" prium doctrinas divinitus acceptas auctoritatemque magi" sterii cum ceteris ad salutem caelestibus adiumentis plene " complecti et incorrupta integritate tueri, idcirco in ipsam " maxima est inimicorum iracundia impetusque conversus.

" Nunc vero in iis rebus, quae religionem attingunt, spe" ctetur quid agat, præsertim ubi est ad agendi licentiam " liberior, secta Massonum ; omninoque iudicetur, nonne " plane re exequi Naturalistarum decreta velle videatur.

(2) " Longo sane pertinacique labore in id datur opera, " nihil ut Ecclesiae magisterium, nihil auctoritas in civitate " possit : ob eamque caussam vulgo praedicant et pugnant, " rem sacram remque civilem esse penitus distrahendas. " Quo facto saluberrimam religionis catholicae virtutem a " legibus, ab administratione reipublicae excludunt ; illud" que est consequens, ut praeter instituta ac praecepta Eccle" siae, totas constituendas putent civitates.

" Nec vero non curare Ecclesiam, optimam ducem, satis " habent, nisi hostiliter faciendo laeserint.

" Et sane fundamenta ipsa religionis catholicae adoriri

" fando, scribendo, docendo, impune licet: non iuribus " Ecclesiae parcitur, non munera, quibus est divinitus aucta, " salva sunt.

" Agendarum rerum facultas, quam minima illi relinqui- " tur, idque legibus specie quidem non nimis vim inferenti- " bus, re vera natis ad impediendam libertatem.

" Item impositas clero videmus leges singulares et graves, " multum ut ei de numero, multum de rebus necessariis in " dies decedat: reliquias bonorum Ecclesiae maximis ad- " strictas vinculis, potestati et arbitrio administratorum rei- " publicae permissas : sodalitates ordinum religiosorum su- " blatas, dissipatas.

(3) " At vero in Sedem Apostolicam romanumque Pon- " tificem, longe est inimicorum incitata contentio.

" Is quidem primum FICTIS DE CAUSSIS DETURBATUS EST " PROPUGNACULO LIBERTATIS IURISQUE SUI, PRINCIPATU CIVI- " LI ; — mox in statum compulsus iniquum simul et obiectis " undique difficultatibus intolerabilem : — donec ad haec " tempora perventum est, quibus sectarum fautores, quod " abscondite secum agitarant diu, aperte denunciant, sacram " tollendam Pontificum potestatem, ipsumque divino iure " institutum funditus delendum Pontificatum.

" Quam rem, si cetera deessent, satis indicat hominum, " qui conscii sunt, testimonium, quorum plerique, cum saepe " alias, tum recenti memoria rursus hoc Massonum verum " esse declararunt, velle eos maxime exercere catholicum " nomen implacabilibus inimicitiis, nec ante quieturos,quam " excisa omnia viderint, quaecumque summi Pontifices reli- " gionis caussa instituissent.

" Quod si,qui adscribuntur in numerum,nequaquam eiurare " conceptis verbis instituta catholica iubentur, id sane tantum " abest, ut consiliis Massonum repugnet, ut potius adserviat.

" Primum enim simplices et incautos facile decipiunt hac " via, multaque pluribus invitamenta praebent.

" Tum vero obviis quibuslibet ex quovis religionis ritu " accipiendis, hoc assequuntur, ut re ipsa suadeant magnum " illum huius temporis errorem, religionis curam relinqui " oportere in mediis, nec ullum esse inter genera discrimen.

"Quae quidem ratio comparata ad interitum est religionum " omnium, nominatim ad catholicae, quae cum una ex omni- " bus vera sit, exaequari cum ceteris sine iniuria summa non " potest.

17. B. — QUOAD MORES." Sed longius NATURALISTAE pro- " grediuntur.

" In maximis enim rebus tota errare via audacter ingressi, " praecipiti cursu ad extrema delabuntur, sive humanae im- " becillitate naturae, sive consilio iustas superbiae poenas " repetentis Dei.

" Ita fit, ut illis ne ea quidem certa et fixa permaneant, " quae naturali lumine rationis percipiuntur, qualia profecto " illa sunt: — Deum esse; — animos hominum ab omni esse " materiae concretione segregatos, — eosdemque immortales.

" Atqui secta MASSONUM ad hos ipsos scopulos non dissi- " mili cursus errore adhaerescit.

(1) " Quamvis enim Deum esse generatim profiteantur, " id tamen non haerere in singulorum mentibus firma assen- " tione iudicioque stabili constitutum, ipsi sibi sunt testes.

" Neque enim dissimulant, hanc de Deo quaestionem " maximum apud ipsos esse fontem caussamque dissidii ; " immo non mediocrem hac ipsa de re constat extitisse inter " eos proximo etiam tempore contentionem. Re autem vera, " initiatis magnam secta licentiam dat, ut alterutrum liceat " suo iure defendere, Deum esse, Deum nullum esse ; et qui " nullum esse praefracte contendant, tam facile initiantur, " quam qui Deum esse opinantur quidem, sed de Eo prave " sentiunt, ut Pantheistae solent : quod nihil est aliud, quam " divinae naturae absurdam quamdam speciem retinere, veri- " tatem tollere.

" Quo everso infirmatoque maximo fundamento, consequens est ut illa quoque vacillent, quae natura admonente cognoscuntur, cunctas res libera creatoris Dei voluntate extitisse ; mundum providentia regi ; nullum esse animorum interitum ; huic, quae in terris agitur, hominum vitae successuram alteram eamque sempiternam.

(2) " His autem dilapsis, quae sunt tamquam naturae principia, ad cognitionem usumque praecipua, quales futuri sint privati publicique mores, facile apparet. — Silemus de virtutibus divinioribus, quas absque singulari Dei munere et dono nec exercere potest quisquam, nec consequi ; quarum profecto necesse est nullum in iis vestigium reperiri, qui redemptionem generis humani, qui gratiam coelestem, qui sacramenta, adipiscendamque in coelis felicitatem pro ignotis aspernantur.

" De officiis loquimur, quae a naturali honestate ducuntur. Mundi enim Opifex idemque providus gubernator Deus : lex aeterna naturalem ordinem conservari jubens, perturbari vetans ; ultimus hominum finis multo excelsior rebus humanis extra haec mundana hospitia constitutus: hi fontes, haec principia sunt totius iustitiae et honestatis. Ea si tollantur, quod naturalistae idemque Massones solent, continuo iusti et iniusti scientia ubi consistat, et quo se tueatur omnino non habebit.

(3) " Et sane disciplina morum, quae Massonum familiae probatur unice, et qua informari adolescentem aetatem contendunt oportere, ea est quam et *civicam* nominant et *solutam* ac *liberam ;* scilicet in qua opinio nulla sit religionis inclusa.

(4) " At vero quam inops illa sit, quam firmitatis expers, et ad omnem auram cupiditatum mobilis, satis ostenditur ex iis, qui partim iam apparent, poenitendis fructibus. Ubi enim regnare illa liberius coepit, demota loco institutione christiana, ibi celeriter deperire probi integrique mores ;

" opinionum tetra portenta convalescere: plenoque gradu " audacia ascendere maleficorum ([1]). Quod quidem vulgo con- " queruntur et deplorant; idemque non pauci ex iis, qui minime " vellent, perspicua veritate compulsi, haud raro testantur.

(5) " Praeterea, quoniam est hominum natura primi labe " peccati inquinata, et ob hanc caussam multo ad vitia quam " ad virtutes propensior, hoc omnino ad honestatem requiri- " tur, cohibere motus animi turbidos et appetitus obedientes " facere rationi. In quo certamine despicientia saepissime " adhibenda est rerum humanarum, maximique exhauriendi " labores ac molestiae, quo suum semper teneat ratio victrix " Principatum.

" Verum Naturalistae et Massones, nulla adhibita iis rebus " fide, quas Deo auctore cognovimus, parentem generis huma- " ni negant deliquisse: propterea que liberum arbitrium nihil " *viribus attenuatum et inclinatum* ([2]) putant.

(6) " Quin immo exaggerantes naturae virtutem et excel- " lentiam, in eaque principium et normam iustitiae unice col- " locantes, ne cogitare quidem possunt, ad sedandos illius " impetus regendosque appetitus assidua contentione et " summa opus esse constantia. Ex quo videmus vulgo sup- " peditari hominibus illecebras multas cupiditatum ; epheme- " ridas commentariosque nulla nec temperantia nec verecun- " dia ; ludos scenicos ad licentiam insignes ; argumenta " artium ex iis, quas vocant *Verismi*, legibus proterve quae- " sita ; excogitata subtiliter vitae artificia delicatae et mollis ; " omnia denique conquisita voluptatum blandimenta, quibus " sopita virtus conniveat. In quo flagitiose faciunt, sed sibi " admodum constant, qui expectationem tollunt bonorum " coelestium, omnemque ad res mortales felicitatem abiiciunt " et quasi demergunt in terram.

1. Videsis pro confirmatione dictorum Beatissimi Patris lugendos fructus educationis laïcæ expositos in pluribus Ephemeridum articulis, imo fere quotidianis, qui inscribuntur: *Criminalité de l'enfance.*

2. Trid., Sess. VI, *De justific.*, c. 1.

(7) " Quae autem commemorata sunt illud confirmare " potest non tam re, quam dictu inopinatum. Cum enim ho- " minibus versutis et callidis nemo fere soleat tam obnoxie " servire, quam quorum est cupiditatum dominatu enervatus " et fractus animus, reperti in secta Massonum sunt, qui " edicerent ac proponerent, consilio et arte enitendum ut " infinita vitiorum licentia exsaturetur multitudo : hoc enim " facto, in potestate sibi et arbitrio ad quaelibet audenda " facile futurum.

18. C. — Quoad familiam. " Quod ad convictum attinet " domesticum, his fere continetur omnis Naturalistarum disci- " plina.

(1) " Matrimonium ad negotiorum contrahendorum perti- " nere genus ;

" Rescindi ad voluntatem eorum, qui contraxerint iure " posse ;

" Penes gubernatores rei civilis esse in maritale vinculum " potestatem. "

Hanc bestialem doctrinam ut vere Massonicam aperte proclamavit Massonum dux supremus Lemmi, Bononiæ, anno 1892 : " Plus de base sacramentelle à la famille. L'unique sacrement est l'amour. Le mariage civil admis, entraîne sa conséquence nécessaire : le divorce (1). "

(2) " In educandis liberis nihil de religione praecipiatur ex " certa destinataque sententia ; integrum singulis esto, cum " adoleverit aetas, quod maluerint sequi.

" Atqui haec ipsa assentiuntur plane Massones ; neque " assentiuntur solum, sed iamdiu student in morem consue- " tudinemque deducere. Multis iam in regionibus, iisdemque " catholici nominis, constitutum est ut, praeter coniunctas " ritu civili, iustae ne habeantur nuptiae ; alibi divortia fieri, " lege licet ; alibi, ut quamprimum liceat, datur opera. Ita ad " illud festinat cursus, ut matrimonia in aliam naturam con-

1. Mgr de T'Serclaes, *Léon XIII*, t. II, p. 122.

" vertantur, hoc est in coniunctiones instabiles et fluxas, quas " libido conglutinet, et eadem mutata dissolvat.

" Summa autem conspiratione voluntatum illuc etiam spe- " ctat secta Massonum, ut institutionem ad se rapiat ado- " lescentium. Mollem enim et flexibilem aetatem facile se " posse sentiunt arbitratu suo fingere, et, quo velint, torquere: " eaque re nihil esse opportunius ad sobolem civium, qualem " ipsi meditantur, talem reipublicae educandam.

" Quocirca in educatione doctrinaque puerili nullas Ec- " clesiae ministris nec magisterii nec vigilantiae sinunt esse " partes: pluribusque iam locis consecuti sunt, ut omnis sit " penes viros laicos adolescentium institutio; itemque ut in " mores informandos nihil admisceatur de iis, quae hominem " iungunt Deo, permagnis sanctissimisque officiis. "

Et encyclica sua ad Episcopos Italiæ de die 15 Octobris 1890, denuntiat Leo XIII Massonicam sectam, utpote quæ vult " Cuiuscumque religiosae instructionis scholas abolere, ac nova Instituta erigere, in quibus vel *ipsa feminea iuventus* ab quavis cleri auctoritate penitus eximatur. "

19. D. Quoad gubernationem Reipublicæ. " Sequuntur " civilis decreta prudentiae. Quo in genere statuunt Natura- " listae:

(1) " Homines eodem esse iure omnes, et aequa ac pari in " omnes partes conditione; unumquemque esse natura libe- " rum: imperandi alteri ius habere neminem; velle autem, " ut homines cuiusquam auctoritati pareant, aliunde quam " ex ipsis quaesitae, id quidem esse vim inferre.

(2) " Omnia igitur in libero populo esse; imperium iussu " vel concessu populi teneri, ita quidem, ut mutata voluntate " populari, Principes de gradu deiici vel invitos liceat.

(3) " Fontem omnium iurium officiorumque civilium vel " in multitudine inesse, vel in potestate gubernante civitatem, " eaque novissimis informata disciplinis.

(4) " Praeterea atheam esse rempublicam oportere; in

" variis religionis formis nullam esse caussam, cur alia alii " anteponatur : eodem omnes loco habendas.

" Haec autem Massonibus aeque placere, et ad hanc simi-" litudinem atque exemplar velle eos constituere res publi-" cas, plus est cognitum, quam ut demonstrari oporteat. " Iamdiu quippe omnibus viribus atque opibus id aperte " moliuntur : et hoc ipso expediunt viam audacioribus non " paucis ad peiora praecipitantibus, ut qui aequationem cogi-" tant, communionemque omnium bonorum, deleto ordinum " et fortunarum in civitate discrimine.

20. Compendium dictorum. " Secta igitur Massonum quid " sit, et quod iter affectet, ex his quae summatim attigimus, " satis elucet. "

Non immerito definitur : " Une association politique à la fois et religieuse, — professant la démocratie la plus pure en matière civile et politique, et le naturalisme rationaliste le plus accentué en religion. Elle tend de toutes ses forces à détruire l'ordre social actuellement existant, pour le reconstruire sur la base de ses principes ([1]), c'est-à-dire d'un paganisme pire que l'ancien ([2]). "

" Praecipua ipsorum dogmata tam valde a ratione ac tam " manifesto discrepant, ut nihil possit esse perversius.

(1) " Religionem et Ecclesiam, quam Deus ipse condidit, " idemque ad immortalitatem tuetur, velle demoliri, mores-" que et instituta ethnicorum duodeviginti saeculorum inter-" vallo revocare, insignis stultitiae est impietatisque audacis-" simae.

(2) " Neque illud vel horribile minus vel levius ferendum, " quod beneficia repudientur per Iesum Christum benigne

1. Onclair, *La franc-maçonnerie contemporaine*, 2[e] édit., p. 251.

2. En ipsissima Leonis XIII verba quibus ostendit sectam Massonum velle hominem satanice ad statum paganismo pejorem reducere :" Praecipit colendam homini esse naturam, atque huius unius principiis æstimari ac dirigi veritatem, honestatem, iustitiam oportere. Quo pacto, uti perspicuum est, compellitur homo ad mores fere vitaeque consuetudinem ethnicorum, eamque multiplicatis illecebris vitiosiorem. " (Encycl. *Praeclara*, 22 Junii 1894.)

" parta, neque hominibus solum singulis, sed vel familia vel " communitate civili consociatis; quae beneficia ipso haben- " tur inimicorum iudicio testimoniaque maxima. In huius- " modi voluntate vesana et tetra recognosci propemodum " videtur posse illud ipsum, quo Satanas in Iesum Christum " ardet, inexpiable odium, ulciscendique libido.

(3) " Similiter illud alterum, quod Massones vehementer " conantur, recti atque honesti praecipue fundamenta ever- " tere, adiutoresque se praebere iis, qui more pecudum, " quodcumque libeat, idem licere vellent; nihil est aliud quam " genus humanum cum ignominia et dedecore ad interitum " impellere.

(4) " Augent vero malum ea, quae in societatem cum " domesticam tum civilem intenduntur pericula. Quod enim " alias exposuimus, inest in matrimonio sacrum et religio- " sum quiddam omnium fere et gentium et aetatum con- " sensu; divina autem lege cautum esse, ne coniugia dirimi " liceat. Ea si profana fiant, si distrahi liceat, consequatur in " familia necesse est turba et confusio, excidentibus de digni- " tate feminis, incerta rerum suarum incolumitatisque so- " bole.

(5) " Curam vero de religione publice adhibere nullam, " et in rebus civicis ordinandis, gerendis, Deum nihilo magis " respicere, quam si omnino non esset, temeritas est ipsis " ethnicis inaudita; quorum in animo sensuque erat sic peni- " tus affixa non solum opinio deorum, sed religionis publicae " necessitas, ut inveniri urbem facilius sine solo, quam sine " Deo posse arbitrarentur......

21. " Ceterum ex iis, quos commemoravimus, turbulentis " erroribus, maximae sunt civitatibus extimescendae formidi- " nes ... necessario secutura est rerum omnium commutatio " et eversio.

" Hanc immo commutationem eversionemque consulto " meditantur, idque prae se ferunt plurimi COMMUNISTARUM

" et SOCIALISTARUM consociati greges: *Quorum coeptis alie-*
" *nam ne se dixerit secta* MASSONUM, *quae et consiliis eorum*
" *admodum favet, et summa sententiarum capita cum ipsis*
" *habet communia.*

" Quod si nec continuo nec ubique ad extrema experiendo
" decernunt, non ipsorum est disciplinae, non voluntati tri-
" buendum, sed virtuti religionis divinae, quae extingui non
" potest; itemque saniori hominum parti, qui societatum
" clandestinarum recusantes servitutem, insanos eorum
" conatus forti animo refutant. "

22. Quid autem velint *communistæ* et *socialistæ* jam docuit idem Videns noster, Encyclica sua *Quod apostolici*, diei 20 Decembris 1878. " Per universum Orbem diffusi, et iniquo inter se foedere arctissime colligati, non amplius ab occultorum conventuum tenebris praesidium quaerunt, sed palam fidenterque in lucem prodeuntes, quod iampridem inierunt consilium cuiuslibet civilis societatis fundamenta convellendi, perficere adnituntur.

Deinde ostendit Beatissimus Pater, eos auctoritatem, familiam ac proprietatem impetere. " Per immane facinus, cum omnium hominum necessitatibus consulere et desideriis satisfacere videantur, quidquid aut legitimae haereditatis titulo, aut ingenii manuumque habere, aut victus parsimonia adquisitum est, rapere et commune habere contendunt. "

" Ut primum conflari coeperunt clandestinae societates earum sinu errores, quos memoravimus, iam tum fovebantur.

" Manifestum est quibus gravissimis verbis et quanta animi firmitate et constantia gloriosus Decessor Noster Pius IX, s. m. tum contra iniqua sectarum conamina, tum nominatim contra iam ex ipsis erumpentem *socialismi* pestem dimicaverit [1]. "

Præstat quædam ipsius Pii magni de *socialistis* et *communistis* audire prolata.

1. Leo XIII, Ibid., *Quod apostolici.* — (Vide supra, c. 1, n° 11, pag. 18 et 19.)

" Ignotum non est præcipuos illos hujus scelestissimæ machinationis architectos eo tandem spectare, ut populos, omni perversarum doctrinarum vento agitatos, ad subversionem impellant totius ordinis humanarum rerum, atque ad nefaria novi *socialismi* et *communismi* systemata traducant [1]. "

" Constat autem, ipsis seu *communismi* seu *socialismi* magistris, diversa licet via ac methodo agentibus, illud demum commune esse propositum, ut operarios atque alios inferioris præsertim status homines, suis deceptos fallaciis, et faustioris conditionis promissione illusos, continuis commotionibus exagitent, atque ad graviora paulatim facinora exerceant; ut postmodum illorum opera uti possint ad superioris cujusque auctoritatis regimen oppugnandum, ad expilandas, diripiendas, vel invadendas Ecclesiæ primum, ac deinde aliorum quorumcumque proprietates [2]."

"Ex occupatis temporalibus bonis ad Ecclesiam legitimo proprietatis jure spectantibus, contigit ut decrescente in populis reverentia erga proprietates religionis destinatione consecratas, multi hinc faciliores præberent aures audacissimis novi *socialismi* et *communismi* assertoribus [3]. "

23. Ut merito affirmat Leo XIIIsecta Massonica summa sententiarum capita communia habet cum socialistis. Etenim :

(1) Volunt omnes scholas, etiam puellarum, a religione et clero subtrahere ;

(2) Leges omnes a qualibet cleri auctoritate severissime tueri ;

(3) Ordines quosque religiosos amandari ;

(4) Universum ecclesiasticum patrimonium laïcizare ;

(5) " Ecclesiae, seu, ut aiunt, clericalis auctoritatis exercendae jus arcere a quavis publica administratione ; a piis

1. Pius IX, Encycl. *Nostis*, 8 Dec. 1849. *Recueil des alloc., etc.*, p. 242.
2. *Ibid.*, p. 250.
3. *Ibid.*, p. 258.

operibus seu Institutis, a nosocomiis, a gymnasiis, a publicis consiliis, ab academiis, a civicis circulis, a quavis civium societate legitime constituta, a comitatibus, demum a familiis ; arcere videlicet a *quacumque re, undique, semper.* — Contra vero debetin quibuslibet socialis vitae actibus Massonicae sectae auctoritas persentiri, eaque omnium rerum domina et arbitra fieri.

(6) " Hac ratione ad Pontificatum ipsum abolendum facile pandetur via, atque ita ab implacabili capitalique adversario suo Italia libera erit; — ac Roma,quae hactenus universalis Theocratiae centrum fuit posthac laici, item universalis regiminis centrum et caput erit, unde palam universo mundo *magna charta* libertatis humanae proclamabitur [1]. "

24. Eventus autem probavit, præsertim in Italia communes esse Massonum et socialistarum ideas atque conatus in Ecclesiam ac societatem.

" Satanae, cuius eae Massonicae sectae instrumenta sunt, spiritu pervasae, in CHRISTUM IESUM et ab eo institutam Ecclesiam mortali atque implacabili odio, sicut earum inspirator Diabolus, adeo exardescunt, ut, quoad possunt, eam labefactare, aut saltem compedire conentur.

" Id bellum praesenti tempore, magis quam alibi in Italia geritur, ubi catholica Religio altius radices egit ; maxime vero in hac Urbe Roma, ubi catholicae unitatis centrum et caput est, et ubi sedet universalis Ecclesiae Pastor et Magister. "

En variæ hujus belli phases :

(1) Primo quidem cœptum est ab evertendo, sub politica specie,civili Romanorum Pontificum Principatu,ad supremam ipsam eorumdem spiritualem potestatem pessumdandam.

(2) Illico religiosorum Ordinum suppressio successit, qua evangelici operarii sunt valde numero imminuti.

1. Encycl. Ad Episc., clerum et popul. Ital., 15 Oct. 1890. *Acta S. Sedis*, t. XXIII, p. 211.

(3) Deinceps ad militiam subeundam, etiam juvenes clerici, lege lata, compulsi sunt, consequentibus multis et gravibus obstaculis delectui Clericorum habendo.

(4) Manibus præterea in ecclesiasticum patrimonium violenter admotis, illud partim fisco prorsus adjudicatum fuit, partim enormissimis tributis summopere tenuatum, eo consilio ut ad egestatem redigeretur Clerus, et Ecclesia iis privaretur adminiculis, quibus ad vivendum institutaque ac pia opera promovenda in terris indiget.

(5) Ipsa civilis dominatus actio ad christianum characterem ex Itala natione delendum, tota continenter se dirigit. Ab legibus, ab omni officialis vitæ actu, quævis idea religiosa constanter excluditur, nisi forte etiam directe oppugnetur.

(6) Quævis publica fidei catholicæ manifestatio aut inhibetur, aut, speciosas ob causas, sexcentis modis impeditur.

(7) Familiis submota earum basis est religiosa constitutio, matrimonio, quod civile vocant, proclamato.

(8) Instructio omnino laïca præcipitur, a primis litterarum rudimentis usque ad supremas in archigymnasiis audiendas præceptiones, — ex quo eveniet ut novæ generationes sine ulla Religionis idea succrescere adigantur.

" Moralem Cleri, id est catholicae Ecclesiae, in populos auctoritatem ex ipsis socialis vitae fontibus, schola videlicet et familia funditus evellere, axioma est ab Massonicae sectae scriptoribus authentice declaratum [1]. "

Ejusmodi systema, ubicumque eadem secta suam impiam ac nefastam actionem exserit, adoptatur, atque in usum deducitur ; et quoniam hæc secta late diffusa est, ideo illud systema antichristianum et ipsum late est publicis actibus applicatum. At vero ista applicatio in iis regionibus magis rapida ac universalis evadit, quorum moderatores magis sectæ Massonicæ imperio obnoxii sunt. Leges, quas isti con-

1. Encycl. Leonis XIII ad Episc., clerum et popul. Ital., 15 Oct. 1890.

dunt, Ecclesiæ infestæ, primum in sectæ conventibus proponuntur, decernuntur, definitive statuuntur. Sufficit autem quamcumque rem aliquam præ se ferre contumeliæ speciem in Ecclesiam, ut eadem illico promota conspiciatur ([1]).

25. Coronidis causa præstat cum Leone XIII animadvertere aliam perfidam artem quam adhibent Massones ut intenta obtinerent: Ecclesiam scilicet apud Principes insimularunt, et Principes ipsos ac Ecclesiam apud populos; dum e contrario Ecclesia "amica pacis, altrix concordiae, materna " omnes caritate complectitur, et iuvandis mortalibus unice " intenta, iustitiam oportere docet cum clementia, imperium " cum aequitate, leges cum moderatione coniungere: nullius " ius violandum, ordini tranquillitatique publicae serviendum, " inopiam miserorum, quam maxime fieri potest, privatim " et publice sublevandam."

Et recte concludit Rector Orbis terrarum: "Quibus cogni- " tis, hoc esset civili prudentiae admodum congruens, et " incolumitati communi necessarium, Principes et populos " non cum Massonibus ad labefactandam Ecclesiam, sed cum " Ecclesia ad frangendos Massonum impetus conspirare ([2])."

26. Ex omnibus hisce satis superque, ni fallor, patet, occupationem Romanam auctores atque fautores habuisse, non genuinos Italiæ filios, sed Massonum coryphæos atque duces socialistarum, dignam earumdem sobolem.

Scopus ergo hujus viperarum progeniei hic minime fuit, ut liberaretur vel unificaretur regnum Italiæ, sed ut funditus everteretur spiritualis potestas Vicarii Christi, imo, si fieri posset, ut destructo toto Christi regno, seu Ecclesia in terris, nova daretur instauratio Naturalismi, id est Paganismi, seu regni Luciferi, cum horribili sua crudelitate ac infernali *egoïsmo* per Orbem terrarum.

Animus horum conatuum est animus superbi illius angeli

1. Encycl. Leonis XIII ad Episc., cler. et pop. Ital., 15 Oct. 1890.
2. Encycl. *Humanum genus*.

cujus adagium est : " Similis ero Altissimo! " — Cujus vox ad homines vox est semper antiqui serpentis : " Eritis sicut dii. " — Cujus satellitum quorumcumque hic unus est belli clamor : " Non serviam!.. Nolumus hunc regnare super nos ! "

En opus Satanæ! En opus Massonum et Socialistarum ! En opus totius infernalis catervæ in Christum et in ejus Ecclesiam.

Sed : " Quis ut Deus ! " Christus usque ad consummationem sæculi manet cum sua Ecclesia et " portae inferi non praevalebunt adversus eam. " Hoc infallibile Omnipotentis vaticinium in æternum perstat æternumque manebit !.....

CAPUT SEPTIMUM.

Secta malefica Massonum mediis omnigenis aggreditur arcem tutissimam ordinis christiani et socialis et de ea triumphum agit, Dominium S. Sedis Romamque occupando.

1. Temporale hoc Dominium sæpissime oppugnatum. — 2. Hoc sæculo molimina Massonum per tres phases procedunt quarum prima est *violenta aggressio.* — 3. Leo XII in eos sævit. — 4. Eorum audacia sub Pio VIII. — 5. Et sub Gregorio XVI. — 6. Secundam viam ineunt, nempe *diplomaticam.* — 7. Concessiones Pii IX. — 8. Qui coactus est Cajetam petere. — 9. Quatuor catholicarum implorat opem nationum. — 10. Quæ suis copiis Dominium S. Sedis liberant. — 11. Accendit furorem Massonum Concordatus 1855 cum Austria initus. — 12. Regnum Subalpinum castellum fit conjuratorum Massonum. — 13. Durante bello 1859 cum Austria, Pontificiam ditionem perturbant Massones. — 14. Tertia phasis: *nationalitatis Italianæ.* — 15. Perfidum latrocinium Massonum apud Castelfidardo. — 16. Proclamatio "Syllabi," 1864, magis Massones accendit. — 17. Victoria militum Pontificalium apud Nomentanum. — 18. Conatus Massonum ad debilitandum nationes protectrices S. Sedis. — 19. Ordo chronologicus ultimorum eventuum. — 20. Invasio Urbis 20ª die Septembris 1870. — 21. Comœdia Plebisciti. — Justitia hominis et justitia Dei. Napoleo, Victor-Emmanuel ac Pius IX. — 22. Electio Leonis XIII, qui rejicit a Massonibus speratum *modum vivendi.* — 23. Glorificatio Satanæ in Urbe, occasione signi apostatæ Bruno, a Massonibus erecti, deinde Apotheoseos jubilaei 25 annorum ab Urbe capta 20 Septembris 1896. — 24. Conclusio: Instabilitas regni Massonici in Europa.

1. Jure merito potest Ecclesia Romana, intuita Dominium suum civile et retrospiciens, cantare cum Psalmista: "Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, dicat nunc Israel, sæpe expugnaverunt me a juventute mea; etenim non potuerunt mihi [1]."

1. *Psalm.*, CXXVIII, 1.



Juxta - Schrader - Parisus - 1896.

Sæpe, imo sæpissime! Etenim in libello typis vaticanis anno 1890 impresso, sub titulo : *La verita intorno alla questione Romana* (1), legimus Pontificem 150 vicibus Roma expulsum Urbemque cum temporali Dominio totidem fuisse usurpatam. — Quinimo legatus Toscanelli in comitiis publicis mentionem fecit de 171 revolutionibus, quas passus est Principatus civilis Pontificum, et e quibus semper incolumis evasit (2).

Ipso nostro sæculo, quot vicissitudines sustinuit idem sacrum Dominium (3)!

Sed non opus est ut in factis olim patratis immoremur : statim videamus quomodo actualis occupatio Romæ satanice fuerit præparata et revera diabolice peracta atque continuata.

2. Triplex quasi exstitit phasis agitationum : 1. *Violenta aggressio*. 2. *Diplomatica astucia*. 3. *Subreptitia nationalitatis via*.

Violenta aggressio. Annus 1815 testari potuit quomodo potentissimus imperator Napoleo I, qui ultimo ausus fuerat Dominium S. Sedis usurpare, e throno suo fuerit dejectus a fautrice Providentia ab hominibus derelictus ac postremo in remotissima insula S. Helenæ relegatus; quomodo filius ipsius, quem insana superbia Regem Romæ creaverat, obscure obierit in Austria 21 annum agens, vix et ne vix quidem notus sub nomine Ducis de Reichstadt; dum e contra Pius VII, Pontifex Maximus, in majore parte statuum suorum Pontificalium fuerit per Europam diplomaticam tanquam rex institutus.

1. Exstat hujus libelli versio gallica : *La vérité sur la question Romaine*, par B. O. S. Paris. Retaux. In ejusdem præfatione dicitur de hoc ipso opusculo: « Il a été composé sur l'ordre du Pape Léon XIII, inspiré, revu par lui, retouché d'après ses indications, et il est sorti de la typographie spéciale du Pape. Si donc il n'est pas un document officiel, il est pour le moins officieux. » (pag. 2.)

2. Prélot, *Études, S. J.*, t. 65, pag. 181. *Nota.* Pallottini, *Sacerdotium et Imperium*, I, cap. 3, art. 3.

3. Cf. egregium opus R. P. Van Duerm, S. J. *Vicissitudes politiques du pouvoir temporel des papes de 1790 à nos jours.* Typis soc. S. Augustini, 1890, editum 1896 sub titulo *Rome et la Franc-maçonnerie.*

Clandestina secta maleficorum hominum cessit temporibus; ac continuo novis rebus studens et desiderio flagrans pristinum ordinem in Europa subvertendi, non potuit latere diu. Ideo et nova tentare molimina et violentas adstruere machinationes quibus everteretur et penitus destrueretur summa illa auctoritas religiosa qua, pro momento potentissimus imperator Napoleo usus fuit ut solium ascenderet et qua Principes Europæ modo utebantur ad priorem ordinem et concordiam restituenda, in votis fuit nefariorum istorum spirituum. Unica huc patebat via : subversio Principatus civilis R. Pontificis (1).

Hinc igitur si cum externis hostibus pax constare videbatur Europæ, et nobilis Austria per principem de Metternich ordinem tueri conabatur, peninsula Italica in sinu suo fovebat hostes internos, Massones seu Carbonarios quorum asseclæ, ut mos est zizaniis, in diem crescebant et vi et audacia et numero.

Mediante anno 1820 insurrectio Massonica studuit jam partes saltem Dominii S. Sedis, scilicet Beneventum et Ponto-Corvo adnectere regno Neapolitano ; sed frustra ; nam Cardinalis Consalvi, vir strenuus atque prudentia ; præditus, sategit ut ad nihilum reducerentur impia hæc tentamina.

Tunc 13 Septembris 1821 Pius VII denuntiavit mundo universo, per Encyclicam suam " *Ecclesiam a* JESU CHRISTO " " odium singulare Massonum in cathedram Apostolicam, et pestifera quæque ac perniciosa, quæ in eam moliuntur. "

Massones ad nihilum redigere ratus est etiam magnus ille et perspicax Princeps de Metternich, qui totam Europam contra infensissimum suum hostem Napoleonem adunaverat;

1. *Nota.* " Depuis la restauration légale de la souveraineté politique des Papes en 1815, le règne des successeurs de Pie VII, et surtout le règne de Pie IX, ne fut qu'une longue succession de sourdes intrigues et d'agressions violentes qui aboutit au renversement du pouvoir temporel. Toutes les insurrections d'Italie, celles de Naples en 1820, 1848, et des Romagnes,1831, 1832, 1848,furent l'œuvre des sectes, notamment des *Carbonari.* " (J.D.F.Z. — Lettre de Léon XIII au card. Rampolla, p. 8.)

sed in cassum laboravit. Ut serpens jam enim irrepserat secta ista diabolica usque in cancellariam hujus Principis; nam consiliarius ejus intimus, qui erat ei a secretis, Gaetano, et ipse erat Franco-murator, verus proditor, qui clam proposita domini sui sectariis communicabat eaque inania reddebat ([1]). Nihilominus, ad conterendam hydriam Massonicam, catholicus de Metternich convocavit, sub patronatu Francisci I, congressus Aquisgranum ; postea in Carlsbad, in Troppau, in Laybach; necnon Veronam ; ast in vanum laborasse videtur.

Per totam sequentem ætatem historia continuo obviam habet occultos Massonum conatus, incitamenta ad rebelliones excitandas, et omnis generis corruptiones. Unitos se præbent Massones cum Carbonariis, quæ tamen inferiores sectæ ducuntur ab occultis ducibus, qui sese altam vel supremam *Ventam* appellant. Hæc suprema secta, Judaico-Massonica, primo pro scopo sibi proponit perversionem cleri, præsertim vero cleri statuum Ecclesiæ atque judaico more patienter, astute et satanice procedit. Ubi semel clerus corruptus existet facili negotio corrumpetur et religio, et delebitur nomen christianorum, et omnes dediti erunt servituti aristocratiæ ejusdem Judaico-Massonicæ ([2]). Talia meditabantur Satanæ emissarii.

3. Pio VII successit Leo XII, qui Cardinali Thomæ Bernetti omnem contulit auctoritatem ut Massones detegeret, eorum tentamina prosequeretur, et valde instructivas litteras interciperet. — Ut eorum conspirationem jam late diffusam infructuosam redderet, per constitutionem suam *Quo graviora*, diei 13 Martii 1825, detegit consilia et instituta sectarum, eisque merito, et certa de scientia, adscribit acerbissimas calamitates, quibus fere ubique Ecclesia et societas vexantur. Sectas has clandestinas furiosas et scelestas

1. Eum tamen postea probabiliter conversum fuisse ostendit P. Onclair : *La Franc-maçonnerie contemporaine*. 2 Ed., cap. X.
2. Van Duerm, *l. c.*, p. 132-134.

iterum damnat, Principesque sic monefacit : " Non modo ad catholicam religionem defendendam, sed ad tuendam etiam vestram et populorum incolumitatem, sectæ illæ a vobis coercendæ sunt. Tanta est hominum eorum callidissimorum astutia, ut cum maxime videntur vestræ potestatis amplificationi studere, tum ejus eversionem præcipue spectent. "

Ast proh dolorem ! Gubernia nec intellexerunt monita Vicarii Christi,sicut nec ante vocem Principis de Metternich audierant. Constitutioni Leonis applicare licet verba quæ ipse locutus est Principibus de non auditis constitutionibus, quas ex integro refert, Clementis XII et Benedicti XIV, § 5 : " Utinam qui rerum tunc potiebantur, tanti hæc decreta fecissent, quanti tum Ecclesiæ tum Reipublicæ salus postulabat ! Utinam potestate illa sua usi essent, ad sectas convellendas, quarum pestifera consilia iis a Sede Apostolica fuerant patefacta! Jam ab eo tempore rem plane confecissent ! "

Ex odio erga Pontificem, qui audacter hæc conscripserat, decreverunt Massones Ravennatenses mortem Cardinalis-Legati Rivarola; sed sicarius, qui jussus erat eum occidere, in errorem inductus fefellit et prælato cuidam adstanti mortem intulit, quod crimen nihilominus Reges, animis incuria sopitis, pacate tulere. — " Monuimus Principes, — ita suspiravit Leo XII, — et Principes dormiunt; et monuimus ministros eorum et ministri non vigilant ([1]). "

4. Pius VIII, successor Leonis XII, in brevissimo suo Pontificatu, iterum levat vocem contra Massones, nec auditur. " Perterriti sumus, inquit ejus secretarius status, Cardinalis Albani, perterriti sumus, viso periculo, in quo versatur Europa; et Europa saltat, ridet, ludit, ac si periculum exstaret tantum et unice pro Nobis ! "

Post decem annos indefessi laboris, Massones tandem rebellionem universalem præparaverunt, conturbatis universis Europæ regionibus, Polonia, Hispania, Belgio, Italia,

1. Van Duerm, *l. c.*, p. 140.

Germania, atque Gallia. In hac ultima regione regem constituerunt Philippum Aurelianensem, Franco-muratorem, qui jactitabat sese ultimum esse Voltarii discipulum. Romæ sub mitissimo Pio VIII et moderato secretario status Cardinali Albani, adeo numero creverant et audaces facti erant Massones, ut revera in summæ temeritatis conatus prolaberentur. Vix enim Papa mortuo, proclamare ausi sunt excidium advenisse Principatus temporalis, finem ipsius Pontificatus, interitum Ecclesiæ! Præterea Bononia manu militari occupata, eo tandem confluxit universa nefaria fæx secretarum societatum, quæ tunc Legationibus dominabantur.

5. Et insuper die decima post electionem Gregorii XVI Carbonarii, sub signis palam Romæ adstiterunt, Urbem a Pontifice emancipandi causa; ast devicti a veris Romanis, Transteverinis et habitantibus vicum *dei monti*, fugam ceperunt. Inter rebelles numerabatur Ludovicus-Napoleo Buonaparte, qui futurus Imperator Galliæ, tunc genuinum se præbuit Carbonarium, ingrato animo Civita-Castellanæ, Spoletæ, et Anconæ arma gessit contra Pontificem Romanum, benefactorem et salvatorem familiæ suæ ([1]), jam ante Bononiæ, inter manus genitoris Felicis Orsini, anno 1831, jusjurandum Carbonarii emisit atque nunquam non contendebat ruinam Principatus temporalis S. Sedis, et Regnum constitutionale Italiæ, sub Rege Romæ.

Adeo numerosi erant eo tempore Massones armati in

1. Non abs re erit aliquid referre ex epistola quadam a nepote Napoleonis I Summo Pontifici missa : " On m'a dit que Votre Sainteté avait été affligée en apprenant que nous sommes au milieu de ceux qui se sont révoltés contre le pouvoir de la couronne de Rome... Je dis la vérité, je le jure, et je supplie Votre Sainteté de croire que je n'ai aucune ambition. Je puis également affirmer que j'ai entendu dire par tous les jeunes gens, même les moins modérés, que si Grégoire renonce au pouvoir temporel, *ils l'adoreront;* qu'ils deviendront eux-mêmes les plus chauds soutiens de la vraie religion, purifiée par un grand pape, et qui a pour base le livre le plus *libéral* qui existe, le divin Évangile " (Van Duerm, p. 144.) — Et tamen pater ejus qui hæc scripsit, scripserat ipse Cardinali Consalvi anno 1821 : " Conspirer contre notre auguste et seul bienfaiteur, serait une infamie sans nom. La famille des Buonaparte n'aura jamais ce reproche à s'adresser. " (*Ibid.*, p. 147.)

statibus Ecclesiæ, ut revera Gregorius XVI ratus, eos minime a militibus suis cohiberi posse, hanc ob rem intenderet auxilium petere a Gallorum Rege, Ludovico Philippo, qui tamen cum ligatus esset Massonibus, haud attentas aures præbuit atque principium *non-interventionis* alte proclamavit. Manifestavit ergo Pontifex corpori diplomatico intentionem suam efflagitandi auxilium ab Austria; ast statim restitit legatus Gallus, interposito iterum principio non-interventionis. — Hujus principii falsitatem hic per transennam notare juvat; quippe quod enim verbotenus omnem interventionem respuere videatur, funditus non sit nisi positiva interventio in favorem injustæ rebellionis contra legitimam auctoritatem et iniqua denegatio juris protectionis mutuæ, quod inter nationes regnare decet. Feliciter tamen invita Gallia, Franciscus I, et princeps de Metternich in Status Ecclesiæ copias miserunt, ad quarum aspectum ignavi Massones terga dederunt et sicut umbræ evanuerunt. Interea sollicitudo hæc et occupatio Austriaca in malam partem accepta fuit a Gubernio Gallico; ideoque prudentiæ causa non ultra tempus necessarium protracta fuit.

6. Tunc vero secta Massonica aliam viam iniens, nimirum *diplomaticam*, cœpit clamitare, sacerdotium incapax esse gerendi res civiles, et Papam, eo quod est sacerdos, inhabilem existere ad regendum. — Quibus rumoribus permotæ, voluerunt quædam nationes catholicæ modo stabili securitati Dominii temporalis Papalis prospicere, et hunc in finem Romæ collationem diplomaticam instituere, videlicet ad deliberandum de mediis huic securitati necessariis; quod profecto optimum fuisset Religioni et Europæ. Ast hic gubernium massonicum Angliæ Galliam stimulavit adversus Austriam, ejusque protectoratum super peninsula Italica. — Gallia voluit ergo ut in conferentia Romana adesset legatus anglicus; deinde Vienna, ex sua parte, convocavit protestanticam Borussiam et schismaticam Russiam; quo factum

est, ut gubernia acatholica, in conferentia illa Romana, majori essent numero. Huic præterea, cum exclusa essent cetera catholica regna Europæ, Hispanicum, Lusitanum, Bavaricum, Neapolitanum, tamen admissus fuit legatus Sardiniæ, cum voce consultativa et quasi perinde adesset ad instruendum de rebus gestis invidum suum gubernium, de cetero a Massonibus electum ut brevi postea occuparet Urbem. — Hi quidem legati anno 1831, quoddam conflavere *Memorandum*, quod reapse vota sanciebat Massonum, sed minime jura Pontificis sarta tectaque servabat, ideoque constanter et magnanimiter a Gregorio XVI recusatum fuit necnon deinceps retractatum a Borussia et Russia. Sed eheu! sparsa ubique erant semina rebellionis ac laicizationis animique erant accensi in gubernium Pontificale, et famosus Palmerston hæc zizaniæ fovit germina et scintillas zeli magis magisque inflammavit: " Oportet rebellare, rebellare continuo. " Sic vox viri istius ut classicum belli resonabat ad aures Italicorum Massonum. Insuper accidit quod rex Galliæ, Ludovicus-Philippus, haud certe minores attulerit difficultates gubernio Pontificali; qua in re, saltem indirecte, partes egit Massonum. Attamen adunatis viribus et Cardinalis Albani, viri animi fortissimi, et nobilis Radetzky, ducis austriaci, pax et quædam tranquillitas, per aliquot annos, in statibus Pontificalibus regnavit.

7. Interea Gregorio XVI, die 1 Junii 1846 defuncto, successit a die jam 16 ejusdem mensis, Pius IX, longissimum suum regnum 32 annorum incœpturus. Hic magnum specimen virorum Dei Orbi divinitus emissus videbatur, ad extollendum præstigium Ecclesiæ, postremis hisce sæculi XIX temporibus, quemadmodum olim in adjunctis æque arduis jam exeunte sæculo XI, datus fuit S. Gregorius VII, et ineunte XIII Innocentius III [1]. Pontifex subinde nactus est occasionem frangendi iras et præbendi se Vicarium Christi

1. *Hist. de Pie IX, le Grand, et de son Pontificat*, Abb. Sylvain.

qui locutus est : " Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. "

Manifestum est tunc temporis in tota Pontificia ditione innumeros exstitisse animos falsis rumoribus sectarum exagitatos et mirum in modum quassatos; nil absonum si magnanimo et paterno Pontifici cordi fuit eos prius in vera solidaque tranquillitate restituere; ideoque universalem veniam concedere captivis politicis et exulibus cunctis.

Omnes norunt, quibus laudum præconiis fuerit ubique concelebrata memoranda illa et amplissima venia, ad familiarum pacem, tranquillitatem felicitatemque procurandam concessa.

Sed recte dixit poeta : " Qui fert malis auxilium, post tempus dolet (1). " Et qui rigentem colubram sustulit sinuque fovit contra se ipse misericors. Sic benignus Pontifex sensit se nutricasse viperam Massonum.

" Ac neminem latet, plures ea venia donatos, non solum suam mentem non immutasse (quemadmodum sperabat Pius IX), verum etiam nihil intentatum reliquisse, ut civilem Romani Pontificis Principatum labefactarent, ac simul acerrimum sanctissimæ nostræ religioni bellum inferrent (2). "

Præterea, ne ansam factionibus præberet et ut bono pacis, si eam sincere optassent agitatores, prospiceret, concessit plura magnus et magnanimus Pius IX, quem cetero brevi post imitari coacti fuerunt reliqui Italiæ Principes. Ast sectis hoc tantum in animo erat ut continuis agitationibus usque eversionem regni pontificii pervenirent. Huic consilio favit rebellio illa quæ anno 1848 universam fere Europam jamjam conflagrare fecit dum a Massonibus ipsis acta fuit præsertim in Gallia, in Austria, in Sicilia et in Hungaria.

Carolus-Albertus, Sardiniæ rex, a juventute Carbonarius

1. *Phædri fab.*, liv. I, f. 2.
2. Alloc. Pii IX, 20 Aprilis 1849.

seu Franco-murator, partes egit illius factionis, quæ vocabatur " Italiæ liberæ "; et una cum ea, bellum indixit Austriæ. Recusans autem Pius IX arma sua jungere cum copiis Caroli-Alberti contra hostem communem, in bello ceteroquin injusto, non potuit quin eo summopere exasperaret Massones quorum primipili cœperunt Principatum Pontificalem apertius adoriri. Diebus 15 et 16 Novembris occisi sunt Rossi et Palma, hic camerarius, ille primus minister Pontificis, qui et ipse circumdatus fuit a Massonibus, in Quirinali suo palatio " inaudita prorsus violentia, infando ausu illata (1). "

Ut ipse loquitur Pius IX : " Ubi Italia a legitimis suis Principibus liberiores institutiones obtinuit, Nos, paternum animum gerentes, filiorum partem Pontificiæ Nostræ ditionis in civilem administrationem cooptavimus, et opportunas dedimus concessiones, propriis tamen prudentiæ modis ordinatas, at vero quid inde factum est? Effrena licentia innocua Nostra largitate potita est; aulæ, quo publici Ministri ac Deputati convenerant, limina sanguine respersa, et impia manus in eum sacrilege conversa, qui beneficium concesserat (2). "

Inter ceteros rebelles eminebat Princeps de Canino, Carolus-Buonaparte.

Quocirca Pius IX, tantis oppressus angustiis, cum, nedum Principis, sed ne Pontificis quidem partes libere obire posset, non absque maxima animi sui amaritudine a Sede sua discedere coactus fuit (3). — " Ecquis enim ignorat, rogat ipse, Nobis communicationem cum Urbe Roma, illiusque Nobis carissimo Clero, et universæ Pontificiæ ditionis Episcopatu, ceterisque fidelibus ita esse præpeditam, ut ne epistolas quidem de ecclesiasticis licet ac spiritualibus negotiis urgentes vel mittere, vel accipere libere possimus? Quis nescit

1. Alloc. Pii IX, 20 Aprilis 1849. — Van Duerme, *l. c.* 2e Edit., p. 195.
2. Alloc. 18 Martii 1861.
3. Alloc. *Quantis*, 20 Aprilis 1849.

Urbem Romam, proh dolor! silvam frementium bestiarum esse factam, cum ex omnium nationum hominibus redundet, qui vel apostatæ, vel hæretici, vel *communismi* aut *socialismi* magistri, omnium mentes et animos pervertere conantur, ut in Urbe ipsa, si fieri unquam posset, catholicæ Religionis sanctitas et irreformabilis fidei regula depravetur ([1]). " En itaque opus eorum qui jure meritoque communismi et socialismi magistri vocandi erant!

8. Die ergo 24 Novembris 1848 sub vespere Pius IX, clam et ut simplex sacerdos vestitus, secum ferens sanctissimam Eucharistiam, Roma profectus adjutorio legatorum diplomaticorum variarum nationum, exceptis Sardiniæ et Angliæ, Cajetam petiit, eoque postridie advenit, atque mox magnifice a rege Ferdinando I hospitio exceptus.

Ubi primum fugam Pontificis audisset dux et dictator Cavaignac, qui tunc caput erat gubernii Gallici, quin tamen ipsi Dominium temporale incolume servare intenderet, sponte jussit 3500 milites cum classe illico Romam proficisci Pontificem reducendi gratia; quod tamen nonnisi postea effectum est sub ex-carbonario Ludovico-Napoleone, cui cordi erat hanc arripere occasionem ut brevi post ad primam dignitatem ascenderet.

9. Interim omnium Principum catholicorum opem imploraverat Pater orbis catholici: " Ab Austria, inquit, quæ Pontificiæ Nostræ ditioni, ad septentrionem, finitima est, auxilium eo sane libentius efflagitavimus, quod ipsa temporali Apostolicæ Sedis dominio tuendo egregiam suam semper operam navaverit.

" Idem auxilium a Gallica natione expostulavimus.

" Hispaniæ quoque opem invocavimus, quæ alias catholicas nationes primum excitavit, ut filiali quodam fœdere inter se unito, communem fidelium Patrem, in propriam Sedem reducere contenderent.

1. Alloc. *Quantis*, 20 Aprilis, 1849.

" Hanc denique opem ab utriusque Siciliæ regno efflagitavimus, in quo hospitamur, apud illius Regem, qui in veram solidamque suorum populorum felicitatem promovendam totis viribus incumbens, tanta religione ac pietate refulget, ut suis ipsis populis exemplo esse possit ([1]). "

10. Et revera in hisce adjunctis catholicæ illæ quatuor regiones Ecclesiæ, et communis omnium fidelium Patris causam præ oculis habentes, ast non eodem animo inspiratæ ad civilem Apostolicæ Sedis Principatum tamquam libertatis tutelam vindicandum accurrere properarunt ([2]).

Austria victrix Legationes occupavit; exercitus tam Hispanicus quam Neapolitanus varia subsidia contulerunt, sed copiæ Gallicæ, non tamen nisi post multas titubationes gubernii tandem sub duce Oudinot, 3 Julii 1849 ingressæ sunt Urbem cujus claves statim ad Pium IX delatæ sunt. — Eversio Principatus civilis,cui sectæ tantopere inhiabant,postponenda adhuc erat et huic eventui catholicarum nationum animos prius prædisponere expediebat.

Verumtamen opportune advenerunt optati liberatores : nam a mense februario Joseph Mazzini, Carbonarius Genuensis, in Urbe secundam condiderat " Rempublicam Romanam ", sub qua, viri ecclesiastici et cives pacifici quam plurimi fuerunt occisi jussu Massonum. Inter sicarios illos primas partes tenuit Josephus Garibaldi. Refugit quidem animus, ut ait Pius IX, ac dicere reformidat, quibus quantisque fraudibus usi sint isti inimici Ecclesiæ et publici ordinis ([3]).

Attamen variis de causis præpeditus, Pius IX non nisi die 12 Aprilis 1850 Urbem petiit; duraverat exilium ultra sexdecim menses.

Sic primo causæ variæ imprævisæ, necnon animi Principum catholicorum paci et bono ordini studentes, inane

1. Alloc. 20 Aprilis 1849.
2. Cf. *Epist. Lud. Nap. Buonap.* — Ch. V. D., ch. X, p. 203 et XI, p. 214.
3. Alloc. *Quibus quantisque*, 20 Aprilis 1849.

reddiderunt tentamina Massonum primipilorum, evertendi Principatum temporalem R. R. Pontificum. Res ergo moram habuit et interea Massones potuerunt inquirere aliquod gubernium, quod rem executioni mandaret.

11. Anno 1855, Pius IX cum Austria iniit concordatum, quo varii supprimebantur abusus atque Ecclesiæ multa restituebantur justa privilegia; quod denuo adeo Massonum furorem accendit, ut ab eo tempore non cessarent ruinam Austriæ moliri.

Tempore quo res pacandi gratia Austriaci milites Italiam occupavere, rex Sardiniæ, Carbonarius Carolus-Albertus, jam conatus erat sub iniquo prætextu arma movere contra Austriam; sed victus Novaræ, Lusitaniam petiit, ubi in exilio obiit, ineunte anno 1849, digno filio suo Victori-Emmanueli curam relinquens hostiliter sese gerendi erga Austriam et hypocrite erga S. Sedem.

12. Ab hisce annis civitas Taurinorum, caput regni Sardiniæ, refugium facta est Massonum conjuratorum ex omni parte Italiæ. Ibi sub auspicio primi ministri, comitis Cavour, fas erat ipsis nefaria inire consilia contra Dominium S. Sedis, cum ex alia parte exulibus Hungaris ac notissimo Kossuth liceret odium excitare non in Romanum Pontificem tantum, sed et in ceteros legitimos Peninsulæ Principes omnes. Inde ab 1856 iræ et persecutiones omnigenæ in Ecclesiam: Archiepiscopum Fransoni manu militari in carcerem deductum cerneres atque ordines religiosos ob diffidentiam Gubernii in S. Sedem ubique suppressos.

De massonico hoc gubernio sic conquestus est Pius IX: "In subdolis ac perversis, quas lamentamur, machinationibus, præcipuam habet partem Subalpinum gubernium. Eo temeritatis modo progressum est, *ut ab irroganda universali Ecclesiæ injuria minime abstinuerit*, civilem impetens Principatum, quo Deus hanc B. Petri Sedem instructam voluit, ad apostolici ministerii libertatem tuendam atque servandam.

" Primum sane ex manifestis aggressionis indiciis prodiit, quum in Parisiensi conventu, anno 1856 acto, ex parte ejusdem Subalpini gubernii, inter hostiles nonnullas expositiones, speciosa quædam ratio proposita fuit ad civile Romani Pontificis Dominium infirmandum et ad ipsius, sanctaeque hujus Sedis auctoritaten imminuendam. "

13. Nil mirum igitur, si 1859 ortis belli dissentionibus Austriæ regnum inter et Sardiniæ cum Gallia confœderatæ, gratum habebatur Massonibus et deprimere catholicum Austriæ imperium et prospicere jamjam futurum casum S. Sedis ejusque accelerare adventum. Dicere fas est : *Nihil fraudis, nihil sceleris prætermissum* tunc fuit quo populi Pontificiæ Nostræ ditionis ad nefariam defectionem modis omnibus impellerentur.

" *Hinc instigatores missi, pecunia largiter effusa, arma suppeditata, incitamenta pravis scriptis et ephemeridibus admota, et omne fraudum genus adhibitum* VEL AB ILLIS, QUI EJUSDEM GUBERNII LEGATIONE ROMÆ FUNGENTES, *nulla habita gentium juris honestatisque ratione*, proprio munere perperam abutebantur ad tenebricosas molitiones in Pontificii Nostri gubernii perniciem agendas. "

" Oborta, ait Pius IX, deinde in nonnullis Nostræ ditionis provinciis seditione, illico per fautores regia dictatura proclamata est, statimque a Subalpino gubernio commissarii adlecti, qui provincias illas regendas sumerent [1]. "

Uti insinuavimus horum præcipuus instigator fuit Francomurator Cavour, minister Victoris-Emmanuelis, qui conspirans cum Napoleone III contra Austriam, conjuratos secreto sustentabat Romæ, et in aliis majoribus Italiæ civitatibus. De cetero bellum hoc indictum non fuit absque nutu sectarum, quarum servus erat Napoleo. Imperator Galliæ ingenti cum exercitu auxilio fuit fœderato suo amico Victori Emmanueli; devicti fuerunt Austriaci in Magenta ac Solferino

1. Encycl. *Cum catholica*, 16 Martii 1860.

et eodem anno 1859 Longobardiam reliquerunt Napoleoni, qui eam dono dedit regi Sardiniæ seu potius mediatori Massonicæ sectæ in opere implendo.

14. Hinc subito et sole clarius evasit consilium iniquitatis; scilicet *Constitutio regni Italiæ unitæ*, qua quidem erectione de facili ansa præberetur ad subversionem Principatus civilis S. Sedis. Hoc igitur ab hac die summum votum fuit Massonum cujus adimpletio ab eo momento non jam fuit nisi quæstio temporis. Et re quidem vera mox Franciscus II, successor Ferdinandi in regno neapolitano, a Massonibus fuit proditus; Parma, Etruria, Modena, Romagna haud diu post, si minus titulo ast certe possessione reali et dependentia factæ sunt provinciæ regni Subalpini; dum et reliquæ regiones Italiæ, ut v. g. partes Legationum per conspiratores Franco-muratores magis magisque disjunctæ sunt a legitimis Principibus suis, silente quidem Gallia, silentibus nationibus falso principio non-interventionis insopitis.

15. Ineunte sic anno 1860 in medio periculorum relictus solus et perditioni certæ medios inter novos barbaros istos, Beatissimus Pater anxie circumspiciens Europam denuo in adjutorium suum advocans, nullum tandem invenit Pepinum vel Carolum Magnum qui opem ipsi afferret, sed generosos intuitus est ad se convolare undique catholicos juvenes, qui duce heroico Lamoricière dilectissimum Patrem defenderent. Ast quid manus 18000 militum contra selectas copias 40,000 armatorum et rebellium insuper catervas?

Igitur a copiis Sardiniæ, duce ipso massone Cialdini, gloriose obruti sunt et plurimi occisi in Castelfidardo die 18 Septembris 1860. Et insuper ut facilius de heroica hac legione triumpharent notum est Massiones eam prius astute partim corrupisse, clam introducendo inter eos perfidos commilitones et proditores, qui, media in pugna vel fugam caperent et alios sic milites e prælio abducerent, vel ipsi proprios suos duces occiderent. Sic nobilis Pimodan occubuit non

ab hoste, sed occisus a milite pontificali Massonum complice [1].

" Plane liquet totaque videbit posteritas, quibus artibus et quam callidis ac indignis molitionibus gubernium Subalpinum — sectarum perditionis consilia sequens, — ad justitiam et sanctitatem jurium apostolicæ Sedis opprimendam, pervenerit. "

" Probe nostis anno 1859 ab ipsa Subalpina potestate præcipuas Æmiliæ civitates, submissis scriptis, conspiratoribus, armis, pecunia, ad perduellionem fuisse excitatas; nec multo post, comitiis populi indictis, captatisque suffragiis plebiscitum confictum esse, eoque fuco et nomine provincias Nostras, in ea regione positas, a paterno Nostro imperio, avulsas.

"Perspectum quoque est, anno deinde consequente (1860) idem gubernium, ut alias hujus S. Sedis provincias in Piceno, Umbria et Patrimonio sitas in prædam suam converteret, dolosis prætextibus adductis, improviso impetu, milites Nostros, magno circumvenisse exercitu, eosque tam subitam irruptionem minime suspicantes, cruento prælio oppressisse [2]. "

Hic locus est ut de ignavo hoc latrocinio, et de perfidia regni massonici Sardiniæ, severum sed justum audiamus Christi Vicarii judicium plane et gesta et principia et falsos prætextus rebellionis confutantis.

(1) " Ipsum gubernium, suum per Italiam regnum, contra omnia divina et humana jura extendens, populis ad rebellionem excitatis, aliquot Pontificiæ Nostræ in Æmilia ditionis provincias injustissimo ac prorsus sacrilego ausu invasit et usurpavit.

(2) "Alias hujus S. Sedis provincias, in Piceno, Umbria et Patrimonio sitas, sibi vindicare constituit. — At cum videret,

1. Van Duerm, p. 326, 327.
2. Encycl. *Respicientes*, 1. Nov. 1870.

populos nobis fideliter adhærere, nec posse pecuniis largiter profusis, aliisque improbis adhibitis dolis a legitimo nostro imperio divelli, idcirco in ipsas provincias immisit *a)* tum perditorum hominum manum, qui turbas seditionemque ibi excitarent, *b)* tum ingentem suum exercitum, qui easdem provincias hostili impetu subjiceret.

(3) "Ipsum gubernium victoria abutens, quam bellicosæ magnæque nationis (Galliæ) opibus adjutum ex funestissimo bello reportavit,... haud pudet... Nostrum reprehendere gubernium, propterea quod nostro exercitui externi homines fuerint adscripti;—cum *a)* omnes noscant nulli legitimo gubernio denegari unquam posse jus coaptandi in suas copias exteros homines. — *b)* Quod quidem jus potiori quadam ratione ad S. Sedis gubernium pertinet, cum Romanus Pontifex, communis onnium catholicorum pater, non posset non libentissime omnes catholicos excipere, qui religionis studio impulsi, velint ad Ecclesiæ defensionem concurrere. — *c)* Animadvertendum hujusmodi catholicorum exterorum concursum fuisse præsertim excitatum illorum improbitate, qui civilem hujus S. Sedis Principatum aggressi sunt. — Singulari autem malignitate Subalpinum gubernium Nostris militibus *mercenarii* notam per summam calumniam inurere minime veretur, cum non pauci nobili genere nati, illustrium familiarum nomine conspicui, ac religionis amore unice incitati, sine ullo emolumento in Nostris copiis militare voluerunt.

(4) "Nihil est cur immoremur in refellenda *feritatis* accusatione Nostris copiis improbe illata, cum nullum plane argumentum obtrectatores valeant adducere; quin potius hujusmodi criminatio in ipsos jure converti possit, quemadmodum vulgatæ Subalpini exercitus ducum truculentæ proclamationes manifeste ostendunt.

(5) " Hic autem animadvertere præstat, Nostro gubernio minime suspicandum fuisse de hujusmodi hostili invasione,

cum ipsi *asseveratum esset* Subalpinas copias prope territorium nostrum accessisse, *non quidem invadendi animo, immo vero ut inde perturbatorum turmas arcerent.* Nescio utrum Europa, etiam tempore invasionis barbarorum, unquam audierit mendaciores assertiones quam quas regnum Sardiniæ protulit, majorem viderit perfidiam.

Ecquid igitur dux Lamoricière serio providere vel cogitare quidem posset sibi sine provocatione ulla cum Subalpino exercitu subito fore dimicandum [1]? Ubi tamen præter omnem expectationem agnovit hostilem irruptionem non ab indisciplinatis turmis Garibaldianis fieri, sed ab exercitu Subalpino et numero superiore et disciplina æquali saltem, Anconam se recepit in arcem munitam, sperans fore ut tandem aliquando Europa ipsi auxiliaretur. Sed spes eum fefellit, Europa principio non interventionis freta; die 29 ad redditionem fuit coactus.

(6) Recte igitur loquitur Pius IX: " Quis ferre unquam poterit, insignem *impudentiam* et *hypocrisim*, qua nequissimi invasores in suis programmatibus asserere non dubitant, se nostras adire provincias, ut ibi moralis ordinis principia restituant [2]! "

Hæc sunt Pontificis testimonia in perpetuam veritatis memoriam allata et in opprobrium perenne regni Sardiniæ, quod causam egit clandestinarum sectarum nonnisi subversionem molientium pacis et ordinis socialis quibus iteratim eousque fruita erat Europa continuo si minus catholica ast saltem christiana. Ceteris Italiæ regionibus subactis post redditiones Cajetæ et Messinæ anno 1861 jam consummatum scelus fuit, potuitque rex Sardiniæ Victor-Emmanuel creari et proclamari Rex totius Italiæ unitæ et revera ut talis a guberniis Europæ successive agnosci.

1. Jam jam Romam profecturus et Bruxellis invisens P. Dechamps, inquit illi: « Si je n'ai à combattre que la révolution, je suis certain du succès. Si le gouvernement d'Italie s'en mêle, je serai battu, sans doute, mais j'aurai fait rougir l'Europe. » (P. Saintrain, *Vie du Cardin Dechamps*, p. 92.)

2. Alloc. 28 Sept. 1860.

Aliquid tamen deerat nec opus nefarium Massonum penitus consummatum exstabat. Duobus Principatibus minoribus exceptis, superstes erat nec Sardiniæ ditioni subjectus solus Ducatus Romanus, antiquum nempe S. Petri Patrimonium, primitus ab Herulorum regibus S. Sedi concessum et a Byzantinis imperatoribus confirmatum.

Hanc tandem arcem veritatis, pacis et ordinis socialis invadere, ibique super ruinam ordinis Christianismi veri, novum quemdam naturalismi et putidi paganismi condere ordinem satagebat secta Massonum. Ardebant ideo Romam conformare novam eamque ethnicam, quæ divinam veritatem in captivitatem redigens et sua simul late spargens perversa doctrinarum semina, tandem Europæ societatem deformaret seu reformaret ad imaginem suam.

En impium tenebrarum sectarum consilium omnigenis malis et erroribus gravidum quod impavidus Pius IX pervigil societati denunciare non veritus est.

16. Quamobrem, rebus mature perpensis, die festo Immaculatæ 1864, Pius IX celeberrimum evulgavit " Syllabum ", elenchum nempe complectentem præcipuos hujus miseræ ætatis errores ; sicque denuo rabiem excitavit Massonum et " Liberalium ", quorum coryphei ut Napoleo III, Victor-Emmanuel et ministri eorum, necnon et Francomuratores, ardentius contra S. Sedem conspirare cœperunt.

Rei tamen supersedendum erat, cum tunc in conciliis publicis Galliæ quasi ultimum conscientiæ publicæ illuxerit lumen. D. Thiers tam egregie locutus est de Dominio temporali S. Sedis ut tertia ferme pars deputatorum votum emiserit in favorem illius. Quod accidit die 16 Aprilis 1865 [1].

1. En verba D. Thiers, in quibus libet æquitatem et sensum audire communem sanioris partis civium :" Le Pape est un souverain qui a son territoire, qui le possède très régulièrement et au titre le plus légitime.

" C'est le plus ancien gouvernement de l'Europe ; c'est un gouvernement qui a mille ans d'existence. — Je ne parle pas de son existence morale : elle est beaucoup plus ancienne ; je parle de son existence de fait : elle a mille ans.

" C'est un gouvernement régulier, et il a le droit qu'on le respecte...

Verba hujus viri magnanimi S. Sedi aliquamdiu saluti fuere. Non enim defuisset raptori gubernio mens sacrilegam usurpationem consummandi, nisi gubernium Gallicum ambitiosa et præpropera Massonum desideria cohibuisset, Romamque cum exiguo suo territorio præsidio militari in suam fidem ac tutelam recepisset. Quod securitatis pignus tamen temporaneum fuit ; nam novo fœdere inito inter Gallicum et Florentinum gubernium, mox conservatio et tranquillitas S. Sedis in tuto posita videbantur eo quod copiæ Gallicæ Romam reliquerunt.

17. Verum enim et hæc nova astutia sectæ ; quæ memor verborum Palmerston : " oportet rebellare continuo " jugis terroribus exagitari Status Pontificios cupiebat, ut tandem Pontifex temporalis regiminis incapax declararetur atque depossideretur. Ideo mense Sept. anni 1867 Garibaldianæ turbæ armatæ, spreta solemnitate fœderum, in Pontificium territorium subito irruerunt, eo pacto ut Romam ex improviso adorirentur eamque occuparent. Non potuit itaque Gallia, ne et ipsa inculparetur, quin iterum suas copias in auxilium fidelium Papæ militum mitteret, qui, post quam invadentibus sicariis jam, secundo Marte, restiterant, postremo in Nomentano (Mentana) prælio audaciam prædonum plenius fregerunt eosdemque in fugam verterunt. Quam sceleratissimi viri Garibaldiani fuerint testantur hæc Pii IX verba : " Erant, inquit, perditissimorum hominum cohortes, scelere et furore inflammatæ, *et subsidiis Gubernii Subalpini adjutæ*, quorum ex numero occulti plures in ipsa hac Urbe pridem consederant, atque ab earum vi, crudelitate et armis

" Le Pape, dit-on, n'a pas fait de concessions ; il s'est renfermé dans le *Non possumus*.

" Y a-t-il, messieurs, deux justices, y a-t-il deux langues ? — Y a-t-il une justice pour les uns, une justice pour les autres ? — Y a-t-il une langue pour une nation et une langue pour une autre nation ?

" Comment ! voilà un souverain régulier, qui a tous les titres, à qui on prend successivement les quatre cinquièmes de ses États, et on dit : c'est un entêté ; il se renferme dans le *Non possumus*, il ne veut consentir à rien !

" A quoi voulez-vous qu'il consente ? "

omnia Nobis Nostrisque dilectissimis subjectis timenda erant [1]. "

18. Perspicuum ergo erat quod, ex omnibus catholicis nationibus quas anno 1848 ad restaurationem Principatus civilis S. Sedis, tamquam ad fortissimum ordinis socialis munimen, strenue collaborare vidimus, sola Gallia prohibere potuit quominus secta *ultimatum suum* exequeretur statim ; adeo bene Massonum machinationes in redigendis ad impotentiam ceteris auxiliatricibus gentibus successerunt.

Attamen, Lusitania sic dudum jam Massonum insidiis irretita, Neapolitano regno penitus extincto, Austriaco imperio a Borussia non tantum superato atque humiliato sed et intestinis scissionibus inter Hungaros et Austriacos distento per ministrum suum Von Beust, virum hæreticum et ab hostili potestate impositum, Hispania catholica tandem conquassata per coactum exilium Isabellæ reginæ suæ quæ, licet moribus minus composita, in S. Sedem devotissimum tamen gerebat animum nec ideo in primis asseclis placere potuit, hisce omnibus difficultatibus superatis ad ultimum obstaculum e medio tollendum et Galliæ scilicet placitum obtinendum mox iter Massonibus patuit.

Bellum enim indictum erat Borussiam inter et Galliam. Napoleo III qui reginam Hispaniæ in exilium detrudi passus fuerat debilitandæque Hispaniæ sic consenserat, postquam regni hujus coronam oblatam vidit principi cuidam catholico de stirpe Hohenzollern et cum regia familia Borussiæ conjuncto, hoc idem ægre tulit ac repentino et inconsiderate bellum indixit Borussiæ.

Hæc cum ingenio duorum præsertim virorum von Bismarck scilicet et von Molkte ad bellum paratissima exstaret, brevi contritura erat Gallorum audaciam ejusque imperatoris ; et ita qui ante innixus principio non interventionis Pontifici, principi legitimo, suum Principatum partim auferri

1. Encycl. 1 Nov. 1870.

siverat, nunc et ipse coronam sibi auferri, regnum Gallorum scindi absque ulla interventione Europæ brevi conspecturus erat, et præterea a Massonibus se coactum iri ut cohortes suas militum Roma revocaret Urbemque inermem impiissimis sectis daret.

Ast ne præpropere procedamus in exponendis hisce Providentiæ judiciis atque castigationibus, Gallorum imperatoris Massonumque insidiis : " *Per quæ quis peccat per hæc et torquetur.* "

19. Prosequamur magnorum illorum eventuum ordinem chronologicum.

Convocato concilio œcumenico, quo apertius hydria naturalismi profligaretur, proclamatum fuit, die 18 Julii 1870, dogma infallibilitatis S. Pontificis ex cathedra loquentis, cum sequenti vero die, 19, sparsus fuit rumor belli indicti inter imperium Gallicum et regnum Borussiæ et non longo tempore post clades illius.

Supersessum igitur est œcumenico concilio. Interea tamen insidiose venumdando adjutorium suum in futuro bello, regnum Subalpinum nihil non egit ut, obtentis jam promissis (1), imperator Gallorum dein hisce promissis staret cohortemque 6000 hominum in Galliam revocaret quin tamen ideo occupationi Urbis plane concederet.

Revocato igitur Romano exercitu, cum subinde post cladem primam immediate subsecutam auxilium ab Italia peteret Napoleo imperator, vox ejus atque iterata promissio aut potius imbecilla supplicatio inaudita remansit, tantumque sectas monuit jam adesse tempus quo nefaria consilia Romam occupandi et Pontificem spoliandi executioni mandarent.

Sic ergo cum Roma tranquilla pace frueretur, sumpta opportunitate humiliationis Galliæ, violatisque promissis

1. Per conventionem diei 15 Sept. 1864 jam concesserat protectionem Pontificis Gubernio hostili Sardiniæ. (Cfr. *Hist. de l'invas. des États Pontif.*, Bar. de Mevius.)

sæpius ante factis de Patrimonio B. Petri sacro et intacto conservando, protinus reliquas Dominationis S. Sedis terras, Romamque ipsam invadere et in suam potestatem redigere decreverunt Massones regni Italici ([1]).

Nec huic infamæ proditioni proditor defuit Victor-Emmanuel qui Judæ Iscariotæ partes ageret.

Die etenim 8 Septembris in epistola per oratorem suum Pontifici tradita, longo fallacique verborum ambitu, ostentatis amantis filii et veri catholici titulis, causamque agens publici ordinis, imo Pontificatus ipsius et sacræ Pii IX personæ servandæ prætextu nixus, illud a Pontifice poscere ausus est ne scilicet temporalis suæ potestatis eversionem velut *hostile* ausum vel facinus æstimare dignaretur Papa, — utque ultro eadem potestate cederet, — utque plane confideret sponsionibus ceteroquin futilibus ab ipso oblatis, quibus conciliarentur vota populorum cum spirituali auctoritate et libertate ac supremo jure Romani Pontificis ([2]).

Declarabat " nationalia vota adeo exardescere, tantopere æstuare factionem, eam præsertim quæ " *actuosa* " dicebatur, ut Florentinum gubernium, cum hæc omnia compescere nequiret, invitum quasi *cogeretur* Romam reliquamque territorii partem invadere ([3]). " — O Iscariota ! — O nebulo insignis et prædo regio panno involutus et diademate cinctus!

Responsione ad regem data, injustas ejus postulationes reprobavit sanctissimus Rex et Pontifex, ita tamen ut acerbum dolorem suum paternæ charitati conjunctum ostenderet.

20. " Hisce autem litteris nondum ad Regem perlatis, inquit Pius IX, ab ejus interea exercitu pontificiæ nostræ ditionis intactæ hactenus et pacificæ urbes occupatæ fuerunt ; ac brevi deinde infaustus ille dies Septembris 20 illuxit, quo hanc Urbem, Apostolorum Principis sedem, catholicæ religionis centrum, omniumque gentium perfugium, multis

1. Encycl. 1 Nov. 1870.
2. Ibid.
3. Protest. cardin. Antonelli, 20 Sept. 1870.

armatorum millibus (60,000) obsessam vidimus, factaque murorum labe et excussorum missilium terrore intra ipsam illato, vi et armis expugnatam deplorare debuimus ejus jussu, qui paulo ante filiali in nos affectu et fideli in religionem animo esse, tam insigniter professus fuerat."

"Ecquid, lamentatur Pontifex, Nobis ac bonis omnibus illo die luctuosius esse potuit?

"Magna factiosorum adventitia multitudine repleta Urbe, vidimus statim publici ordinis rationem perturbatam et eversam; vidimus supremi Pontificatus dignitatem et sanctitatem impiis vocibus impetitam; vidimus fidelissimas Nostrorum militum cohortes omni contumeliarum genere affectas (1)!"

Eadem die Sanctitas Sua publicas litteras protestationis causa dedit ad diplomaticum guberniorum cœtum apud S. Sedem, per ministrum suum, cardinalem Antonelli. In hisce legere est inter alia: "Cum itaque hic habeatur factum, quod omnia conculcat cujusque juris, ac maxime gentium, sanctissima principia, et quidem universa spectante Europa patratum, sanctissimus Pater reclamat ac protestatur adversus indignam et sacrilegam usurpationem Dominiorum ad S. Sedem spectantium, rationem exigens a Rege ejusque gubernio, omnium damnorum ex hac adeo violenta ac sacrilega direptione S. Sedi populisque Pontifici subjectis obvenientium.

"Jubet præterea ut declaretur hujusmodi *latrocinalem actum nullum esse, irritum, nulliusque valoris*, nullumque exinde detrimentum capere posse legitima, extraque omnem controversiam posita jura dominationis ac possessionis, tum sua, tum etiam suorum successorum in perpetuum."

21. Insanum furorem intuens quo Reformatores sæculi XVI sacras Ecclesiæ Romanæ institutiones insecuti sunt, Erasmus scripsit: Omnis tragœdia exit in catastrophem comicam.. Et sic appellare licet fraudem illam insignem qua usum est

1. Encycl. 1 Nov. 1870.

gubernium iniquum ut suam celaret rapinam et quam suffragium universale seu plebiscitum qualificare ausi sunt. En formula hujus doli plebi proposita : " Cupimus uniri regno Italiæ sub gubernio monarchico-constitutionali regis Victoris-Emmanuelis II et successorum ejus ",— cui voto dicuntur adhæsisse Romæ 40,785 electores, et tantummodo 45 negative respondisse ! — quod quidem intuenti plane absonum esse liquet et deinceps demonstratum est. Qui primus inter legatos latrocinalem annexionem Romæ recognovit fuit comes de Arnim vicesgerens Borussiæ. Postea vero illam omnes nationes saltem tacite agnoverunt, excepta Republica Equatoriali, quæ per Præsidem suum Garciam Moreno litteras protestationis misit regi Italiæ (1). Qui ideo magnanimus Præses occisus a sectarum sicariis gloriose occubuit.

Brevi post, 26 Januarii 1872, legati variarum nationum, uno excepto legato Belgii, secuti sunt gubernium Subalpinum in Urbem sedes suas transferens (2).

Die 18 Januarii 1871, Versaliis rex Borussiæ, acclamatus est Imperator Germaniæ, 9 Januarii 1873 Napoleo III obiit Chislehurstii in Anglia,et imo quinquennio post, eadem die 9 Januarii 1878 in Urbe occubuit Victor Emmanuel; hos ut vindex justitiæ coram Dei tribunali, secutus est die 7 Febr. Pius Magnus; dilectus Deo et hominibus, anno ætatis suæ 86, Pontificatus vero supremi 32.

22. Pio IX successit Leo XIII electus die 20 Febr. 1878 cui statim Massones obtrudere conati sunt certum *modum vivendi* cum regno Italiæ ; sed frustra ; æque ac prædecessor suus Leo XIII publice ac indesinenter reclamavit Principatum suum civilem, justum, independentem, necessarium exercitio Primatus sui singulari consilio Providentiæ conditum.

23. Sed clamori justitiæ Massones obturaverunt aures mun-

1. R. P. Berthe, *Garcia Moreno*, p. 684.
2. La Belgique fut la seule,à cette époque, qui ne transféra pas son représentant à Rome. (De la Vega, *Les relations*, etc. pag. 42.)

doque universo ostenderunt inauguratum satanicum regnum in Alma Urbe dominans ut inde longe lateque diffusum antiquam Europæ societatem funditus everteret. Huc spectare videbatur illud quod die Pentecostes anni 1889 Romæ erexerunt signum apostatæ Bruno. De qua summa audacia et impietate hæc dixit Christi Vicarius :

" Opus in primis sectae Massonicae dignum ! Erectio videlicet monumenti publici famoso apostatae Nolano, a Massonibus iamdiu decreta, instanter promota ac denique adiuvantibus rei publicae rectoribus ad finem perducta. Secta eiusdem monumenti scopum confiteri, significationemque palam edicere non erubuit :

" *Scopus* equidem hic fuit, in Romanum Pontificem Christique genuinam religionem divinitus revelatam probrum iniicere :

" *Significatio* autem haec est : catholicae fidei substitui absolutissimam libertatem examinis, critices, cogitatus et conscientiae ([1]). " Uno verbo putidum naturalismum et paganismum abjectissimum in ruinam Societatis.

" Huc flammas invidiae undique collectas admovent, ut hanc Ecclesiae catholicae velut arcem adorti, opportunius moliantur ipsum lapidem angularem, quo illa nititur funditus, si fieri posset, evertere.

" Monumentum statuunt in publico, quo contumax in Ecclesiam spiritus posteritati commendetur, simulque doceatur capitale cum catholico nomine geri bellum placere.

" Augent honoribus hominem dupliciter transfugam haereticum iudicio convictum... Sua quippe ipsum scripta *pantheismi* arguunt turpisque *materialismi* sectatorem.

" Sectarum consilium est atque opus cum Ecclesia Romanoque Pontificatu infinito odio atque ultima dimicatione confligunt.

" Quodque maxime horribile est nec defuere signa cum

1. Epist. ad Episc., cler. et pop. Ital. 15 Oct. 1890.

simulacris *nequissimi*, qui subesse in coelis Altissimo recusavit, princeps seditiosorum [1]!"

Ergo vicisse Christum visus est infernus, dum in Urbe S. Petri, captivo Vicario Filii Dei, impudenter circumducebantur signa quæ Satanam et repræsentabant et glorificabant!

Hanc Satanæ omnis deordinationis et rebellionis principis apotheosim acclamavit frequentia populorum 6,000 sodalitatum civium, et 97 cœtuum musicalium cum 1,970 signis atque vexillis [2].

Merito exclamat vicesgerens divi Crucifixi : " Acerbum dictu, ac simile portenti est, ab hac alma Urbe, in qua domicilium Vicarii sui Deus collocavit, rebellantis in Deum rationis humanae manare praeconium ; atque unde incorrupta Evangelii praecepta et consilia salutis petere Urbis terrarum consuevit, ibi, conversis inique rebus, nefarios errores ipsamque haeresim monumentis impune consecrari. Huc nos traxere tempora, ut *abominationem desolationis* videremus *in loco sancto.* "

Merito quoque notat Beatissimus Pater : " verum tamen utilia documenta fas est ex iniuria repetere.

(1) " Hinc enim magis apparet, num quieverint, everso Principatu civili, hostiles animi, — an alius expectant ut extremum, scilicet ipsam aequare solo sacram Pontificum auctoritatem, fidemque christianam ex stirpe delere.

(2) " Similiter eminet, num Nos in repetendis apostolicae Sedis iuribus humana aliqua re, an potius libertate apostolici muneris, dignitate Pontificis, atque ipsa rerum Italicarum germana prosperitate moveremur.

(3) " Ex hoc ipso rerum eventu nimium nosse licet, quid valeant et quo ceciderint tam multa et ampla, quae initio promittere ac spondere non dubitaverant.

(4) " Hanc item Urbem, quam fore semper et gloriosam

1. Leo XIII, Alloc. 30 junii 1889.
2. Prélot, *Études* S. J., t. 64, p. 260.

et tutam Romam Pontifici sedem affirmabant, caput esse novae impietatis volunt, ubi rationi humanae velut in divino fastigio positae, cultus adhibeatur absurdus et procax.

(5) " A metu et periculo ne persona quidem abest nostra : nemo enim unus ignorat, quorsum conspirent quidve petant homines pessimarum partium ; nec quisquam est quin videat eos ipsos decretum habere non ante quiescere, quam res ad extremum casum perniciemque compulerint;... maxime quod *in eorum sumus potestate*, qui nec verentur sic criminari Nos publice, quasi inimico atque offenso in Italicas res animo essemus.

(6) " Nec minus metuendum est, ne proiecta ad omne facinus audacia perditorum hominum inflammataeque libidines, non aeque semper coerceri possint et restingui, si forte tempora inciderint magis formidolosa et turbulenta, seu propter civiles turbas rerumque publicarum conversiones, seu propter motus calamitatesque bellorum. "

Merito denique concludit Sanctitas Sua : " Ita eo testatius apparet, quae demum conditio teneat summum Ecclesiae caput, Pastorem et Magistrum catholici nominis ([1])."

24. Prævalueruntne ergo portæ inferi adversus Petram supra quam Christus fundavit suam Ecclesiam ? — Minime vero.

Hoc regnum Massonicum vi et fraude Romæ fundatum, spiritu et animo suo totam Europam pervadens, in intimis visceribus jam suum reconditum habet dissolutionis principium: *Omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt* ([2]).

Quantum nonne distat a temporali illo B. Petri Dominio singulari Providentiæ divinæ consilio fortiter et suaviter efformato ! Hoc suavissima persuasio et benevolens charitas dulce efformaverunt, illud violentia et homicidium condiderunt ; hoc ad stabilitatem suam nititur et divinis et humanis prin-

1. Alloc. *De signo Romæ Bruno erecto*. 30 Jun. 1889.
2. *Matt.*, XXVI, 52.

cipiis ordinis et pacis socialis veræ, illud conflatur violationibus jurium omnium, rebellionibus et facinoribus multis ; hoc per sæcula genuit et nutrivit Europæ gentes eousque civilitatis perduxit quo eas pervenisse cernimus ([1]), ast illud a die qua natum est ex incredula fæce sæculi XVIII per itinera sua ruinas atque calamitates accumulare visum est ; donec tandem per socialismum Orbem commovere societatesque ad interitum perducere conetur.

Verum enimvero ruet ante christiana ac catholica Europæ societas quam nascetur novus rerum ordo novusque substituetur paganismus. Quo possent prævalere portæ inferi contra Ecclesiam ! Sed hæc est hora tenebrarum... Illucescet dies qua periclitans societas clamabit ad Pontificem, qui regit navem Petri : Domine, salva nos, perimus. Quibus et addere fas erit :

Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat !
Papa sit Rex !

1. G. Kurth, *Les origines de la civil. mod.*

CAPUT OCTAVUM.

Quantopere sacrilega spoliatio S.Sedis, per fere integrum sæculum protracta, in manu sectæ Massonicæ inserviit ad errores, crimina et injurias omnigena publice spargenda in "subversionem totius ordinis civilium societatum" (1).

1. Factum spoliationis societatem Europæ præcipitat in ruinam. — 2. In ipso cumulantur innumera mala. — 3. Congeries errorum quibus laborat nostra societas. — 4. Cumulus criminum et primo sacrilegium. — 5. Quod excommunicationem majorem inducit et auctoribus minatur vindictam Dei. — 6. Atrox est et publica injustitia. — 7. Summa ingratitudo. — 8. Fœda coram omnibus hypocrisis. — 9. Fons injuriarum multarum totam societatem labefactantium. — 10. Factum injuriosum ordini politico Italiæ. — 11. Latrocinium inferens offensam nationibus. — 12. Injuria in Ordines religiosos ob destructionem domorum generalitium. — 13. Injuria in SS. Congregationes, ut v. g. de Propaganda fide — et alia piorum operum. — 14. Crimen juridicum est codex pœnalis adversus Clerum approbatus. — 15. Recapitulatio influxus hujus pessimi : est tantum initium malorum.

1. Utrum societas nostra præceps usque in ruinam ruitura sit, an potius ad Matrem et Restauratricem Ecclesiam brevi convolatura, nescimus. — Enimvero hoc perspectum habemus, iniquum facinus, quod fere integrum occupat sæculum XIX, cujus prologus ab ineunte ævo nostro jam incœpit, cujus luctuosa tragœdia protracta est ab anno 1815 usque 1870, et cujus denique lamentabilis epilogus per viginti quinque annos Europam torquet, hujusmodi esse indolis, ut societates civiles magis magisque a fonte salutis alienet easque præcipites ad interitum mittat. Proinde, quod si fundationem Dominii temporalis S. Sedis, fortiter necnon suaviter elabo-

1. Pius IX. Encycl. *Nostis*, ad Archiep. et Episc. Ital. Neap. 8 Dec. 1849.

ratam, factum divinum diximus, ex singulari quo fulget Providentiæ consilio ; quomodo factum spoliationis ejus nuncupaturi simus, haud difficile est dictu. Non certe innixa manet singulari Providentiæ consilio, violenta et perniciosa illa deprædatio. Fateamur igitur illud factum erroribus plenum et societati ruinam certam propinans scandalum esse maximum singulari Potestatum tenebrarum pacto perpetratum.

2. Fas est dicere, quod in ipso conflatur et incarnatur quidquid falsi, quidquid iniqui, quidquid nocivi hisce temporibus procreaverit et fovit novus iste paganismus, non tantum in Italia, Gallia, Germania, Anglia sed in Europa universa. Ita retrospiciendo, cerneres in eo solo omnes errores sociales quasi concretos et consecratos, publico facto sancitos atque a Potestatibus hujus sæculi populis exhibitos in exemplum. Proh dolor !

Jure meritoque igitur, Pius Papa IX, alludens iniquum modum agendi quo omnes Potestates clam conspirare videbantur in eversionem Dominii temporalis S. Petri, sic lamentatus est : " Hinc opportuna nobis oritur occasio excitandi omnes Europæ principes, ut prospectata ipsorum consilii gravitate et sapientia *serio perpendant quæ quantaque mala, in detestabili, quem lamentamur eventu cumulentur* [1]. "

3. Et re quidem vera cumulus datur et acervus *errorum* qui omnes exinde obfirmati fuerunt et in praxim deducti necnon continuo deducendi a populis. Numera si potes cuncta perniciosa quæ ex hoc eventu societati obvenerunt !

Quas jam antea a Massonibus promulgatas vidimus, falsas doctrinas religiosas Ecclesiæ ceu divinæ revelationi maxime inimicas ; — nonne et hasce applicatas cernimus in hoc tragœdia spoliationis S. Sedis ; nonne gubernia civilia Ecclesiam continuo in servitutem redigere conati sunt eamque ut

1. Alloc. in consist. 28 Sep. 1860. — Apud Constant, *le Pape et la liberté*, p. 334.

servam tractavere, quæ propriis suis et ambitiosis consiliis inserviret [1] ?

Quotquot postea, famosus ille Fichte longe lateque, in Germania sparsit errores practicos, per innumera scripta populis adaptata et sub forma zelo plena divulgata de negatione Dei et de nova reformatione sociali brevi nascitura; — nonne iterum Pontificem invitum hujusmodi fere reformationes executioni mandare coegerunt Potentatus Europæ? Testatur famosum illud "*Memorandum*" quod Papa constanter recusavit.

Quod impium systema somniavit Hegel, de evolutione pantheistica rerum civilium, qua inniti oportebat theoriam revolutionis socialis indesinenter reincœpturæ; — nonne denuo hoc practice probaverunt viri illi quorum continuus clamor belli erat: "Oportet rebellare, rebellare continuo;" illi, quorum, ut dictis utar Pontificis, scopus erat per continuas agitationes ad eversionem tendere societatis; illi tandem quorum animus erat in iisdem rebellionibus ansam assumendi spoliandi Dominium S. Sedis; nedum protegendi illud, pacem restituendi, agitatores plectendi ?

Quod discipuli horum philosophorum, tamquam culmen novi ordinis civilis creavere, necnon et metrico sermone et orationibus publicis, et elucubrationibus scientificis illustrare conati sunt: divinam nempe dignitatem Status civilis eamque solam legiferam, apotheosim nationalitatis, omnipotentiam plebis; — Eheu! nonne, hæc omnia applicata fuerunt quæ putidum olent paganismum, sicut olim sub ethnico imperio Romano viguit et adhuc vigere censetur in orientalibus regionibus Asiæ; — nonne hæc cuncta, misere recocta in odium Ecclesiæ, publice proclamata fuerunt, in praxim deducta, imo legitimitatis titulo condecorata in hoc principio NATIONALITATIS; — nonne spoliator eo principio, tamquam

1. Hergenroether. *Hist. de l'Égl.*, VIII, p. 54.

supremo plebis voto subrepticio causam suam fulcire visus est (1)?

Ast longius esset protrahere amplius hunc elenchum errorum socialium qui orti in Gallia, in Anglia, in Italia quasi omnes in detestabili, quem lamentamur eventu cumulantur. Hoc unum recapitulationis causa addere placet.

Quascumque miseris nostris temporibus ortas vidimus abominationes in castris Massonum, cum v. g. primipili earum etiam rationi innixi encomium fecere vitiorum infandorum atque bestialium, quo animos certius corrumperent atque in Ecclesiam provocarent, sicut egerunt liberi cogitatores Mediolani orti (25 aug. 1865), solidarii in Belgio, Amici lucis et cogitantes in Germania; vel cum Parisiis conventio Magni Orientis pristina statuta sectæ reformavit et antiqua dogmata sua expungens de admittendo Ente seu Architecto supremo atque immortalitate animæ ita nudum atheismum vel nihilismum professa est; — nonne hasce aberrationes omnes adhibitas esse novimus, in corrumpendo populum christianum et clerum Ecclesiæ, in protrahendo turbam plebis ad nudum materialismum, verbo, in præparando hanc eversionem sacri Dominii S. Sedis et institutionem regni profani paganismi moderni (2)?

4. Sed postquam in ruinam Europæ hoc factum spoliationis tot erroribus scatere vidimus, attendamus etiam quantis peccatis et scandalis ex hisce societas subjaceat. Est maximum primo sacrilegium scandalis plenum.

Verba quidem desunt, — inquit Pius IX in Bulla excommunicationis contra usurpatores et invasores Statuum Ecclesiæ lata, — "verba quidem desunt ad tantum improbandum facinus, in quo plura et maxima habentur facinora.

"Grave namque admittitur sacrilegium, quo una simul aliena jura contra naturalem divinamque legem usurpantur,

1. Hergenroether, *Hist. de l'Égl.*, VIII, p. 184.
2. *Ibid.*, VIII, p. 134.

omnis justitiæ ratio subvertitur, et cujusque civilis Principatus ac totius humanæ societatis fundamenta penitus evertuntur ([1]). "

" Et re quidem vera. — *Jura aliena usurpantur contra legem naturalem*, quæ vetat possessionem invadere alterius ; — quæ etiam vetat bellum indicere sine justa causa et absque ullo prævio monito.

" *Jura Ecclesiæ usurpantur, contra legem divinam*. Perbelle ideo Pius IX :

" Uti enim prædecessor Noster Pius VII aiebat : " Vim huic summo Sedis Apostolicæ imperio afferre, temporalem ipsius potestatem a spirituali discerpere, Pastoris et Principis munia dissociare, divellere, excindere, nihil aliud est nisi opus Dei pessumdare ac perdere velle ; nihil nisi dare operam ut Religio maximum detrimentum capiat, nihil nisi eam efficacissimo spoliare præsidio, ne summus ipsius Rector, Pastor Deique Vicarius in catholicos, quoquo terrarum sparsos atque inde auxilium et opem flagitantes, conferre subsidia possit, quæ a spirituali Ipsius, per neminem impedienda, petuntur potestate ([2]). "

Omnis justitiæ ratio subvertitur ubi jus legitimæ acquisitionis, præscriptionis, pacificæ possessionis, ceteraque jura fundamentalia proprietatis et salutis publicæ quasi pedibus calcantur.

Consequenter : *totius humanæ societatis fundamenta penitus evertuntur*, et præcipue in relationibus internationalibus per duplex falsum principium : principium legitimitatis rebellionis et principium *non-interventionis* aliorum statuum.

5. Merito ergo excommunicatio lata est in tanti sacrilegi facinoris reos. — En terribilia Vicarii Summi Tonantis verba : " Eo adducta res est, ut suprema illa auctoritate utamur, qua cum solvere, tum etiam ligare Nobis divinitus

1. Litt. Apost. *Cum catholica Eccl.*, 26 Mart. 1860.
2. Pius VII, Alloc. 16 Mart. 1808. — Pius IX, Encycl. 1 Nov. 1870.

datum est. Itaque, auctoritate Omnipotentis Dei et SS. Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, denuo declaramus, eos omnes, qui nefariam in Pontificiæ Nostræ ditionis provinciis rebellionem et earum usurpationem, occupationem et invasionem et alia hujusmodi, vel eorum aliqua perpetrarunt, — itemque ipsorum mandantes, fautores, adjutores, consiliarios, adhærentes, — vel alios quoscumque prædictarum rerum executionem quolibet prætextu, et quovis modo procurantes, vel per se ipsos exequentes, Majorem Excommunicationem, aliasque censuras ac pœnas ecclesiasticas incurrisse, et si opus est, de novo excommunicamus et anathematizamus ([1]). "

Die vero 1 Novembris 1870 Sanctissimus Dominus Pius IX hanc excommunicationem majorem renovat et confirmat hisce severissimis verbis : " Auctoritate Omnipotentis Dei, SS. Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, universæ Ecclesiæ declaramus, eos omnes, qualibet dignitate etiam specialissima mentione digna fulgentes, qui quarumcumque provinciarum Nostræ ditionis atque almæ hujus Urbis invasionem, usurpationem, occupationem vel eorum aliqua perpetrarunt,— itemque ipsorum mandantes, fautores, adjutores, consiliarios, adhærentes, vel alios quoscumque prædictarum rerum exequutionem quolibet prætextu vel quovis modo procurantes, vel per seipsos exequentes, majorem excommunicationem incurrisse. "

Et putasne forsan populos et concives eorum prædonum quibus fulgura iræ et vindictæ Summi Dei sic impendent, bona pace esse fruituros ? Quis Deo restitit et pacem habuit? Deus in tutelam libertatis Vicarii sui Dominium temporale conjunxit cum Primatu spirituali; isti in ruinam hujus supremæ Potestatis inique invaserunt Dominium illud ; ast Deus non irridetur !

6. Considerata sub stricto respectu juris gentium seu

1. Encycl. cit. 26 Mart. 1860.

internationalis, uti dicunt, occupatio et detentio Dominii Romani Pontificatus est INJUSTITIA tanta ut justificari seu excusari nequaquam possit. Duæ secundum legis peritos dantur causæ aggrediendi vi armata et debellandi regnum legitime constitutum : legitima nimirum defensio ac necessitas repressionis. Harum causarum neutram adfuisse neque a parte mitissimi Pontificis neque a parte possessionis suæ, evidentissimum et in confesso est.

Spoliatio exigui Dominii S. Petri a potente regno Italiæ nobis in mentem revocat agendi rationem impii Achab, qui dixit ad Naboth : " Da mihi vineam tuam, quia vicina est et prope domum meam. Cui respondit Naboth : Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi. Venit ergo Achab in domum suam indignans et frendens. Et postea falsi testes eduxerunt Naboth extra civitatem et lapidibus interfecerunt. Sed missus est propheta Elias ut diceret ad Achab : Hæc dicit Dominus : Occidisti, insuper et possedisti ! In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum. — Igitur non fuit alter talis sicut Achab, qui venumdatus est ut faceret malum in conspectu Domini, et abominabilis factus est ([1]). "

Ad factum illud historicum allusit Pius IX, ad instar Prædecessoris sui Pii VII, quum Victor-Emmanuel hypocrita petiit Status Ecclesiæ ad implenda vota Italorum unitatem Patriæ postulantium.

" Memineramus, inquit, cum S. Ambrosio ([2]), Naboth, sanctum virum, possessorem vineæ suæ, interpellatum petitione regia, ut vineam suam daret, ubi rex succisis vitibus, olus vile sereret, eumdem respondisse : *Absit ut ego patrum meorum tradam hæreditatem.*

" Multo hinc minus fas esse nobis judicavimus tam antiquam ac sacram hæreditatem, — temporale scilicet sanctæ

1. III *Reg.*, XXI.
2. *De Basil. tradend.*, n. 17.

hujus Sedis Dominium, *non sine evidenti Providentiæ divinæ consilio* a Romanis Pontificibus tam longa sæculorum serie possessum, — tradere, aut vel tacite assentiri ut quis Urbe principe Orbis catholici potiretur.

" *Naboth vites suas vel proprio cruore defendit* (1). — Num poteramus Nos, quidquid tandem eventurum esset Nobis, non jura possessionesque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ defendere, quibus servandis, quantum in nobis est, solemnis jurisjurandi nos obstrinximus religione (2). "

Alia injustitia usurpatoris præter occupationem Dominii fuit injusta occupatio bonorum propriorum S. Sedis.

Gubernium utique distinguere debuisset inter Pontificatum et bona ecclesiastica ; inter regalem Principatum Papæ et proprietates ejus. Aliud enim est jus ad proprietatem, aliud jus ad Principatum. Papæ proprietarii fuerunt longe antequam supremi Principes erant.

Imperator paganus Aurelianus interpellatus " cum Paulus Samosatenus e domo Ecclesiæ nullatenus excedere vellet, rectissime hoc negotium dijudicavit, iis domum tradi præcipiens, quibus Italici religionis Antistites et Romanus Episcopus scriberent (3). "

Alexander Severus rescripsit locum, quem propinarii occupassent, reddi christianis (4).

Sæculo tertio Ecclesia Romæ 1500 pauperes alebat ; habebat ergo proprietates.

Ethnicis imperatoribus pejus, gubernium Italicum rapit a Pontifice palatium æstivale, valetudini ejus tam necessarium ; imo Vaticanum cum pretiosa bibliotheca, collectionibus ac thesauris suis, proprietatem declarat " nationalem ", cujus usufructuarius tantum est Pontifex, ad nutum gubernii hostilis et athei.

1. S. Ambros. *Ibid.*
2. Encycl. 1 Nov. 1870.
3. Euseb., *Hist. Eccl.*, VIII, 30.
4. Lamprid. — P. Prélot. *Études S. J.*, *l. c.*, 18.

Ecquod, judicium populorum in Europa tam dissolutum, ut hujusmodi facinora et latrocinia probet? Et si probent, nonne exemplum vertetur in ruinam auctoritatis Principum civilium atque in detrimentum totius societatis et pacis publicæ ?

7. Usurpatio Status Pontificalis atra est INGRATITUDO paricidio non absimilis. Cuinam enim Romæ competit gratias exhibere ob conservationem seu existentiam suam ? Omnia tribuere debet Pontificibus suis, Pontifices vero Christo. — Sine Christi Vicariis jam dudum fuisset sicut Ninive et Babylon, ut merito animadvertit magnus Pius IX. Religioni enim catholicæ ejusque Pontifici Italia in acceptis referre debet " si Romano labente imperio non in eam conditionem deciderit, in quam Assyrii et Chaldæi, Medi, Persæque, et Macedones populi, multos ante dominati per annos, commutata deinceps temporum vice dilapsi fuerint. " — Quinimo per Religionem et caput ejus Papam perfectum est ut Italia non solum a tot ac tantis, " quibus obruebatur, errorum tenebris fuerit erepta, verum etiam ut inter antiqui illius imperii ruinas, et Barbarorum tota Europa grassantium incursiones, ad eam nihilominus gloriam et magnitudinem præ ceteris totius mundi nationibus se provectam conspiceret, ut per sacram Petri cathedram, singulari Dei beneficio in ipsa collatam, *latius atque solidius præsideret Religione divina, quam præfuerat olim dominatione terrena* (1). "

Præteritorum temporum monumenta testantur unanimiter, Romanæ Ecclesiæ Pastores, de alma hac Urbe et de Italorum rebus esse optime meritos; Romæ quotquot sunt ædificia publica, quot instituta charitatis vel utilitatis pro civibus, fere dicam quot dantur lapides, paternum amorem et regalem munificentiam Pontificum alte proclamant.

Proclamant simul publica monumenta nobile illud præcipuumque decus, quo Roma fulget, a catholica religione esse oriundum (2).

1. Encycl. *Nostis*. 8 Dec. 1849. — S. Leo.
2. Alloc., 22 Febr. 1879.

Quoad reliquam partem Italiæ, imo quoad Europam integram, Romanorum Pontificum eorumque Principatus tituli ad gratitudinem populorum profecto sunt insignia hæcce beneficia : " Barbarae quaeque gentes, vel expulsae, vel civilibus excultae moribus; — despotismus fortiter oppugnatus, frenisque coercitus; — litterae, artes, scientiae ubique promotae; — municipiorum omnimoda libertas; — militares in Musulmanos expeditiones, quando hi Religioni et civili christiano cultui atque Europae tranquillitati omnium maxime formidabiles hostes erant, etc. (1). "

Et ingratissimi Itali Massones, omnium horum tantorum obliti beneficiorum, ausi sunt venerabilem Pontificem, Christi Vicarium, dilectum Patrem 200.000.000 Catholicorum, mortali tristitia afficere, tanta ut coactus sit ita gemere : " Modo res eo devenit, ut mors ipsa vitae tot fluctibus exagitatae praestare videatur, et elatis in coelum oculis exclamare cogamur interdum : *Melius est nos mori, quam videre mala sanctorum* (2). Scilicet ex quo alma haec Urbs Nostra, permittente Deo, armorum vi capta, hominumque regimini subiecta fuit, contemptorum iuris, religionis hostium, quibus humana omnia et divina promiscua sunt, nulla ferme dies transiit, quin aliis atque aliis iniuriis atque vexationibus cordi Nostro, jam saucio, novum aliquod vulnus infligeretur (3). "

Notandum : per 8 annos Pius IX non exivit e Vaticano suo Palatio; Leo XIII ibi inclusus remanet jam per annos octodecim !

Et primus actus successoris ejus erit captivum se constituere.

Non sufficiunt privationes libertatis, quietis ac regiminis; id quod ingratitudinem hanc inauditam in immensum auget,

1. Ep. Leonis XIII ad Card. Rampolla. *Acta S. Sedis*, t. XX, p. 15.
2. I *Machab.*
3. Encycl., 21 Nov. 1873.

sunt opprobriæ, injuriæ, ludibria in sanctum et venerandum Christi Vicarium iterum et iterum impune illata.

Dum minimus e civibus Italiæ famam suam et honorem tueri potest etiam ope auctoritatis civilis, Leo XIII atrocibus injuriis continuo afficitur, horumque auctores impunitate gaudent omnimoda.

Ephemerides, picturæ, cantilena, orationes publicæ certatim Sanctum Patrem blasphemant, præeuntibus populi ducibus.

Minister gubernii, Grimaldi, Viterbæ in cœtu publico, 15 Augusti 1886, Leonem XIII vocare ausus est *inimicum Italiæ!*

Treviso, 3 Octobris ejusdem anni, ex-minister Bonghi publice eum appellavit *cancerem nationis.*

Paduæ, 20 Septembris 1886, Leo XIII in effigie combustus est; auctoresque hujus facinoris a tribunali, mense Martio sequenti, insontes declarati fuerunt.

Nomentana minati sunt Massones explosionem palatii Summi Pontificis, opere pulveris dynamitici dicti ([1]).

Et ille qui sic probro habetur est magnus ille Leo, benefactor populorum. Ita et magister ejus Christus ab ingrata plebe saturatus fuit opprobriis.

8. " Neminem latet insignis gubernii Subalpini IMPUDENTIA et HYPOCRISIS, qua ad minuendam sacrilegæ hujus usurpationis invidiam, jactare non dubitavit se illas invasisse provincias ut principia moralis ordinis ibi restitueret, dum tamen reipsa ubique falsæ cujusque doctrinæ diffusionem cultumque promovit, ubique cupiditatibus et impietati habenas laxavit, immeritas etiam pœnas sumens de Sacris Antistitibus, de Ecclesiasticis cujusque gradus viris, quos in custodiam abripuit, et publicis contumeliis vexari permisit, cum interea insectatoribus et iis, qui ne Supremi quidem Pontificatus dignitati parcebant, impune esse pateretur ([2]). "

1. Vennekens, *Néces. d'une rest. du pouv. temp.*, p. 8.
2. Encycl., *Respicientes*, 1 Nov. 1870.

Hypocrisis est et impudentia — et quis hoc audito posset animo suo imperare et non in furorem erumpere? — assertio trigami Crispi, publice coram Rege, Regina et primariis regni Italiæ 20 Septembris 1895, dicentis : " Dans aucun état du monde, l'Église catholique ne jouit de tant de liberté que chez nous... Les ministres du culte savent qu'ils sont inviolables aussi longtemps qu'ils restent sur le terrain du droit (1). "

Hypocrisis est omne illud quod gubernium Italicum judaice statuit de Summi Pontificis inviolabilitate; nam ut verba usurpem ipsius Leonis XIII, non relinquitur revera Christi Vicario nisi " figura quaedam regiae maiestatis, *quasi per ludibrium* (2)". — Et certe per ludibrium dixit Crispi : " Dans un pays où la pensée est libre comme la conscience, le chef de l'Église a reçu une liberté sans bornes dans la sphère de son ministère sacré. Le Pape est sujet de Dieu seul, et aucune force humaine ne peut l'atteindre. Environné de tous les honneurs et de toutes les prérogatives du trône,... aucun prince de la terre ne lui ressemble, ne l'égale; il est unique dans sa position unique... Ni aujourd'hui ni jamais le canon ne pourra plus l'atteindre (3)!..... "

Hypocrisis, impudens mendacium, irrisio et subsannatio est assertio, occupationem Romæ levamen esse et quasi perfectionem spiritualis potestatis Summi Pontificis." Prince temporel, le Pape verrait son autorité amoindrie, car il serait égal à tous les autres princes et il ne pourrait en être le premier. Tous lutteraient avec lui, comme ils l'ont fait pendant des siècles au détriment de la foi et de l'autorité spirituelle. Souverain indépendant, *comme nous l'avons constitué*, il est supérieur à tous... La catholicité devrait être reconnaissante envers l'Italie pour les services rendus au pontificat romain.... Ce fut seulement quand il avait été

1. Van Duerm, *Viciss. polit.*, 2e édit., p. 484.
2. Litt. Ap., *Militans*, 12 Mart. 1881.
3. Van Duerm, *l. c.*, p. 483.

déchargé des lourdes préoccupations temporelles, que Pie IX put engager sa lutte avec Bismarck et faire sentir à ce puissant personnage quelle est la force des armes spirituelles. Tout cela est notre ouvrage, et nous devons en être fiers.
...lissement de la volonté

...n homine isto et exercitu
...blasphemias eorum (²)! "
...æ *leges Cautionum*, qua-
...premus Pontifex plenis-
...cri ministerii sui functio-
...er est egrediendi e domo
...fieret Pontifici viventi, si
... plateis Urbis apparere,
...quando cineres Pii IX
...nonumentum (³).
...Ecclesiæ, fas est dicere :

...i fœda hyprocricis est
...num ; etenim declaratæ
...s et simul *nullius va-*

...t le conseil d'État ont parfois
...anties. L'expression est impro-
... L'usage qui en a été fait n'a
...mmes d'État italiens, que celle
...a mort de Pie IX, Crispi, minis-
...seil d'État pour déclarer que la *Loi des garanties avait un caractère constitutionnel.* Cette décision fut aussitôt communiquée officiellement aux représentants des puissances, comme un témoignage irrécusable du loyalisme du gouvernement. — Or, lorsque dans une discussion au parlement, di Rudini rappela ce fait, Crispi ajouta cette stupéfiante explication :

" Cette décision du conseil d'État ne me contentant point, je la portai devant le conseil des ministres, et à l'unanimité celui-ci se déclara contraire à la décision du conseil d'État. " — Voilà donc un gouvernement qui communique

Hypocrisis fœdissima fuit ille error, quo milites Victoris-Emmanuelis in obsidione Romæ a ducibus suis atheis detinebantur, illis suadentibus se Romam ingressuros vocatos a Papa, propterea quod Romanus Pontifex populusque Romanus eos vocaret, ad liberandam Urbem ab importunis extraneis. Sciunt Romani venditores quot millia imaginum, Pium IX repræsentantium, vendiderint Italicis militibus, statim ac Romam sunt ingressi ; quas imagines hi milites in epistolis suis inclusas miserunt parentibus, quasi felices fuissent ipsi Papæ liberatores [1].

Hypocrisis et ille famosus plebiscitus, diei secundæ Octobris 1870, quum magno plebeio strepitu maximoque extraneorum adventu ex diffusa pecunia, cives Romani fuerunt invitati ut suffragium darent pro conjunctione sua cum gubernio regis Italici, quasi Romani fuissent sine rege et Subalpinum inhiantes regem. Magna verborum pompa exaltata fuit hæc ficta adhæsio populi Romani gubernio Italico ; dum verus et genuinus Romanus populus die plebisciti in suis domibus, et quidem intimis cubiculis conclusus permansit, injustitiam, falsitatem atque iniquitatem causæ apprime cognoscens, modumque latrocinalem perhorrescens [2].

Si vellemus documentis authenticis regni Italiæ fidem adhibere, in tota Urbe tantum 46 electores votum emisissent contra annexionem et 40,835 eam sincero voto, libere et sponte approbassent. Credant Judæi ! Quomodo illa quadraginta millium civium impatientium tam patienter adventum Subalpinorum expectassent et non citius rebellassent ? — Et quare ex 480 militibus Romanis captivis, quibus ab usurpatore transitus offerebatur cum omnibus privilegiis in

aux puissances une décision qui doit les rassurer ; et ce même gouvernement au même moment déclare nulle cette décision, officiellement transmise aux grandes puissances !... Certes il y a là un comble de *combinazione*. (*Études S. J.*, 64, p. 14.)

1. Avancini, *Acta S. Sedis*, t. VI, p. 250.
2. Avancini, l. c., p. 251.

exercitum Italicum. quinque vel ad summum sex hanc propositionem acceperunt ([1]) ? Et Papa-Rex non habüisset in Urbe nisi 46 electores sibi propitios !

9. Nec tanta impietas, tanta injustitia, hypocrisis tanta potuerunt quin amaros, imo amarissimos ferrent fructus Europæ gentibus. Ingentia sunt mala moralia et injuriæ quæ ex Massonica usurpatione et occupatione Romæ toti civili societati sunt illata eamque quasi labefactant. Ita docet Magister supremus Pius IX.

(1) Primum malum est principium *non interventionis* in praxim palam reductum et contra causam justissimam applicatam. Abstinere non possumus quin præter alia deploremus funestum ac perniciosum principium, quod vocant de *non interventu*, a quibusdam guberniis, ceteris tolerantibus, proclamatum, et adhibitum etiam cum de injusta alicujus gubernii contra aliud aggressione agatur ; ita ut quædam veluti impunitas impetendi aliena jura, proprietates ac ditiones contra divinas humanasque leges sanciri videatur ; ex quo perniciosa consequitur absurditas, alienum nempe interventum dumtaxat admitti ad rebellionem suscitandam ([2]). "

(2) Sed et alia mala in usurpatione Romana cumulantur. " Agitur enim de immana violatione, quæ *contra universale gentium* jus nequiter est patrata, quæque, nisi omnino coerceatur, *nulla deinceps legitimi cujusque juris firmitas ac securitas poterit consistere.*

(3) " Agitur de *rebellionis principio* ex quo pronum est intelligere, quantum cuique gubernio discrimen comparetur, et quanta in universam civilem societatem redundet pernicies, cum ita fatali communismo aditus aperiatur.

(4) " Agitur de *violatis solemnibus conventionibus*, quæ, uti aliorum Principatuum, ita etiam civilis Pontificiæ ditionis sartam tectamque servari omnino postulant.

1. Vagner. *L'attentat de Rome.* 6e éd., pag. 75.
2. Alloc., 28 Sept. 1860.

(5) " Agitur de *violenta direptione illius Principatus*, qui singulari divinæ providentiæ consilio Romano Pontifici datus est, ad Apostolicum suum ministerium in universam Ecclesiam plenissima libertate exercendum [1]. "

(6) " Sed Romani Pontificatus oppugnatio non solum eo spectat, ut hæc S. Sedes et Romanus Pontifex legitimo suo civili Principatu omnino privatur, sed eo etiam tendit, ut infirmatur, et, si fieri umquam posset, plane tollatur *salutaris catholicæ religionis virtus ;* — ac propterea impetit Dei ipsius opus, Redemptionis fructum, et sanctissimam illam Fidem, quæ pretiosissima est hæreditas in nos derivata ex ineffabili sacrificio, quod in Golgotha consummatum est [2]. "

Eheu ! recte animadvertit egregius historicus, Summis Pontificibus sæc. XIX applicari oportere verba Dantis poetæ: " Mihi renovari video spectaculum aceti et fellis [3]. "

10. Non est tantummodo in sociali rerum ordine quod usurpatio Dominii Ecclesiæ injuriosa est Italiæ, ita etiam perquam funesta est ei in ordine *politico*.

Primo quod ad Italiam ipsam pertinet, domi necessario portendit divisionem intimam inter Italiam illam, quam *officialem* vocant, et magnam alteram Italorum partem, qui *vere catholici* sunt. Omnis autem divisio est imbecillitas, et conflictus religiosus in ipso nationis sinu numquam in publicum bonum cessit.

Secundo, foris, idem conflictus contra S. Sedem Italiam eo præstigio destituit quo, si pacem cum Romano Pontifice haberet, certissime frueretur ; animum omnium vere Catholicorum totius orbis ab ea alienat ; eam privationibus subeundis obnoxiam facit, ac demum, favente occasione, adversariis arma in ipsam detorquenda suppeditare potest.

Ipsimet Itali honesti, rerum publicarum periti, confitentur

1. Alloc. 28 Sept. 1860.
2. Alloc. 18 Mart. 1861.
3. Kraus. *Hist. de l'Égl.*, trad. Godet, vol. III, p. 376.

præsentem Papæ captivitatem nequaquam Italiæ prodesse sed ei plerasque internas externasque comparare molestias atque difficultates.

Intus discordiæ et quæ nascuntur mala omnigena : Catholicorum mœror, conscientiarum turbatio, impietatis augmentum, depravatio morum, paupertas, publicæ auctoritatis debilitatio, animorum divisio, odium multorum et quidem optimorum in gubernium, omissio cœremonialium Pontificalium.

Exterius diffidentiæ et aversiones Orbis universi, e quibus : mundi catholici offensio, difficultates et pericula politica, diminutio crediti publici.

" Concordia res parvæ crescunt, discordia vero maximæ dilabuntur. " Sic sonat antiquum adagium Romani scriptoris bellum Jugurthinum enarrantis. Ecquid et aliud et contrarium fatum regnum Italicum manebit ?

II. Injusta Dominii S. Sedis detentio, latrocinium est, offensam inferens christianis Europæ nationibus.

Etenim quæstio Romana non est Romana vel Italica tantum, sed æque est et Anglica, et Belgica, et Austriaca, et Gallica, et Hispanica, et Americana, verbo est cosmopolita.

Libertas S. Sedis et independentia Summi Pontificis quæstio maximi momenti est: spectat conscientiam omnium Catholicorum, cujusvis nationis ; spectat fidem, spectat pacem omnium et singulorum.

Causa agitur a qua pendet ordo christianitatis et ordo civilis totius mundi.

Agitur de Dominio quod de jure et de facto per quatuordecim sæcula innixum stetit inconcussis et sacrosanctis totius Orbis catholici legitimitatis principiis et in vita sociali Europæ nationum primas partes egit instar capitis simul et cordis in composito humano. Turbare hæc organa posse censeres quin et totum sociale corpus turbatione laboret ?

Patriarchali, ut ita dicam, illo Regno, qualibet moderna

regia stirpe antiquiore nil est universalius, nullum regnum firmius, nullum politicum pactum sacratius ([1]).

Agitur proin de Urbe capite totius Orbis catholici : quomodo hæc minui possit et reduci ad conditionem capitis unius regni particularis.

Agitur de Papa qui maximam vim moralem totius Orbis terrarum repræsentat ([2]), et qui hospitalitatem a miserrimo aliquo terreno gubernio quasi mendicare teneretur!

12. Grande non minus fuit piaculum et statui religioso injuriosum suppressio ista Ordinum religiosorum quam Romæ intendere visi sunt Massones, usurpatores gubernii.

" Amarissimam passi sumus amaritudinem, scribit Beatissimus Pater, de proposito rogandi legem de religiosis Ordinibus in hac Urbe nostra, Vicarii JESU CHRISTI Sede, catholicique orbis metropoli, abolendis.

" Declaratio hæc, quæ magis magisque verum detegit finem, quem potestatis temporalis exspoliatio in detrimentum Sedis Apostolicæ patrata intendit, nova est injuria universo Orbi catholico illata.

---

1. Ipse persecutor Ecclesiae Bismarck hanc veritatem publice agnovit : " Je ne puis pas considérer le Pape comme une puissance absolument étrangère. La Papauté est une institution qui a un caractère général, universel ; cette institution a donc aussi un caractère allemand, et elle exerce une action sur les intérêts allemands. " (Oratio, 22 Aprilis 1887, ad Deput. Borus). Errat minister Manzini dum dicit : " La situation du Pape à Rome est un intérêt italien, de nature purement intérieure et ne comportant en aucune façon une discussion internationale." (Prélot, *Etudes S. J.*, t. 64, p. 13.)

2. Ad rem deputatus Toscanelli : " Beaucoup pensent que la question romaine n'intéresse que les catholiques. Non, messieurs, il n'en est pas ainsi. La question intéresse beaucoup de libres penseurs, parce qu'il y a des libres penseurs *conservateurs*. Or les libres penseurs conservateurs voient dans la liberté du Pape un *principe conservateur suprême*, et dans la suppression de cette liberté un principe subversif. Ces libres penseurs remarquent que les peuples les plus heureux sont les peuples les plus religieux. Ils savent que les Américains ne vont pas au combat sans avoir invoqué le Dieu tout-puissant ; que le Congrès aux États-Unis s'ouvre par la prière ; que les Prussiens victorieux à Sedan rendirent grâce à Dieu avant de reformer leurs bataillons. Ils voient donc dans la question Romaine une question éminemment conservatrice, et quoique libres penseurs, ils se sentent forcés par la nature des choses, de s'appuyer sur ce principe, qui est le plus conservateur de tous, le principe religieux. " (Cardin. Vaughan, *The Roman question*, ch. 2.)

"Ecquis enim ausit inficiari, religiosorum Ordinum Romæ dissolutionem, vel arbitrariam tantummodo eorum existentiæ limitationem, non solum Romani Pontificis libertatem et independentiam pessumdare, verum etiam ex ejus manibus abripere unum e potentioribus efficacioribusque mediis pro universalis Ecclesiæ gubernatione?

"Nemo enim non scit, quemadmodum christianæ familiæ centrum Roma est, ita religiosas domos, quæ ibi erectæ sunt, centrum omnium Ordinum et singularum congregationum per catholicum Orbem existentium constituere.

"Sunt ipsæ veluti tot seminaria, indefessis Pontificum Romanorum curis exstructa, supremaque pontificia auctoritate, ex qua vitam, disciplinam, consiliumque hauriunt, temperata.

"Hujuscemodi domus constitutæ sunt ad missionarios in quasque Orbis partes immittendos. Quin historia consulatur, sufficit oculorum acie varias Europæ regiones ac inhospita Asiæ, Africæ, Americæ atque Oceaniæ littora obire, ubi et hodie flagrantes isti Dei ministri vires, valetudinem, vitam quoque in populorum utilitatem devovent ac salutem.

"Jamvero, religiosis in Urbe Ordinibus abolitis, vel illorum existentia coarctata, haud fieri amplius poterit, ut piarum hujuscemodi institutionum commoda, sicut hodie, terrarum Orbis experiatur.

"Religiosas Romæ domus abrogare nihil est aliud quam communitates per totum terrarum Orbem disseminatas interimere.

"Religiosorum Ordinum in Urbe abolitio non modo patens est injustitia erga viros de civili societate optime meritos, sed vera violentia, jus illud evertens, quo catholici totius Orbis nationes invicem colligantur. Nihil est aliud quam continuatio diri illius ac perniciosissimi machinamenti, quod a die occupationis Urbis struitur, in auctoritatis Nostræ temporalis et in detrimentum præcipue supremi Apostolatus, pro cujus

utilitate Nobis Ecclesiæ patrimonium per ridiculum prædicabatur: patrimonium, inquam, ab amplius undecim sæculis legitimis sacrisque titulis possessum, in emolumentum totius familiæ catholicæ ([1]). "

13. Crimen Vandalicum, internationale et maxime sacrilegum fuit confiscatio bonorum sacræ congregationis de Propaganda fide. Hoc enim Institutum tam venerabile " non de Religione solum, sed etiam de humanitate gentium praeclare meritum, ***nulla unquam vis superiorum temporum violaverat*** ", ut observat Beatissimus Pater ([2]). Quod nec perturbatores Galli, nec Napoleo I, nec pessimi rebelles anni 1848 fecerunt, hoc ausi sunt Judaici Massones ([3]).

Nec sat datum sacrilegis confiscationibus. Mense Maio 1890 per legem *Operum Piorum* dictam subripit gubernium Italicum 1,800,000.000 francorum, quæ ad 22,000 varia opera pia pertinebant ([4]).

De hac lege dicit Sanctitas Sua eam, fatentibus Massonibus legislatoribus " esse tamquam gradum ad cetera mala jactum; scilicet ***ad omnia religionis delenda vestigia ex institutis civitatum.*** Congruit sane cum ejusmodi proposito ratio legis, cujus vis est imprimis pietatis instituta partim extinguere, partim in aliam naturam convertere ".

In administratores autem piarum illarum fundationum cives omnes licet eligere, ne feminis quidem exceptis, — Parochos autem non ([5]).

1. Ep. ad Cardin. Antonelli. 16 Jun. 1872.
2. Litt. Ap. *Militans*, 12 Mart. 1886.
3. " Par cet inique arrêt, la Propagation de la foi dans le monde entier se trouvait mise en quelque sorte à la discrétion du misérable gouvernement maçonnique de l'Italie. Le Saint-Père eut beau protester par l'organe des nonces et du cardinal préfet de la Propagande, la spoliation suivit son cours, et, à la fin de 1884, elle était un fait accompli. Pour atténuer dans la mesure du possible les effets de cet acte sacrilège, le Saint-Siège a transporté hors d'Italie la gestion du patrimoine de la congrégation." — (Mgr de T'Serclaes. *Léon XIII*, t. I, pag. 366)— " Dans aucun État du monde l'Église Catholique ne jouit de tant de liberté que chez nous ! — La catholicité devrait être reconnaissante envers l'Italie !! " (Crispi. 20 Sept. 1895.)
4. Prélot, *Études S. J.*, t. 64, pag. 20 et 256.
5. Leo XIII, Alloc. *Tempestivum*, 30 Dec. 1889.

" Obtenderant quidem, inquit Pontifex, interversos reditus, maleve locatos ; sed lux veritatis, unde minime voluissent, erupit. Instituta de administratione quæstio criminationem falso confictam splendide refutavit (1) ."

Iterum de lege ista tam antisociali quam iniqua et impia, hæc testatur Leo XIII : " Lex de piis operibus seu institutis, qua totum christianae charitatis patrimonium, avorum pietate et religione sub umbra et protectione Ecclesiae congestum, ab huius auctoritate et administratione subtractum fuit, iam aliquot annis ante in Massonicae sectae conventibus proposita fuerat ac statuta, hac profecto de caussa, quod ea lex novam Ecclesiae iniuriam afferre debebat, socialem eius auctoritatem minuere, magnamque legatorum vim, impensis pro religioso cultu sustinendis destinatam, absolute dirimere (2). "

14. Plane conscium est, nec diffitetur gubernium Massonicum summam injuriam ab Italia in usurpatione commissam ac in detentione Dominii temporalis Sanctæ Sedis continuo perdurantem. " Res clamat ad dominum ", et torquet animum prædonis. Ast cupidum remorsus extinguendi sub pœnis gravissimis prohibuit ne causa unquam in discussionem vocaretur. Edidit enim legem qua vir ecclesiasticus quilibet, a Papa usque ad humilem seminaristam, qui publice aliquid dictis vel factis auderet in favorem hujus Dominii, mulctandus sit et reclusione trium annorum in carcere peracta, et mulcta 3000 lirarum, et perpetua privatione ab omni beneficio. Lex vere exceptionalis contra clerum, lex vere animo persequendi sancita et digna utique Juliano apostata aut crudeli Elisabeth Angliæ, qua nempe tamquam facinora habentur ipsissimi actus qui clero sunt sacram inisterii sui officia !

Sed et laici, qui in Romana quæstione sese Pontifici favo-

1. Leo XIII, Alloc., *Tempestivum*, 30 Dec. 1889.
2. Epist. ad Episc., Cler. et pop. Ital. 15 Oct. 1890.

rabiles ostenderunt, summarie et quasi ipso facto dimittuntur ab officiis suis atque ut suspecti habentur [1].

De hisce legibus dicit Leo XIII : " Potius de sacri ministerii perfunctione,quam de licentia criminum coercenda perlatae sunt... Ecclesia percellitur, dum administrorum eius deterior fit conditio, quam ceterorum civium, simulque poenarum metus obiicitur, ne iidem conscientias fidelium ad religionis morumque defensionem audeant ducere [2]."

Itaque recte Pontifex monefecit Principes : eventum hunc luctuosissimum fore instrumentum " in subversionem totius ordinis civilium societatum. "

Quidquid enim inter gentes sacrum hactenus extitit, sicut lex Dei æterna quæ norma est suprema omnium legum ; sicut pacta et fœdera, necnon mutua jura exinde resultantia ; sicut pax et tranquillitas civium, atque in imbecilles oppressos protectio fortium ; sicut sinceritas relationum et integritas morum... omnia et singula conculcata fuere in hoc dramate, quod intuentibus totius Europæ gentibus oblatum fuit gentes erudiendi causa.

Factum istudnefarium merito gurges relationumsocialium, vorago societatum nuncuparetur, et ubi attente perspicietur, unice sufficiet posteris ut de statu sociali sæculi XIX judicium ferant rectum.

Et quæ spes restabit exeundi ex tali gurgite et voragine, quamdiu factum perstans suum exercebit influxum ; quamdiu atrum gubernium ut implacabilis carnifex paratus victimas jugulare suas ubi primum vocem efferrent ad legitimam vendicationem proclamandam ac facinus prædonum improbandum ?

Proh dolor ! sed hæc omnia initium tantum sunt malorum, nisi Europa citissime pristinum Ecclesiæ statum civilem restauret.

---

1. Vaughan, *l. c.*, cap. V.
2. Epist. ad Ducem Norfolciæ, 13 April. 1889.

En gravia monita Pontificis Pii IX : " Quod si fideles paterna suorum pastorum monita, et commemorata.... christianæ legis mandata despicientes, a supradictis hodiernarum machinationum promotoribus decipi se patiantur et in perverso socialismi et communismi systemata conspirare cum illis voluerint, sciant, serioque considerent, thesaurizare se sibimetipsis apud divinum Judicem thesauros vindictæ in die iræ ; nec quidquam interea ex conspiratione illa temporalis in populum utilitatis, sed nova potius miseriarum et calamitatum incrementa obventura. Non enim datum hominibus est, novas stabilire societates et communiones naturali humanarum rerum conditioni adversantes : atque idcirco conspirationum hujusmodi, si per Italiam dilatarentur, non alius esse exitus posset, nisi ut hodierno publicarum rerum statu per mutuas civium contra cives aggressiones, usurpationes, cœdes, labefactato funditusque convulso, pauci tandem aliqui, multorum spoliis locupletati, summum in communi ruina dominatum arriperent (1). "

Vere prophetica videntur hæc gravia monita, quando consideramus quousque eventus spoliationis Sedis Apostolicæ societates Europæ in socialismi, communismi, nihilismi errores jam protraxit!

1. Litt. Encyc. Neap. in suburbano Portici, 8 Dec. 1849.

CAPUT NONUM.

Lamentabilis iste eventus in primis maxime favit *socialismi* erroribus et fatali *communismo* aditum aperuit, scilicet: inspirando odium in Religionem, in proprietatem, in auctoritatem omnem atque nutriendo.

1. Summum discrimen in quo versatur Societas. — 2. Genuinus animus et spiritus vitalis socialismi est triplex odium. — 3. Eventus spoliationis favit *odio in Religionem divam Ecclesiæ.* — 4. Favit *odio in jura proprietatis.* — Testantur hoc viri periti. — 6. Sæpe sæpius admonuit Pontifex. — 7. Ultima monita. — 8. Dominium S. Sedis est patrimonium et nequit violari quin ruat jus proprietatis. — 9. Favit *odio in auctoritatem.* — 10. Hujus immediatas et tristes sequelas jam experimur: agitatur societas magnis febribus. — 11. Extollitur et in praxim deducitur principium pessimum nationalitatis. — 12. Conclusio et verba Pontificis: in diem crescent mala nisi restauratio fiat.

1. " Nisi Deus auxilio fiat suis, imminet nobis turbatio haud absimilis huic quam Imperium Romanum expertum est sæculo tertio exeunte : destructio bonorum vitæ, libertatis veræ, civilitatis ac scientiarum. "

Ita locutus est anno 1830 egregius Niebuhr, vir diplomaticus maximi ingenii, cum intimus regni Borussiæ consiliarius Romam missus, nihil non tentavit, ut perniciosa jura status in Ecclesiam restringeret eamque saluberrimo operi sociali manciparet ([1]).

Quanta fuerit deinceps in societate eluvies errorum et malorum sat perspectum habuimus ex eventu quem lamentatus est Pius IX et nos quotidie lamentamur.

Ast inter tot tantaque mala socialia, ab hoc facinore oborta atque rata habita, eminet monstruosus error socia-

1. Hergenrœther, *Hist. de l'Église*, trad. Belet, VII, p. 312, VIII, p. 301.

lismi qui hydriæ multiformi similis, apud omnes Europæ nationes caput extollere visus est. Est, inquit sapientissimus Card. Hergenrœther, theoria et praxis quædam reformationum quibus societas nostra funditus renovanda censetur, restaurando nimirum inter homines æqualitatem laboris et proportionatam repartitionem ejusdem; conservando quoque æquam lancem inter opus et capitale per assecurationem quamdam et emolumentorum simul et commodorum vitæ, ad quæ operarius clamorem afferre valet. Videre est, quod si socialismo cordi existit ordinem quemcumque actualem evertere, si ipsi placent omnes errores sociales moderni ævi, quæstionem tamen œconomicam præ primis facere suam. Licet ergo alibi aliter videatur affectum, et in Germania v. g. ad statum socialisticum magis vergat, in Gallia pure democraticam formam affectet, et in Italia studio reipublicæ flagret; manet ubique idem horrendum socialismi monstrum, obortum ex rebellione hominis seu potius christianæ societatis in Deum exeunte sæculo XVIII.

Nonne et principia et prima socialistica secta ex S. Simonianis conflata oriunda est ex rebellione 1793, et gradatim prorepsit, ut serpens venenosus brevi infestans omnes societates et spirans odium atque aversionem summam in veram christianam Religionem? Pervolve quod inscriptum est *Evangelium temporale* seu quod recte nuncuparetur *Evangelium operariorum* et invenies " omnes conditiones humanas actuales absolute esse perniciosas ac per novum rerum ordinem renovandas " — " homines esse perfecte æquales, proindeque repartitionem civium in duplicem classem, quorum alii bonis fruuntur, dominantur aliis et auctoritatem exercent; alii vero dura patiuntur opera, subjeci atque obedire sunt coacti, maxime esse absonam; "— " Religionem christianam vixisse nec jam amplius fore utilitatis [1]".

1. Hergenrœther, *Hist. de l'Église*, VIII, p. 145... 152. — Cantu, *Hist.*, XIX, p. 401.

2. Hic patet ergo omnis socialismi animus, ut societatibus christianis, ab Ecclesia per continuum laborem tot sæculorum progenitis atque formatis, substituat societatem principiis paganismi penitus imbutam. Hinc illa, quæ in omnibus socialisticis sectis, quocumque insignantur nomine, detegi potest, prava indoles, hoc triplex perenne odium, nimirum: — odium in Religionem catholicam et veritates quæ ab ipsa sacræ habentur, in relationibus præsertim socialibus, ut est matrimonii indissolubile vinculum; — odium dein in proprietatem ejusque jura; — odium postremo in auctoritatem omnem. Sic nos monet Pius IX ([1]): "Ad subversionem impellunt totius ordinis humanarum rerum atque nefaria novi socialismi et communismi systemata traducunt... summo contra catholicam veritatem odio (sunt) animati... Norunt... et longo multorum sæculorum experimento comprobatum vident, nullam sibi consensionem sperare posse cum Ecclesia catholica."

Quid attinet deinde, si ut Papa loquitur "ipsis seu communismi seu socialismi magistris, diversa licet via, ac methodo agentibus" alii alia proferunt systemata œconomica, quum idem sit commune omnium propositum, i. e. subversio totius ordinis civilium societatum opera operariorum?

In Anglia anno 1836 Owen, qui omnes religiones delendas esse censuit, methodum novam sodalitatum cooperativarum et valde nocivam bono communi invexit. In Gallia quidam alii, ut Cabet, qui communitatem bonorum imo uxorum introducere ausus est, aut sicut Proudhon, qui proprietatem furtum dixit, aliter purum communismum suum executioni mandare decreverunt, per perfectam paritatem et æqualitatem bonorum et jurium ac repartitionem proprietatum. Postea vero Germanus quidam, nomine Marx, anno 1864, Londini, inter diversarum nationum operarios, instituit sodalitatem ab intenta universalitate *internationalem* nuncu-

1. Alloc. in consist. secr. 20 Apr. 1849.

patam. Hæc in tertio suo generali congressu, anno 1868 Bruxellis habito, aperte contra præsentia gubernii regimina, contra exercitus quibus pax et tranquillitas ordinis in tuto servantur, contra quamcumque dein religiosam professionem protestationes efferre est audita. Nonne hæc omnia unum tantum spirant animum, uno vivunt vitali hoc elemento socialismi : aversione scilicet erga Ecclesiam Christi, — odio in proprietatem, — contemptu summo auctoritatis ?

3. Quantopere hunc vivum animum socialismi, communismi, nihilismi et antisocialium sectarum Europa foverit in protracto eventu spoliationis S. Sedis, incredibile est dictu.

Quo tendere debebant dura servitus et contemptibilia ludibria quibus sæpe sæpius obnoxia fuit catholica religio etiam a parte magnatum, principum et guberniorum ?

" Dolendum est, — inquit Leo XIII in Encyclica de secta socialistarum, communistarum, nihilistarum, — dolendum est eos quibus communis boni cura demandata est, impiorum hominum fraudibus circumventos et minis perterritos in Ecclesiam semper suspicioso vel etiam iniquo animo fuisse, non intelligentes sectarum conatus in irritum cessuros, si Catholicae Ecclesiae doctrina, Romanorumque Pontificum auctoritas, et penes Principes et penes populos, debito semper in honore mansisset. Ecclesia namque Dei vivi, quae columna est et firmamentum veritatis, eas doctrinas et praecepta tradit, quibus societatis incolumitati et quieti apprime prospicitur, et nefasta socialismi propagatio radicitus evellitur (1). "

Et ad Card. Nina scripsit idem Pontifex :

" Violationem iurium sacrorum Sedis Apostolicae, Romanique Pontificis *bono tranquillitatique populorum apprime officere*. Vicarii Christi persona impune violari, antiquissima et sacratissima iura, idea iuris et iustitiae profunde apud

1. Encyc. *Quod Apost. Mun.*, 20 Dec. 1878.

eosdem excutitur, legum reverentia imminuitur eoque pervenitur ut ipsae civiles societates bases subvertantur.

" Animo reputes statuum diversorum catholicos tranquillitate frui non posse donec Summus illorum Pontifex, fidei eorumdem Magister, conscientiarumque ipsorum moderator, vera absolutaque gaudeat libertate (1). "

Quot exempla et scandala publica in vexationibus, quibus Pontifex fuit afflictus et quæ a nostris societatibus patienter, imo et a nonnullis intimo et secreto gaudio, tolerata fuerunt! Patet ex iis, qui Romæ occurrerunt eventus in obsequiis Pii papæ IX; patet ex irreligiosis et infernalibus bacchanalibus quæ, occasione erectionis statuæ Giordano Bruno, occurrisse diximus; patet etiam ex glorificatione famigeratorum hominum extremo supplicio affectorum, quia vili pretio viginti francorum allecti, militarem Serristori stationem cuniculo subruerunt, septem et viginti hominibus mortem inferentes (2).

Operariorum sic veneratione in religionem et fide interna sublatis, in incredulitatis barathrum sponte proruunt populi, præcipites obeunt in materialismum crassum et submerguntur per cœcam satisfactionem appetituum et passionum vel maxime animalium. Quid mirum ergo si plebs religiones omnes ut figmenta rationis habeat, si matrimonialia fœdera pro lubitu abrumpenda vel abolenda æstimet, si aliena rapiat furtumque sociale titulo legali collectivismi et communismi condecoret ?

Nonne et iterum in spoliatione Dominii S. Sedis violationem omnium et certissimorum proprietatis et legitimitatis jurium publice nomine plebis peractam et consecratam vidit?

4. Non potuit spoliari Dominium temporale S. Sedis quin eodem ictu supremum vulnus societati infligeretur, cui solum mederi est per restitutionem violatarum proprietatum atque

1. Epist. 27 Aug. 1878.
2. Antonelli, 25 Nov. 1870

Principatus jurium. Perlustremus gesta juris publici quæ ab ineunte sæculo occurrere. Totius enim ordinis politici in Europa anno 1815 reædificati, hæc firma et solida basis erat: principium legitimæ possessionis et agnitionis juris ex historia et ex fœderibus comprobati (1). Sed nunc hæc cuncta jam sunt de facto eversa atque destructa in æstimatione populorum; supersunt solæ ruinæ..... repudiatæ vero manent partes, i. e. elementa essentialia antiqui juris gentium!

Principium legitimi juris et ipsum jus publicum inter nationes partim evulsum est ab ipsis modernis guberniis, conspirante Napoleone III, partim in desuetudinem quasi abiit, ut substitueretur jus novum, jus modernum, jus factorum. Et hæc omnia maxime inaugurata sunt et applicationi tradita in quæstione Romana! Huic nefasto phantasmati novi juris immolata fuerunt et legitimitas potestatum regiarum, et sanctitas conventionum initorumque fœderum, atque tandem pax et publica tranquillitas nationum.

Basis et fundamentum juris novi videtur hoc adagium impiorum: " Opprimamus pauperem justum... Sit fortitudo nostra lex justitiæ (2). "

Quod vulgo enunciatur: " *La force prime le droit.* "

Nullum unquam principium vel systema promptiorem ac implacabiliorem habuit applicationem, quam adagium illud " sit fortitudo nostra lex justitiæ " invenit in occupatione Statuum Pontificiorum, in invasione Urbis, ac in præsenti detentione Romæ ejusque Principatus sub fuco unitatis, nationalitatis, expressæ voluntatis populi Italici. Ast " per quæ quis peccat per hæc et torquetur. " Adstat jam vindicta Dei. Etenim nulla applicatio juris novi funestior fuit Europæ societatibus, nulla efficacior unquam fuit ad excitandas populorum turmas adunitas ut rerum potirentur. Ergo, si potentatus eo principio usi sunt ad evertendum Regnum et Dominium

1. *Gazette universelle d'Augsbourg*, 5 Mai 1867.
2. *Sap.*, II, 11.

temporale antiquissimum necnon et maxime legitimum, quid est cur numerosissimæ et fortissimæ plebeiorum turbæ vice sua hunc clamorem non efferrent : " Sit fortitudo nostra lex justitiæ. " Cur nonne arcem supremi dominii civilis aggressuræ essent ad regna eorumque regimina evertenda, ad bona aliena rapienda atque inter se repartienda et sic beate viverent ?

5. An placet tibi hac in re audire judicia virorum magni ingenii, et præstanti prudentia ?

Cum Imperator Russiæ vidit in quæstione Romana modum procedendi gubernii Subalpini, non dubitavit Legato suo Augustæ Taurinorum hanc rescribere vituperationem summam : " Au milieu de la paix la plus profonde, sans avoir reçu aucune provocation, sans faire même une déclaration de guerre, le gouvernement sarde a donné à ses troupes l'ordre de franchir les frontières des États-Romains; il a pactisé ouvertement avec la Révolution... Il se met en opposition flagrante avec le droit des gens. — La nécessité où il prétend se trouver de combattre l'anarchie ne le justifie pas, puisqu'il ne fait que marcher avec la Révolution... Des prétextes de ce genre ne sont pas admissibles. Ce n'est plus seulement une question d'intérêts italiens, mais d'intérêts généraux, communs à tous les gouvernements. C'est une question qui se rattache directement à ces lois éternelles, sans lesquelles ni l'ordre, ni la paix, ni la sécurité ne peuvent exister en Europe ([1]). "

Et legatus regni Bavariæ hunc in sensum monitus fuit a gubernio suo : " Si, comme cela se fait en Italie, on favorise d'en haut le principe de la force brutale, on se met au-dessus des premiers principes de la morale, on ne respecte plus *le tien* et *le mien*, — cela doit conduire aussi à l'anéantissement de la morale parmi les masses. Dès à présent, la vérité de ce principe est confirmée par les faits qui se produisent

1. Van Duerm, *Vicis. temp.*, 2e éd., p. 336, 337.

en Italie, et qui ne firent qu'engendrer des fruits de plus en plus détestables. Toutes les leçons de l'histoire seraient fausses si la Sardaigne n'est pas forcée, à la fin, de boire elle-même le calice qu'elle croit remplir seulement pour d'autres à son bénéfice [1]. "

En judicium quod in Gallia protulit egregius politicus Thiers, anno 1865 deputationem legiferam alloquens et ad incœptam tantummodo spoliationem alludens. " Voici ce que je dis : vous êtes en présence d'un Souverain reconnu qu'on dépouille, permettez-moi de vous le dire, *scandaleusement;* car, ou les mots n'ont pas le même sens pour nous tous, ou il est permis d'appeler *scandaleuse* une spoliation comme celle à laquelle nous assistons. On épouvante le monde quand on invoque un principe qui n'entraînerait pas moins que la dislocation de tous les gouvernements existants [2]. "

6. Sed ex ore ipsorum SS. Pontificum discamus quomodo eventus spoliationis Apostolicæ Sedis populos impulerit ad jura etiam privatorum bonorum contemnenda.

Quam *intime conjuncta* sit hæc eversio Dominii sui temporalis cum eversione juris proprietarii docet Pius IX in Encyc. *Qui pluribus*, 9 Nov. 1846: " Jam vero probe noscitis, ait, alia errorum monstra et fraudes, quibus hujus sæculi filii catholicam religionem, et divinam Ecclesiæ auctoritatem... et tum sacræ, tum civilis potestatis jura conculcare conantur."

" Huc spectant nefariæ molitiones contra hanc Romanam Beatissimi Petri cathedram...

" Huc infanda, ac vel ipsi naturali *juri maxime adversa de communismo*, uti vocant, *doctrina*, qua semel admissa, *omnium jura*, res, *proprietates*, ac vel ipsa humana *societas* funditus *everteretur*. "

1. Van Duerm, *Vicis. temp.*, 2e éd., pag. 337.
2. Séances des 14 et 16 avril 1865. Van Duerm, p. 426.

Quo animo ducerent viri illi qui continuas exagitationes moliebantur, patet ex verbis ejusdem Pontificis : intendebant nimirum propagare semina iniquarum suarum prædationum. Fatetur Pius IX : " Petitiones et progressum ab hujusmodi hominibus tantopere prædicatum ea unice spectare, ut assiduæ foveantur agitationes, ut omnia justitiæ, virtutis, honestatis, religionis principia usquequaque penitus tollantur, atque *horrendum* et luctuosissimum, ac vel ipsi rationi naturali et juri maxime adversum *socialismi*, vel etiam *communismi*, uti appellant *systema* cum maximo totius humanæ societatis detrimento, et exitio quaquaversus *inducatur*, *propagetur* ac longe lateque *dominetur* ([1])."

Quisnam hujus novus societatis status futurus esset nos monet, eumque Romæ præ oculis habuit. Videremus et nos societatem " silvam frementium bestiarum esse factam, cum ea omnium nationum hominibus redundet, qui vel apostatæ, vel hæretici, vel communismi, uti dicunt, aut *socialismi magistri*, ac summo contra catholicam veritatem odio animati tum voce, tum scriptis, tum aliis quibusdam modis omnigenos pestiferos *errores docere*, *disseminare*, omniumque *mentes et animos pervertere conantur*, ut in Urbe ipsa (in societate Europæ nos dicemus) si fieri unquam posset, catholicæ religionis sanctitas, et irreformabilis fidei depravetur ([2]). "

Et insuper die 8 Dec. ejusdem anni 1849 in Encyclica ad Archiepiscopos atque Episcopos Italiae, idem S. Pontifex narrans luctuosum quem lamentatur eventum, præcipuasque assignans causas, quinquies intendit communismum. " Hujus scelestissimæ machinationis architectos, ait, eo tandem spectare, ut populos omni perversarum doctrinarum vento agitatos, ad subversionem impellant totius ordinis humanarum rerum, atque *ad nefaria novi socialismi et communismi systemata traducant.* "

1. Alloc. Pii IX in consist. secr., 20 Apr. 1849.
2. All. consist. secr., 20 Apr. 1849.

En quomodo spoliatio legitimi Dominii S. Sedis signum fiet postea invadendi proprietates privatas et jura civium :

" Libertatis et æqualitatis nominibus abutentes, exitiosa communismi et socialismi commenta in vulgus insinuant. Constat autem, ipsis seu communismi, seu socialismi magistris, diversa licet via, ac methodo agentibus, illud demum commune esse propositum, ut operarios atque alios inferioris præsertim status homines suis fallaciis deceptos... ad graviora paulatim facinora exerceant, ut postmodum illorum opera uti possint ad... expilandas, diripiendas, vel invadendas Ecclesiæ primum, ac deinde aliorum quorumcumque proprietates, ad omnia tandem violanda divina humanaque jura, in divini cultus destructionem atque in subversionem totius ordinis civilium societatum. "

Et aliam nacti occasionem novi concordati cum Hispania duobus annis post rebellionem 1848, Papa iteratim admonet et cogitur, ut inquit : " deflere plurima, omnibusque notissima mala et damna in civilem ipsam societatem derivata ex injusta prorsus, et sacrilega ecclesiasticarum rerum, ac bonorum spoliatione, et direptione, quæ ad funestissimos quosque ac perniciosissimos socialismi, et communismi errores fovendos magna ex parte viam munivit (1). "

Anno 1855, occasione extinctionis beneficiorum pro religiosis familiis et collegiatis ecclesiis a gubernio Subalpino peractæ, vocat hoc propositum : " ipsi naturali, divino, et sociali juri omnino repugnans, et humanæ societatis bono vel maxime adversum, ac perniciosissimis funestissimisque socialismi et communismi erroribus plane favens (2). "

7. Et denuo sub iterata invasione Statuum, et spoliatione continuo audacius peracta, Pontifex iterat clamores ad populos principesque christianos. " Opportuna nobis oritur occasio excitandi omnes Europæ Principes, ut pro spectata

1. Alloc. Pii IX in consist, secr., 5 Sept. 1851. — Cfr. Constant, p. 332.
2. Alloc. in consist., 22 Jan. 1855.

ipsorum consilii gravitate et sapientia serio perpendant quæ quantaque mala in detestabili, quem lamentamur, eventu cumulentur. Agitur enim de immani violatione, quæ contra universale gentium jus nequiter est patrata, quæque nisi omnino coerceatur, nulla deinceps, legitimi cujusque juris firmitas ac securitas poterit consistere... Pronum est intelligere quantum cuicumque gubernio discrimen comparetur, et quanta in universam civilem societatem redundet pernicies, cum ita fatali communismo aditus aperiatur (1). "

Sed principes nedum rebellionem serio et efficaciter coercere studuerunt, legitimitatem juris contempserunt atque discrimen fatis communismi incurrerunt. Ideo clamores hi et gravissima monita aerem verberare videbantur, nec pertingere usque ad aures regias, donec magnanimus Pontifex, jam Romæ captivus, suo Dominio temporali penitus orbatus, et victima sectarum anti-socialium effectus, quasi ultimum protulit suspirium. In mirabili sua protestationis Encyclica 1 Nov. 1870, Papa damnavit falsa spoliationis principia, damnavit et auctores et complices hujus ; perinde ac si societates ultimo monere vellet, horam jam eis advenisse vindictæ Dei qua et ipsæ invaderentur ac devorarentur et continuo tremore premerentur a monstro socialismi et communismi, done ctandem pristinum juris et legitimitatis ordinem restituerent. Nil addam de magistrali Encyclica qua successor Pii IX, sanctissimus Papa noster Leo XIII easdem luctuosas sequelas spoliationis S. Sedis indigitavit. Legenda est encyclica ad Episcopos universos catholici Orbis de secta socialistarum, communistarum, nihilistarum die 28 Dec. 1878 promulgata. Legenda est et alia Epistola haud minus admirabilis de malis humanæ societatis eorumque causis et remediis data 21 Aprilis 1878. Legendæ sunt in primis magistrales Litteræ de civili principatu et de christiana

1. Alloc. in consist., 28 Sept. 1860.

gubernatione societatis domesticæ et civilis respective die 20 Junii 1881, et die 8 Febr. 1884 datæ.

8. Quid amplius dicam de funesto influxu hujus Italiæ facinoris ad evertenda jura proprietatis? Dominium temporale Sedis Apostolicæ fateor non potuisse corruere sub repetitis ictibus rebellionis et violationis, quominus et jus, et legitimitas proprietatis penitus cum eo corrueret. Etenim ipsum Patrimonium B. Petri fundatum fuit super hæc sacra et antiquissima jura proprietatis ([1]).

Posset imo alius Europæ princeps orbari Principatu suo civili, quin simul violaretur jus proprietatis; ast quia Pontificis Romani Principatus civilis radicitus connectitur cum piis donationibus, cum possessionibus multis, cum concessionibus regiis, e quibus sub forti et suavi Providentiæ consilio effloruit sacra hæc simul et civilis potestas, nequit violari quin violentia inferatur proprietati. Nullus unquam Europæ princeps, quantumvis locuples, prius exstitit proprietarius telluris hujus, cujus sors et securitas ipsi postea commissa fuerunt. Solus autem Pontifex Romanus est, solus Rex Romæ est qui hoc originali et authentico imo familiali gaudeat titulo in suum Principatum civilem.

Nonne et ideo Principatus ille nomine insignitur, quo nulla alia possessio civilis frui posset nomine, scilicet Patrimonii, equidem B. Petri? Illud nomen a principio recepit; imo arctius sibi, ut ita dicam, conglutinavit per accessum jurisdictionis civilis in hanc partem Italiæ quæ primitus Pontifici obvenit. Illud suave nomen Patrimonii tandem per omnia sæcula continuo retinuit Dominium temporale. Juvat coram oculis exhibere curas paternas quas Gregorius magnus de istis patrimoniis constanter habuit, eis rectores et quasi primos Gubernatores jam præfecit qui ut boni patres familiæ populis invigilarent. " Per diversas provincias pro custodia sacræ religionis, rebusque pauperum strenue gubernandis,

1. Constant, *Le Pape et la liberté*, 2e édit., p.251.

Ecclesiæ suæ viros industrios, rectores patrimoniorum ascivit. In quibus Cyprianum diaconum patrimonii Sicilii, Pantaleonem notarium Syracusani, Fautinum defensorem Panormitani, Sergium defensorem Calabritani, Romanum notarium Apuli, Benenatum defensorem Samnitici, Anthemium subdiaconum Neapolitani, Petrum subdiaconum Campani, Candidum defensorem Tusci, Urbicum defensorem Sabini, Optatum defensorem Nursini, Benedictum notarium defensorem Carseolani ; Felicem subdiaconum Appiæ, Custorium chartularium Ravennatis, Castorium notarium Histriani, Antonium subdiaconum Dalmatiani, Joannem notarium Illyricani, Symmachum defensorem Sardiniæ, Bonifacium notarium Corsiani, Pantaleonem notarium Liguriæ, Hieronymum defensorem Alpium Cottiarum, Hilarium notarium Germaniciani et Candidum presbyterum Gallicani. Hæc autem prudentissimus pater Gregorius, non solum in Romana, sed et per diversas Ecclesias perpetualiter observanda censebat."

Qualiter sane Gregorius, pergit Joannes diaconus, per procuratores ecclesiasticorum patrimoniorum, velut Argus quidem luminosissimus per totius mundi latitudinem suæ pastoralis sollicitudinis oculos circumtulerit, non abs re forsitam duxerim perstringendum. Ait enim in Epistola Anthemio subdiacono : " Discenti tibi mandavimus, et postmodum præceptis discurrentibus injunxisse me memini ut curam pauperum gereres, et si quos illic egere cognosceres, scriptis recurrentibus indicares et vix de paucis hæc facere curasti.

Volo autem ut domnæ Pateriæ thiæ meæ, mox ut præsentem jussionem acceperis, offeras ad calciarium puerorum solidos quadraginta et tritici modicos quadragintos ; domnæ Palatinæ, relictæ Urbici, solidos viginti et tritici modicos trecentos, domnæ Vivianæ relictæ Felicis solidos viginti et tritici modicos trecentos qui omnes simul octingenta solidi in tuis rationibus imputentur... (1).

1. Jean. Diac., *Vita S. Greg.*, liv. II.

En quomodo, fatente ipso Gibbone, Dominium paternum Papæ ejusque præfectorum vel defensorum, sub singulari forti ac suavi actione Providentiæ, brevi et connaturaliter succrevit et transiit in illud temporale Dominium, cujus præterea exemplum exstat nullum, commixtum scilicet ex potestate spirituali summa et civili Principatu regio supremo, in verum Patrimonium Petri. Hoc ergo violari nequit quin, ut ita dicam, violentur jura patrimonialia hæreditatis totius populi vere christiani per Orbem dispersi.

9. In spoliatione Dominii tot et tantis titulis fundati "agitur, inquit Pius IX, de rebellionis principio, cui Subalpinum gubernium turpiter inservit, ex quo pronum est intelligere... quanta in universam societatem civilem redundet pernicies, cum ita fatali communismo aditus aperiatur."

Et re quidem vera, in hoc eventu tota labefactata est legitima auctoritas non solum qua princeps civilis gaudet in subjectos, sed et proprietarius in bona sua. Ad quam auctoritatem in Pontifice evertendam, ut ex factis constare vidimus, Massonicum gubernium præcipuas partes egit.

Etenim, ut historiographus ait, in lamentabili hoc eventu, cum indignatione quidem mirati sumus principes imo et reges se præbentes rebellionis fautores et quasi ministros quibus causa rebellionis committeretur: nonne audivimus primos moderatores populorum plebeiorum turbæ hanc demonstrare viam: oportet rebellare, rebellare continuo? Nonne et gubernia vidimus sopita et falso liberalismi principio "non interventionis" innixa?

10. Proh misera cœcitas! omnes fere usi sunt pravis hominum appetitibus, et mendaci studio libertatis et emancipationis, quo tunc flagrabant populi, ut, inspirante atra secta Massonum, eos in auctoritatem Ecclesiæ excitarent, quasi eorum mater Ecclesia non studuisset bono societatum et civium, imponendo hominibus doctrinam legemque divina auctoritate fulcitas. Eheu! reprobaverunt ædificantes lapidem,

qui debuisset exstare in Europa medium saxum ædificii et cui societates glutine justitiæ et charitatis mutuæ alligandæ fuissent ad firmitatem atque securitatem ; dereliquerunt Sedem Apostolicam, Pontificem Romanum. Sed væ populis ! væ principibus et moderatoribus istis ! nam dictum est : "et qui ceciderit super lapidem istum confringetur : super quem vero ceciderit, conteret eum (1). "

Et alibi : "quæ enim seminaverit homo, hæc et metet (2),"

Seminaverunt autem principia juris novi in sola vi factorum fundati, et nunc ut tumescentes plebeiorum fluctus domare possint, coacti fuerunt armare copias innumerabiles, continuas nutrire ad invicem diffidentias, jugibus timoribus agitari. Et ita pro momento stare potest jus novum : " sit fortitudo nostra lex justitiæ. " Et adhuc: " Quia ventum seminabunt, et turbinem metent (3)."

Ex animis populorum suorum evellerunt principia pacifica et christiana juris ac charitatis, et jam non invenerunt postea nisi germina et signa certa dissolutionis et destructionis,quibus socialismus et communismus abunde scatent : odium in Deum — odium in proprietatem — odium in auctoritatem omnem, atque effrenatam libidinem omnium proruentium appetituum.

II. Massones, dum sub fucato prætextu unitatis linguæ ac regni Italiæ Romam detinent, imo et reliquas provincias quæ idiomate utuntur Italico, sed ad alias pertinent nationes, et quas ideo *irredemptas* amant vocare, etiam adnectere satagunt, extollunt atque in praxim deducunt principium falsum, injustum, auctoritatisque summopere subversivum *nationalitatis*.

Ut perbelle ostendit D. Knoch, quem præstat in hac doctrina sequi, " Principium illud nationalitatis — quo innixi Liberalismi asseclæ atque Massones civilem ordinem vel

1. *Matth.*, XXI, 44.
2. *Ad Gal.*, VI, 8.
3. *Osee*, VII, 7.

turbant vel eradicant, — sive intelligatur sensu illimitato et absoluto, sive sensu aliquo restricto, falsum est et perniciosum [1]. "

Prænotandum. *Populus* et *natio*, si spectatur usus linguæ latinæ, nequaquam sunt nomina plane synonyma.

Populus vocatur multitudo familiarum unita politice, verbi gratia sub uno imperatore, quin ad familiarum originem vel ad eorum linguam attendatur.

Natio vero, a *nascendo* dicta, unionem designat physiologicam, quæ ex unitate originis ab aliqua stirpe communi, non attenta politica unitate, inter homines existit.

Nationalitatis characteres speciales eruuntur ex communi lingua atque singulari ingenio proprio : et definitur : " Specialis corporis et animi indoles multitudini familiarum ex communi origine aliisque factis historicis propria, eamque ab omnibus aliis multitudinibus manifeste discernens [2]. "

Porro fieri quidem potest, ut aliqua natio tota, eaque sola unum populum sensu supradicto efficiat, id quod unitati ac firmitati admodum favet. Sæpissime tamen natio in plures populos dividitur, uti olim in Italia et Germania visum est ; — vel vice-versa, plures nationes, uti nunc in Austria, in unum uniuntur populum. Hæc unitas politica seu socialis quidem ob membrorum varietatem non ita firma existit ; quod si tamen sit sufficiens, talis unio, variarum gentium sub uno capite, omnimodæ culturæ et prosperitati prodest.

Nunc quæritur utrum quælibet natio, v. g. quæ lingua utitur Italica, eaque tota, in unum populum independentem, non obstantibus juribus quibuscumque, uniri queat ?

Sunt qui id affirmant absolute, et principium nationalitatis propugnant sensu *illimitato ;* ita Massones usurpatores Romæ [3].

1. *De libertate in societate civili.* Th. XXXVIII, p. 392.
2. Knoch, l. c.
3. L'intérêt public a attaqué la souveraineté sous une autre forme. Il est présenté sous la forme nationale. Il a inventé le principe des nationalités. Voici

Sunt qui sensu *restricto* idem principium intelligunt, quæ restrictio hæc est : " Nisi obstent pacta internationalia ". Secus quælibet natio jus habet ad autonomiam et politicam unionem etiam per vim efficiendam, quoties hæc unio necessaria intelligitur ut populus possit fines suos assequi, et probabile est eos fines per solam unionem politicam esse attingendos.

Hujus opinionis sectatores independentiam Romæ a regno Italico ejusque subjectionem Pontifici per pactum internationale possent admittere. Sed quia docent quod si necessitas nationis sit ingens, etiam pacta internationalia jure non attenduntur. Ast, rogamus, cuinam erit de gradu hujus necessitatis judicium proferre ? Dum multi *Italianissimi* necessitatem Urbis Romæ, ut caput esset Regni uniti prorsus negarent, nonne ex adverso clamor bellicus præ-

ce principe tel que le vient de concevoir et d'appliquer, aussitôt conçu, la sagesse des politiques les plus consommés du XIX[e] siècle : Les nations sont fortes par la géographie et par la langue. Les événements, l'histoire, la Providence qui préside aux uns et à l'autre n'y peuvent rien. La loi du fleuve, de la montagne, du dictionnaire, tient la leur en échec. — Si donc telle tribu humaine parlant une langue, se trouve depuis cinq siècles, dix siècles, vingt siècles, faire partie d'une nation dont le dialecte est différent, elle doit en être détachée et revenir au centre national dont elle parle et comprend l'idiome. La langue ayant établi ses droits, la géographie se présente avec l'état dressé des siens.

Il est vrai que la langue et la géographie pourront parfois se trouver en présence et élever droit contre droit.

Alors voici la solution :

Si le peuple et le souverain patronisés par la géographie sont plus forts que le peuple et les souverains clients de la langue, les droits de celle-là primeront les droits de celle-ci ; s'il en est autrement la géographie se hâtera de retirer ses titres et la langue dira à tel fleuve, au Rhin, p. e., qu'il renonce à l'honneur de demeurer en tout ou en partie frontière d'un empire.

Donc le principe national étant bien posé, on se met à l'œuvre.

Un État plus rusé ou plus fort, ou tout ensemble l'un et l'autre, divise ses voisins, soudoie et corrompt leurs sujets, et à l'heure propice inonde leurs terres de ses soldats. La trahison secondant la violence, cinq États, dix États sont bientôt conquis, cinq ou dix souverains à bas, et la grande nationalité est debout.

Telle est la théorie, telle est la pratique du principe national. (*Le Pape et la liberté* par R. P. Constant, O. P., p. 344).

Tel est, dirons-nous, la théorie du droit de la force brutale inauguré et consacré par la spoliation du Saint-Siège et qui demeure pour nos sociétés une source féconde de troubles.

donis Garibaldi ejusque sicariorum erat : " *Aut Roma, aut mors* " ? Summa ergo eis videbatur hæc necessitas.

Nos autem omne nationalitatis principium, — quod nequaquam cum amore erga Patriam, qui amor vera est virtus christiana confundere licet, — prorsus respuimus.

Etenim principium istud, si sensu *absoluto* affirmetur, sufficiente fundamento caret, nec sine injuria vel injusta perturbatione ordinis existentis et providentialis propugnatur. — Nam nationalitas de se nullum confert *jus* ; indicat *aptitudinem* tantum vel ad summum *convenientiam* quamdam valde remotam unitati populorum. Nec dicatur unionem nationalem passim magnum esse bonum. Respondemus primo, illud valde dubium esse ; nam pluribus civibus non immerito arrident parvitas nationis et autonomia localis ; — secundo, dato, non concesso hoc principio utilitatis, omne quod utile alicui videtur, non ideo de se est justum ; — ac tertio, nationibus in totidem populos adunatis sæpe invalebit inter eos spiritus odii *(haine de races)* ac discordiæ *(dissentiment national)* (1).

Tandem practice impossibilis est realisatio hujus nationalitatis principii. — Massones illud Italiæ applicaverunt ; sed si universim deberet applicari, nulla fere integra natio unione frueretur politica ; totus commoveretur et everteretur Orbis ut principio huic falso satisfieret ; integra mutaretur Europa, et quid de ceteris Orbis partibus, præsertim vero de America fieret, plane nescio. Ut exempla quædam afferam ex Europa tantum desumpta : destruerentur Austria, Helvetia, Belgium ; minuerentur Gallia, Anglia, Borussia ; ressuscitarentur Polonia, Burgundia, Vendæa ; Turci et forsan Russi arcerentur ex Europa in Asiam, etc., etc... (2).

Alii vero, qui principium nationalitatis in sensu *restricto* propugnant, eadem fere, uti vidimus, argumentatione confutantur. Ulterius advertatur restrictiones, quas proferunt,

1. *Knoch.*, p. 395.
2. Cathrein, apud Knoch., p. 395.

arbitrarias esse atque vagas, ita ut exinde publica securitas prorsus labefactetur.

Veritas et justitia postulant ut cum Pio IX damnemus propositionem hanc XIX Syllabi: " Jus in materiali facto consistit... et omnia humana facta juris vim obtinent. "

Et memores simus sapientiæ hujus antiqui axiomatis : *Justitia est fundamentum regnorum ;* necnon horum Spiritus Sancti dictorum : " Justitia elevat gentem ; miseros autem facit populos peccatum "[1]. —" Diligite justitiam, qui judicatis terram ; justitia enim perpetua est et immortalis [2]. "

12. Quid restat igitur faciendum in misera hac societatum conditione quam peperit iniquitas spoliationis ? Consistere, imo retrogredi necesse est ; ad pedes redire Pontificis et, auctoritate et dignitate cum plena libertate ipsi restitutis,adunitis viribus atque consiliis debellare monstrum socialismi quod interitum molitur Europæ.

Oportet in memoriam revocare hæc verba Dei : "Nisi Dominus ædificaverit domum in vanum laboraverunt qui ædificant eam "; et alia Pii IX : quod nempe homines humanæque vires impares existunt ad firmas solidasque constituendas societates quæ Deo et religione vera non inniterentur.

Interea vero, nisi prompta reparatio fiat et S. Sedes quæ cardo est et centrum societatum in pristina dignitate restituatur, in dies crescent mala, nec societatis infirmæ restauratio fiet. Constat enim, ut sanctissimus Dominus 24 Septembris anni præteriti 1895 conquestus est, " audaciores evasisse — in Italia per Urbis acquisitionem et sequens intervallum temporis, — cujusvis generis cupiditates ; eorum qui humanas divinasque leges contemnunt, excrevit numerum ; extremas (quas vocant) factiones numero ac vi auctas esse ; furentesque phalangas in civilem ordinem atque socialem funditus evertendum conjuratas. — Inter tot malorum

1. *Prov.*, XIV. 34.
2. *Sap.*, I. 1, 15.

eluviem secta Massonica haudquaquam quiescit, sed bellum in illud divinum institutum inferre ferocius pergit, in quo validissimi omnium ac tutissimi præsidii reperiendi spem reponi oporteret, Ecclesiam videlicet, speciatim vero ejus visibile caput, cui una cum civili Principatu, autonomia sublata est, haud minus Pontificis dignitati conveniens, quam apostolici ministerii libertati necessaria " ([1]).

1. Epist. ad Cardin. Rampolla.

CAPUT DECIMUM.

Perduratio facinoris in detentione Romæ, et conditio intolerabilis S. Pontificis, constanter inquietudinem populorum fovent, et summe perniciosæ sunt societati, non dico Ecclesiæ solum, sed totius Europæ, imo ipsius Italiæ.

1. Restitutio pristinæ libertatis Ecclesiæ est conditio sine qua non datur efficax remedium malis societatum.— 2.*Ecclesia* primo inquietudini dedita ob intollerabilem situationem.— Id testantur Pontifices. — 3. Id testantur varia incommoda. — 4.*Europa* universa diffidet a legibus Cautionum quæ nullam dant securitatem — nec soliditatem habent pacti internationalis. — 5. Idem testantur dicta Pontificum et virorum diplomaticorum et Lemmi. — 6. *Italia* ipsa in ruinam socialem proruit penitus — et in primis Roma ex multis motivis: "Roma capitale, Roma fatale." — 7. Totaque Italia in interitum vergit — 8. Rapina non profuit — 9. " Ne elettori ne eletti. " — 10. Objectio ex præstigio morali Pontificatus hodierni. — Appendix.

1. Nil mirum, si in mirabili Encyclica diei 28 Dec. 1878, "Quod Apostolici muneris", in qua de illa secta hominum loquitur, qui diversis ac pene barbaris nominibus socialistæ, communistæ vel nihilistæ appellantur, Summus Pontifex Principes civiles per propriam ipsorum ac reipublicæ salutem iterum iterumque precatur, obtestans ut Ecclesiam, de publica regnorum prosperitate tam egregie meritam, magistram recipiant et audiant; planeque sentiant rationes regni et religionis ita esse conjunctas, ut quantum de hac trahitur, tantum de subditorum officio et de imperii majestate decedat. — Precatur insuper Pontifex ut "cum ad socialismi pestem avertendam tantam Ecclesiae Christi virtutem noverint inesse, quanta nec humanis legibus inest, nec magistratuum cohibitionibus, nec militum armis, ipsam Ecclesiam

in eam tandem conditionem libertatemque restituant, qua saluberrimam vim suam in totius humanae societatis commodum possit exercere ([1]). '

Hæc vox salutis tunc temporis ad plures aures resonare cœpit, quæ antea obduratæ permanserunt, et nonnulli principes, qui prius a Romano Pontifice elongati videbantur, ad eum appropinquare sunt visi ut malis socialibus aliquid remedii communi conatu afferrent.

Ast quantopere secum dissona stat humana ratio hic facile est visu : licet enim principes saluberrimam vim Ecclesiæ in commodum totius humanæ societatis agnoscerent, medium tamen ipsis a Pontifice assignatum, quo ea vi efficacissime fruerentur, amplecti recusaverunt et hactenus Ecclesiam non restituerunt in conditionem libertatemque ad bonum populorum requisitam.

Manet servitus Pontificem, maneant et inquietudo et summum periculum societates civiles !

2. Status actualis Sanctæ Sedis est plane Ecclesiæ intolerabilis ; et cunctis christianis causa inquietudinis nec ullus *modus vivendi* introduci possibile est. Qui præest Ecclesiæ oportet sit aut princeps temporalis et fruatur perfectæ immunitatis usu, sicut competit Primatui ejus, aut monstrose de facto subjiciatur ditioni et nutui principis civilis ; positio intermedia nec datur nec dari posset ulla.

Utrum vero *ad munus divinum obeundum* sufficienti immunitatis exercitio gaudeat necne, ipse Summus Pontifex judex supremus est in hac nostra causa, quippe quæ est causa totius Ecclesiæ, cujus ipse visibile caput et os vivens. Inde ex ore ejus audire est judicium, ut dicam, ipsius Christi.

" Quis ferendum putet, res permagni momenti, cum potestate Pontificis Maximi, cum ipsa Apostolici muneris libertate copulatas, audacter ad suum revocari arbitrium, publiceque diiudicari ab homine quidem privato, nulla ad id

1. Encycl. 28 Dec. 1878.

auctoritate praedito? Atqui ab ipso Pontifice judicata caussa est: is enim quid et sentire ceteros oporteat non semel neque obscure significavit (1)."

Nunc vero ipse solus Judex aperte declarat "se *nulla vera libertate gaudere* (2)!" — Denuntiat: "acerbitatem legum, quae potius de sacri ministerii perfunctione, quam de licentia criminum coercenda, non ita pridem in Italia perlatae sunt (3)."

Quid magis absonum quam ut qui Rex est regum, Rector Orbis et Primas christifidelium de jure, de facto vero subdatur ut novissimus quilibet civis cujusdam status civilis?

"In præsenti quippe rerum statu perspicuum est, dicit ipse, Nos potius quam in Nostra, in aliena potestate consistere, eorum videlicet ab quorum arbitrio pendet, conditiones ipsas existentiæ Nostræ pro hominum atque adjunctorum variatione, quando et quo modo arrideat, immutare.

"*Verius in aliena potestate sumus, quam Nostra,* uti sæpenumero significavimus.

"Quare ab inito Pontificatu, quod Nostrum officium erat, regium Principatum Romano Pontifici, non quidem ambitionis æstu, nec humanæ celsitudinis cupiditate ducti, sed ut veram efficacemque independentiæ ac libertatis tutelam, nullo non tempore etiam atque etiam vindicavimus.

"Nunc libertate illa carere reipsa experimur, quæ ad regendam Ecclesiam Dei, ejusque rationes curandas omnino Nobis necessaria est (4)."

"Vehementius in dies admonemur de ea captivitate in qua sumus (5)."

"Declaramus et protestamur coram Deo et universo Orbe catholico, Nos in ejusmodi captivitate versari, ut supremam

1. Leo XIII, Epist. ad Episc. Brix., 31 Mart. 1889.
2. Alloc. 27 Sept. 1888.
3. Epist. ad ducem Norfolk, 13 April. 1889.
4. Pius IX, Litt., 29 Sept. 1870.
5. Id., Encycl. 1 Nov. 1870.

Nostram pastoralem auctoritatem tuto, expedite ac libere minime exercere possimus ([1]). "

3. Juvat hic quædam notare incommoda quæ quotidie nata sunt obvenire Pontifici ex hac intolerabili conditione.

Nuntia quæ via postali vel telegraphica excipere est coactus, responsa et monita quæ vicissim mittit cunctis fidelibus Orbis terrarum, visitationes quæ ad limina Apostolorum undique fiunt, munera quæ ad eum a piis filiis mittuntur, omnia hæc et singula non pertingunt Pontificem, cujus proprium est summa gaudere majestate, libertate et independentia, nisi per ministerium et per manus quasi Gubernii pessimi, zelosi et maxime hostilis ipsi. — Hac de re potest conqueri Leo XIII sicuti olim Pius VII in pari conditione positus : " Occupata videmus diribitoria litterarum et metu, an pudore, ne litteris per Italiam ac reliquam Europam ea perferantur quæ Romæ vi contra jus fasque geruntur ; — constitutos qui litteras resignent et perscrutentur : fide publica et jure gentium nequidquam conquerentibus et vetantibus.

" Typographis vigiles et custodes impositos, ne quid Nobis typis edere ullo modo liceret, ne subditos, ne Ecclesiam alloqui ac faciliori ratione possemus ; ut qui liber typorum usus religionem irridere, aut oppugnare valenti negatur nemini, is Nobis unis, qui religionem tueri et fovere debemus, ereptus sit.

" Hanc ipsam allocutionem Nostram, ut vulgare possemus, oportuit scribentum opera, non typographorum uti ([2]). "

Italia mentitur dum asserit Papam haberi ceu regem, vel principem supremum, et Vaticanum gaudere quadam " exterritorialitate ". Est fictio juris contradicta a factis ([3]) !

1. Pius IX, Encycl. 1 Nov. 1870.
2. Alloc. 16 Mart. 1808.
3. " Il existe là *en principe* une souveraineté indépendante et libre, mais *en fait* c'est une pure abstraction. Le Pontife romain est un roi sans terre et sans sujets, dont les mains sont liées dans l'exercice du pouvoir. Royauté purement

Et quotidie oriri queunt eventus possibiles quibus dilecti Patris nostri conditio pejor adhuc, imo plane impossibilis evadat : " Sive nimirum ob praevalentia rebellium conamina, eorumque hominum, qui animi sui in Christi Vicarium proposita nequaquam dissimulant ; sive etiam ob bellorum vicissitudines, multiplicesque rerum implicationes, quae in illius detrimentum contingere possint (1). "

Jam tempore Pii IX, cardinalis Antonelli quasi diem prævidit, qua situatio Papæ in Urbe adeo foret intolerabilis, ut cogeretur Summus Pontifex, vel invitus, sacram exire civitatem : " Neque hallucinari eum putem, qui diceret, quæ hic fiunt ac fieri poterunt, tolerantiam quæ adhibetur quum de injuria Pontificis personæ dignitatique agitur inferenda, ea esse media, quibus Pontificis ejusdem ab Urbe discessum locum habere posse, præsumitur (2). "

Nec nobis temeraria videatur talis suspicio. Profecto enim Massones quid est quod magis intendant quam perfectam ruinam Ecclesiæ et extinctionem seriei prædicationum quas, ut veritatis vates infallibilis et Christi Vicarius, Pontifex per Orbem resonare facit ex Vaticano (3) ?

" Neque finis est, nec modus ullus acerbi et luctuosi belli, cum apostolica Sede suscepti, cujus caussa *Ecclesia incredibiliter laborat, Romanusque Pontifex in summas angustias compulsus est.* Is enim civili Principatu spoliatus, necesse fuit ut in alienam ditionem potestatemque concederet.

" Urbs autem Roma, augustissima urbium christianarum, exposita est et patet quibuslibet Ecclesiae hostibus (4). "

passive, qui ne possède ni moyens, ni champ d'action, incapable de se protéger elle-même et mise sous la sauvegarde d'une autre royauté vivante, dont le trône fait face au sien. Royauté de théâtre, qui rappelle celle des Rajahs de l'Inde, pensionnés par les Anglais ; ayant conservé leurs palais et leurs trésors, ils s'imaginent posséder le pouvoir, parce qu'ils en portent les insignes et qu'ils en recueillent les honneurs et les profits. " (J. D. F. J., *op. cit.*, p. 12.)

1. Leo XIII, Epist. ad Card. Rampolla, 15 Jun. 1887.
2. Epist. 12 Dec. 1870.
3. Cfr. epistolam Lemmi apud 't Serclaes, II, p. 121,
4. Encycl. *Etsi nos*, 15 Febr. 1882.

In quibus angustiis posito Pontifice et quasi alienigena habito, quis est qui non videt, quanta prudentia quantaque egeat circumspectione, aut rectius quanta difficultate involvatur, cum doctorale et pastorale munus ipsi dictat et populos et principes populorum ad rectam revocare viam? Ex una parte " Novimus enim, ait Beatissimus Pater, decretum inimicis esse, usque eo Pontificatum Romanum iniuriose tractare, ut, ex aliis in alias coniectus difficultates, ad extrema, si fieri possit, urgeatur (1). "

Ex altera vero nonne continuo reformidandum est ne ceteris sopitis guberniis unum alterumve, eo quod veritatis sermone videretur offensum, cum regimine Massonico conspiraret in non procrastinandum amplius Pontificatus exitium?

Quis est ergo qui sat cæcutiat ut lamentabilem conditionem non videat qua continuo premitur Ecclesiæ caput ut suis libere prospiciat et bono societati efficaciter provideat?

Quid est ergo cur bono Ecclesiæ et Pontificali muneri satis superque provisum esse clamitent plures, quandiu durat intolerabilis hæc conditio? Præterea quid est cur principes ad difficultates sociales enodandas et efficaciter solvendas Pontificem captivum tantopere sollicitent? Oportet primum solvere vincula illius, qui incuria societatum et potestatum Europæ Dominio suo ac proinde pleno libertatis et immunitatis exercitio fuit spoliatus, ut ipse palam veritatem salvificam prædicans, sedemque occupans in conventibus et congressibus principum et populorum, ipsis sapientiæ suis consiliis ac monitis fructuose assistat.

An putet quis eo satis conducere illa quam quidam elaboraverunt lex Cautionum?

4. De hisce Cautionibus ergo disseram, quas die 13 Maii 1871 edidit et Pontifici, omni prorsus potestate exspoliato, offerendas jactavit Italicum gubernium, ne catholicus Orbis putaret religionem ob Italicam unitatem periclitari.

1. Alloc. ad Card., 24 Mart. 1884.

An eam legem securam diceres *ex juramentis* quibus obfirmata fuit ?

Quamnam fidem valeant mereri Italici gubernii promissiones, licet solemniter juratæ, clare edocet modus agendi gubernii istius in peractis adversus omnes Italiæ Principes usurpationibus; in multiplici fractione fidei in ipsam Sedem Romanam, ut quando v. g. contra fœdera inita et absque ullo consensu gubernii Gallici Romam occupavere anno 1870. — Et quoties præterea contraria fecere ac ea quæ pactis sancita fuerunt ?

Nonne olim sub funesto Crispi prætenderunt [1] Sede Apostolica vacante per obitum Pontificis, gubernium in locum successurum cardinalis qui conclavum dirigere solet, atque ita electionem novi Pontificis gessurum ?

Nonne per novum codicem legum pœnalium, cui Zanardelli nomen suum apposuit, " directe offenderunt iura totius cleri catholici et indirecte ipsius Sedis Apostolicae " ut Leo XIII die 1 Junii 1888 declaravit [2] ?

Nonne impares sese confessi sunt ad securitatem Papæ tuendam et ad cohibendas injurias Pontifici et Ecclesiæ publice illatas, uti v. g. contigit in erectione monumenti impii Giordano Bruno, et jam pridem in exaltatione Leonis XIII, ubi desiderio se populo publice præbendi obviam itum est hac responsione : " Caveat Papa ne faciat, quippe nos impares sumus assumendi responsabilitatem eventuum qui in casu occurrerent [3]. "

Ecquid si auctoribus legis, legem pro beneplacito interpretantibus, pro lubitu jurata fides abrumpitur, quum jam sic ex assueto cynismo S. Sedes, honestatis et justitiæ æque ac religionis centrum, ludibrio exponitur ac fidei jus prorsus amittitur ?

Ecquid si lex Cautionum in aliam mutaretur ab ipsis,

1. *Étud. Relig.*, Févr. 1895, p. 259.
2. Mgr de 't Serclaes, *Le Pape Léon XIII*, II, ch. XXVIII, p. 127.
3. *Études S. J.*, t. 64, pag. 25 et seq.

sicut fieri posse declaratum est a concilio status ?

Quidquid sit, Papa indiget, uti constat, libertate, eaque vera, stabili atque plenissima. Jam vero summopere precaria necnon derisoria est auctoritas illa et libertas quæ ex concessione gubernii Italici est atque exercetur; quæque proinde ex voluntate aut libitu concedentis dependet, vi aliena subsistit, nec eos valet fines prætergredi, quos ipsi gubernium assignat. Hinc fit ut omnis cujuscumque generis cautio nihil sit aliud quam vera illusio, vera hypocrisis ([1]).

Quomodo personam ac libertatem Papæ securam servare possent quum et ne quidem jus proprietatis ipsi incolume servent ?

Quanti valeant famosæ gubernii Italici cautiones, mox patuit e confiscatione palatii Quirinalis. Etenim nullo habito obsequio ad auctoritatem, immunitatem, extraterritorialitatem (quam appellant) regiasque prærogativas, quas supremo Ecclesiæ capiti elargitas esse jactitavit gubernium, ministri ejus portarum seris avulsis, Quirinale palatium invadere ausi sunt, palatium, inquam, quod ad solos Romanos Pontifices pertinet in quo commorari solebant ideoque " palatium Apostolicum " nuncupatum. Nihilominus ædes illæ jam tribus abhinc sæculis æstivam Pontificum sedem constituentes, conclavi et Apostolicis secretariis jamdiu inservientes ([2]) occupatæ sunt a spoliatoribus. Et quot spoliationes bonorum ecclesiasticorum postea nonne subsecutæ sunt ; quando anno 1880 bona congregationi Propagandæ fidei addicta et anno 1890 bona operibus piis consecrata, atque nuperrime redditus catechumenorum operis, violenter abrepta fuerunt ?

Quo magis magisque fides comprobetur qua Italicum gubernium jactet promissa cautionesque præstitas servare, utque clarius innotescat quænam sit independentia ac libertas etiam in potestatis spiritualis exercitio Papæ relicta, satis

1. Card. Antonelli. Instr. ad Nuntios. 8 Nov. 1870.
2. Antonelli, 9 Nov. 1870.

erit in memoriam revocare sequestrum illud Ephemeridum, quæ priores Encyclicam Sanctissimi Patris retulerunt. Agebatur de re plane spirituali, sed hinc inferre fas est quænam Pontificem ipsum sors maneret, si aliquando facta laicæ potestatis vituperare cogeretur.

Præterea absit ut gubernii adulatores, legem Cautionum uti quid internationale considerent, quum huic indolem dispositionis mere particularis et Italiam solam respicientis agnoscant; quod constat ex declarationibus ministri M. Mancini ad legatos gubernii olim missis. Ergone securitas Pontificis Europæ minoris momenti videtur ac libera navigatio in aquis Danubi et per freta maris quæ omnia pactis internationalibus obsignantur ([1]) ?

5. Sed præstat audire testimonia et in primis judicium, quod de famosis istis Cautionibus judaicis tulit ipse Romanus Pontifex, prima earum victima ; præstat notare verba singula quibus est usus :

" Subalpinum gubernium, dum ex una parte Urbem properat Orbi facere fabulam, ex altera ad fucum catholicis faciendum et ad eorum anxietates sedandas, in conflandis ac struendis futilibus quibusdam immunitatibus et privilegiis, quæ vulgo " *Guarentigie* " dicuntur, elaboravit eo consilio, ut hæc Nobis sint in locum civilis Principatus, quo nos longa machinationum serie et armis parricidialibus exuit ([2]). "

De harum concessionum aut cautionum *invento*, jam antea scripserat idem Pius IX ad cardinalem-vicarium : " Inventum... in quo nescires quidem, num principem obtineat locum *absurditas*, aut *calliditas*, aut *ludibrium*. " Et asserta sua ita probat sanctissimus Pater : " Quum concessio potestatem aliquam in concedente erga illum, cui conceditur, suapte natura requirat, huncque ejus potestati et arbitrio, saltem quoad rem concessam, subjiciat, necessario sequitur

1. *Étud. S. J.*, t. 64, p. 14.
2. Encycl. 15 Maii 1871.

operam ab istis insumi in imperio Nostro iis mediis fulciendo, quæ ipsum evertunt, delentque ([1]). " — Latrones cerneres vi armorum tibi auferre crumenam nummis refertam ; et postea largiendo tibi aliquid pecuniæ hunc agere in modum quasi essent in te domini benevoli legitimique possessores thesauri. Nonne hujusmodi ludibrium absurditatem olet? Hac tamen haud minor est Cautionum a gubernio Italico latarum absurditas.

" Insuper, pergit Pius IX, intrinseca natura concessionum ea est, ut ipsarum unaquæque specialem secum ferat servitutem, quæ longe quoque durior efficitur ex posterioribus additis emendationibus.

" Postremo fraudulentus et hostilis spiritus, qui, quamvis insidiose coloratus, ex illis emergit, ex continua factorum serie adeo illustratur, ut evidentem contumeliæ characterem illis inurat. "

Regiæ dignitati Pontificis provisum esse clamitant energumeni illi, sicuti olim Judæi titulum regium cruci apponi fecerunt nec clamare cessaverunt inter ludibria et flagella : " Ave, rex Judæorum. " Ita et mihi videtur gubernium Italicum illudere Vicario Christi et ad singulas respondere querimonias : " Ave rex ! " tu rex es qui manes regiis privilegiis insignitus.

" Quod si divini auctoris sui imaginem in se debet Ecclesia referre, nonne debebimus Nos, qui, licet immerentes, JESU CHRISTI in terris vices gerimus, gratias ipsi rependere, quod Nos quoque sinat injuriosis imperii insigniis circmudari ([2])?" Profecto ludibrium est et simulacrum impium regalis majestatis famosum illud commentum italicum legum Cautionum et exterritorialitatis, sicut Regi regum Christo ludibria fuere spinæ pro corona, arundo pro sceptro, chlamys pro pallio, inscriptio crucis pro titulo. "

1. Ep. 2 Mart. 1871.
2. Ep. ad card. vic., 2 Mart. 1871.

Merito igitur apprime in fraudulentas machinationes invehit Pius IX : " Quoniam Subalpini gubernii est perpetuam turpemque simulationem cum impudenti contemptu adversus Pontificiam Nostram dignitatem et auctoritatem conjungere, factisque ostendit Nostras protestationes, expostulationes, censuras pro nihilo habere ; hinc minime obstante judicio de prædictis Cautionibus a Nobis expresso, illarum discussionem et examen apud supremos Regni ordines urgere et promovere non destitit, veluti de re seria ageretur. Qua in discussione cum veritas judicii Nostri super illarum Cautionum natura et indole, tum irritus hostium in velanda earum malitia et fraude conatus luculenter apparuit.

" Quamquam fideles longe absint ut iis eludantur fallaciis quæ Cautionum nomine teguntur, tamen Apostolici Nostri officii munus esse ducimus ut toti Orbi solemniter declaremus, non modo eas quæ Cautiones appellantur, quæque gubernii Subalpini curis perperam cusæ sunt, sed, quicumque tandem sint, titulos, honores, immunitates et privilegia et quidquid Cautionum seu *guarentigie* nomine veniat, nullo modo valere posse ad asserendum expeditum liberumque usum divinitus Nobis traditæ potestatis et ad tuendam necessariam Ecclesiæ libertatem. "

Pontifex non tantum oblatas Cautiones recusat sed et procul a se rejicit omnem vivendi modum etiam sibi forsan in posterum offerendum : consilioque stat : se in subrogationem civilis sui Principatus posse admittere nihil.

" Quemadmodum, inquit, pluries professi sumus Nos nulli adhærere conciliationi posse, quæ quolibet modo jura Nostra destruat aut imminuat, quæ sunt Dei jura, sic nunc declaramus numquam Nos accepturos esse nec posse excogitatas Cautiones, quæcumque sit earum ratio, neque alia quæcumque sint ejus generis, et quocumque modo sancita, quæ specie muniendæ Nostræ sacræ potestatis oblata fuerint in locum et subrogationem civilis illius Potestatis, qua divina

Providentia Sanctam Sedem munitam voluit, quemque Nobis confirmant tum legitimi tituli, tum undecim et amplius sæculorum possessio. "

Rationes inconcussas affert summus hac in re Judex, Vicarius Christi : " Plane enim cuique manifesto pateat necesse est quod, ubi Romanus Pontifex alterius Principis ditioni subjectus foret, neque Ipse revera amplius in politico ordine suprema potestate præditus esset, neque posset, sive Persona ejus sive actus Apostolici ministerii spectentur, sese eximere ab arbitrio illius, cui subest, imperantis, qui etiam vel hæreticus, — vel Ecclesiæ persecutor evadere posset, — aut in bello adversus alios Principes vel in belli statu versari.

" Et sane, ipsa hæc concessio Cautionum non per se ipsam luculentissimo documento est, Nobis, — quibus data divinitus auctoritas est leges ferendi ordinem moralem et religiosum spectantes, — Nobis, qui naturalis ac divini juris interpretes in toto Orbe constituti sumus, — leges imponi, easque leges, quæ ad regimen universæ Ecclesiæ referuntur, et quarum conservationis ac exequutionis non aliud est jus, quam quod voluntas laicarum potestatum præscribat ac statuat (1). "

Quod si præterea optimos diplomaticos consulere placet, testes erunt et fatebuntur leges Cautionum esse absurdas, falsas atque inanes." Les lois de Garanties créent un *absurde juridique.* " (M. Zorn). — " La liberté du Pape est à la merci d'une voix de majorité au Monte-Citorio. " (M. Leroy-Baulieu.) — Les Garanties n'ont qu'un faux air d'immunités. Une indépendance subordonnée à une voix de majorité est une dépendance. " (M. Ollivier).

Quomodo ergo solide et efficaciter securitati Societatum invigilare posset, qui ipse minime securus in continuo discrimine versatur ne sectæ derelinquatur, quæ ejus ruinæ, imo et morti palam inhiat ? En verba coryphei Lemmi ad Massones prolata die 10 Oct. 1890 : F.·. F.·. " L'entreprise

1. Pius IX, encycl. 15 Maii 1871.

avance rapidement en Italie... le Vatican tombera sous notre marteau vivifiant... les F. F. travaillent de toutes leurs forces à disperser les pierres du Vatican pour construire avec elles le temple de la Nation émancipée (1). "

6. Hæc dicta non solum patefaciunt miserum statum Italiæ, sed et ipsam brevi fore luem Europæ quæ ineluctabiliter infestabit societates universas nisi cito remedium apponatur. A die qua Roma facta est caput regni Italiæ verum sonat dictum : *Roma capitale, Roma fatale.* Locus esset recapitulandi quantopere Roma a pristino splendore deciderit, nam revera Roma nequit prospere existere nisi sit Roma *papalis;* ad istud enim prædestinata, fundata, servata, exaltata atque ornata fuit singulari Providentiæ consilio, opibus sæculorum. Nunc autem ex præsentia regis excommunicati, ex præsentia multitudinis eorum qui gubernium secuti sunt (2), ex oppositione continua inter summam potestatem spiritualem et materialem jacet convulsionibus torta vitam inter et mortem et jamjam obitura.

Ex funestis istis sequelis nonnullas citare juvat.

A) Languescunt relationes diplomaticæ, nam excommunicatio lata in regem, in omnes ministros Italicos et in quoscumque complices gubernii et sacrilege detentores Dominii S. Petri, sæpenumero plures arcet, et hoc nimirum in causa

1. *Le Pape Léon XIII*, Mgr de T'Serclaes, II, ch. 28, p. 121. (Vide supra p. 105.)

2. Les journaux de l'Italie officielle ne s'en cachent pas. " En enlevant à Rome son grade de cité *mondiale*, pour en faire une ville italienne, disait l'un d'eux, nous changeons sa condition morale et matérielle d'une manière tellement grave, qu'il n'est pas possible d'en mesurer les conséquences. La compensation de ce préjudice est sans proportion. Nous lui envoyons nos ministres, sénateurs et députés ; les 50,000 personnes, employés, solliciteurs, oisifs, filous, voleurs et courtisanes, qui sont le cortège naturel d'une capitale moderne ; vrais représentants de la misère et de la vermine de la terre. — Croire que cela remplacera les empereurs et les rois qui venaient visiter le tombeau des apôtres, les cardinaux, archevêques, évêques, patriarches et abbés du monde chrétien ; croire qu'une session du Parlement nous apportera autant d'or que le centenaire de St Pierre, ce serait se tromper." (Prélot, *Études*, *S. J.*, t. 65, p. 194.)

est cur solitudini et derelictioni mandatur aula Italica respectu Principum catholicorum. Quid est cur imperator Austriæ civilitatis gratia nondum inviserit Humbertum regem etsi hic tamen Viennam venerit? Quid est cur externæ regiæ familiæ et optimates, ut ita dicam, cum Italicis Principibus contrahere abhorrescant? Quod si Romam venit protestans imperator Guilhelmus II, hospitium accepit non intra muros excommunicatos Quirinalis palatii Pontificalis, sed in aula *Palazzina* post 1870 a Victore-Emmanuele ædificata.

Quod quidem iter non glorificavit regnum Italiæ, cum e contra conditionem ancipitem Urbis ut sedis regis spoliantis simul et regis spoliati absonam esse manifestaverit. Verum enim ad petendum palatium Vaticanum, sedem veri et solius Regis Romæ, opus fuit ut imperator rhedas expresse arcesseret ex Germania, et non e Quirinali sed ex Legationis suæ palatio, ceu ex terra germanica, ex solo proprio proficisceretur. Ita duplicem potestatem regiam in Urbe profitendo, regem Italiæ tamquam possessorem novissime intrusum, nequaquam ut verum Romæ dominatorem, agnoscere coactus fuit.

B) Languescunt frequentia atque fiducia bonorum civium. Quos ante pacifica et tranquilla pietas et devotio ad commorandum Romæ allexisset, hos nunc studium cuncta reformandi et vandalismus, affluentia meridionalium gentium corruptricium, necnon insalubritas elongatos tenent. Etenim inclemens aer Campaniæ Romanæ non quadrat cum commodis omnigenis quibus student præprimis incolæ magnarum civitatum modernarum qui nec pietate nec devotione in Urbe retinentur. Conatus modulandi Romam ad instar recentiorum civitatum, constituendi eam caput non totius Orbis, sed particularis cujusdam regni et auferendi ab ædificiis christianis insignia papalia, præ se ferunt potius destructionis quam ædificationis characterem. Vicinitas præterea regionum meridionalium, jugiter rebellione flagrantium, haud minus

funestum influxum in gubernium exerceat necesse est. Nil mirum si tantam pristini ordinis eversionem subsecuta sit summa paupertas atque miseria! Roma Urbs caput regni Subalpini desolata est et versatur in egestate summa superonusta, sicut reliquæ partes regionis, vectigalibus. Hoc idem confessi sunt atque atris coloribus depinxerunt ephemerides gubernio Massonico alioquin addictissimæ titulo ***Fanfulla***, ***Parlamento***, ***Messagero***, ***Don Chisciotte*** ([1]) inscriptæ.

C) Languescunt insuper et maxime languescunt Christiani et boni mores civium necnon juventutis educatio et religio ([2]). " Cujusvis generis profanitates et scandala, inquit Pius IX, quæ Dei et Ecclesiæ hostium opera quotidie Romæ innovantur, eo jam devenerunt, ut catholici Orbis metropolis dignitatem deturpent eamque irreligiosæ cuilibet civitati parem efficiant. Tanta est impietas ut magis magisque in ea progressum facere cernatur ac per triumphum duci; tantus est eorum omnium, quæ religiosiora ac sanctiora sunt, contemptus, ut nusquam alibi hujus imaginem reperire sit, nisi in abominatione illa desolationis, quam eventuram olim in urbe Sion Propheta prænunciavit. — His tantis exundantium malorum fluctibus jam fere obruimur ([3]). " Sed satis superque de iis diximus.

Eheu! Quomodo fieri potest quod viri politici ceteroquin ingeniosi non videant, non intelligant illud adagium novum: *Roma capitale, Roma fatale!* nec possibile esse duos Principes, temporalem unum, licet spoliatum, summum scilicet Pontificem, et temporalem alterum, sed spoliatorem, pro bono civitatis, simul in Urbe non posse regnare, neque pacifice cohabitare?

Quod quidem perspectius habuerunt viri peritissimi anteacti temporis.

1. *Quæ scribere audet:* " C'est la première fois depuis vingt siècles qu'on émigre de Rome par misère, par désespoir. " Cf. *Léon XIII*, par Mgr T' Serclaes, II, p. 188.
2. Prélot, *Étud. relig.*, tome 65, p. 194.
3. Alloc. 27 Oct. 1871.

" Exinde, cum primus christianus Imperator, relicta Roma, Byzantium imperii sedem transferendam duxit, usque ad haec tempora, nemo eorum, qui rerum Italicarum potiti sunt, Romae considere visus est.

" Exinde Roma nova iam luere videtur poenam admissi facinoris.

" Videant hi, — qui impiae sectae vinculis obstricti viam deviam sequuntur, ceterique omnes, — quam periculosum sit atque insanum sapientibus divinae Providentiae consiliis obsistere ([1]). "

Exinde quoque multæ Ephemerides consilium suggerunt Romam relinquendi ([2]).

Ruina imminet Romæ novæ et per eam toti Italiæ ac universæ societati christianæ.

7. Ex statu Pontificis intolerabili et Urbi, haud minus

1. Epist. ad card. Rampolla, 24 Sept. 1895. — " Ce qui est clair et ce qui révèle avec un éclat incomparable aux yeux de la postérité ce plan providentiel, *c'est qu'une main cachée chasse les Césars de le Ville éternelle et en écarte à leur tour les rois barbares, pour la donner au chef de l Église éternelle.* Qui ne voit pas cela ne doit pas lire l'histoire."

Le cardinal Mathieu résume en ces quelques lignes les faits qui marquent cet étonnant phénomène historique et social. " En se retirant de Rome, dit-il, Constantin a marqué d'avance les devoirs de tous les princes et les destins de la Ville éternelle.

" *Ce devoir c'est de se retirer devant le successeur de Pierre ;* ce destin, c'est d'appartenir à l'Eglise et de demeurer ainsi la reine du monde.

" Lorsque Théodose partagera l'empire du monde entre ses deux fils, c'est à Milan et nom à Rome qu'Honorius voudra régner.

" Lorsque les Hérules renverseront l'empire d'Occident, c'est à Ravenne et non à Rome qu'Odoacre essaiera d'établir la capitale de son royaume.

" Les Goths succéderont aux Hérules; mais le puissant Théodoric ne songera pas même à revendiquer la ville des Papes.

" Les Lombards chasseront les Goths à leur tour ; mais Alboin, leur chef, se fixera à Pavie, et ses successeurs périront pour avoir voulu inquiéter Rome. " Card. Mathieu, *Le pouvoir temporel des Papes justifié par l'histoire*, pag. 38-39. — Laforêt, *Revue catholique*, t. 31, pag. 138.

2. « On commence à entendre, dans le camp libéral, des voix qui parlent d'échec et de retour en arrière. « Rome finit par affaiblir notre foi dans l'*italianité* au lieu de la renfoncer. » (*Corriere di Napoli.*) — Le même journal conseille de commencer un voyage de retour du tombeau de Victor-Emmanuel, vers la superga, tombe héréditaire de la maison de Savoie. — Un autre journal, le *Tolchetto*, osa même proposer *de faire une brèche de Porta Pia à rebours* (de T'Serclaes, p. 192).

lamentabilis exsurgit conditio socialis totius Italicæ Patriæ. Ut Leo XIII aiebat olim Ephemeridum scriptoribus : " Dicite tandem publicas Italiae res neque prosperitate florere, neque diuturna tranquillitate posse consistere, nisi Romanae Sedis dignitati et summi Pontificis libertati, prout omnia lura postulant, fuerit consultum (1). "

Dum restitutio boni inique ablati nonnisi condonationem et benedictionem desuper afferret, retentio injusta summa expostulat sacrificia (2).

Insanæ sunt dilapidationes denariorum publicorum in infelici Italia, quæ more magnarum nationum cupit classem habere ingentem, possessionesque possidere transmarinas. Et qua de re ? Quare Italia in ruinosum proruit bellum cum Ethiopia rebus Anglicis favendi causa ? Quare cum Gallia pacem servare atque concordiam ipsi rem molestam æstimat ? Quare insuper manet submissa sub jugo Borussiæ ? Unice ne a quopiam gubernio deterreri possit ab Urbe ceu capite Italici regni, custodienda, ut itaque orto bello aliquo, vel conventione diplomatica facta, ipsa interesse possit nec cogatur status restituere sanctæ Ecclesiæ (3).

Sic misere subservit ambitioni ceterarum nationum et interea pauper fit et miserabilis terra Itala propter timorem et vanam gloriam.

1. Alloc. 22 Febr. 1889. — " La situation intérieure et extérieure de l'Italie est loin d'être brillante, et la permanence du conflit avec la Papauté en est jusqu'à un certain point la cause. " (Rostworowski.) Verissima quoque est hæc confessio ducis Baratieri, victi in Adouah : " Dans ces vingt ans l'Italie a perdu non seulement tout son or, mais aussi toute sa foi, toute son espérance en un avenir meilleur. La seule force réelle, demeurée intacte chez nous, c'est celle de l'Église. " (*Bien public*, 16 Nov. 1896.)

2. Epist. Leonis XIII ad Cardin. Rampolla, 15 Junii 1887.

3. " C'est la question papale qui a forcé l'Italie à entrer dans la triple alliance et à se ruiner en armements au profit de ses alliés.

" C'est cette même question qui a contraint l'Italie à se brouiller économiquement et politiquement avec la France, au grand détriment de ses intérêts financiers et commerciaux.

" M. Crispi l'a avoué : *ce qui a déterminé l'attitude de l'Italie et son entrée dans la triple alliance, c'est que la France a toujours l'intention de soulever la question romaine.* " (de T'Serclaes, p. 186.)

8. Quid tandem iniqua et sacrilega Romæ occupatio Italicæ nationi unitati profuit ?

" Certum omnino est per Urbis acquisitionem, divisam potius Italiam fuisse quam unitate donatam.

" Constat audaciores evasisse cuiusvis generis cupiditates, morum licentiam, iure publico favente, late ubique obtinuisse, et quae inde consequitur, immunitionem fidei ; numerum excrevisse eorum, qui leges divinas humanasque contemnunt ; factiones numero ac vi auctas esse furentesque phalangas coniuratas in evertendum civilem atque socialem ordinem.

" Inter tot malorum eluviem secta hæc (Massonum) nequaquam quiescit, sed bellum ferocius inferre pergit in divinum illud Institutum, in quo oporteret validissimi praesidii spem reponi, — Ecclesiam, videlicet, speciatim vero visibile eius caput [1]. "

Anormalis hæc positio prævisa fuerat a quibusdam perspicacibus viris politicis, qui eam reformidare et ut nocivam repellere nunquam cessaverunt [2].

Quod illi futurum esse viderunt et hoc idem nostri viri politici velint nolint visuri sint necesse est : nimirum, invasionem Dominii S. Sedis parturam esse potius discordiam quam unitatem nedum unionem [3].

Ideo adhuc pressius est inspicienda monstruosa hæc anomalia. Videamus quomodo, propter injustam possessionem Urbis, careat regnum Italicum omni elemento conservativo, quod fundamentum est ac basis ordinis politici firmi atque

1. Ep. ad Card. Rampolla, 24 Sept. 1895.

2. Ipse minister Cavour dixerat : « Toute annexion violente de Rome serait pour l'Italie comme une robe de Nessus. » (J. D. F. J. — *Lettre de Léon XIII au card. Ramp.*, p. 21.)

3. " Qui ne voit la situation anormale et même ridicule créée à l'Europe par le gouvernement italien, quand, *de facto*, il s'assujettit à lui et à son Parlement le souverain Pontife, sa cour et tous ses officiers ? Il faudra bien que le gouvernement italien redresse cette anomalie avec ou sans l'assistance de l'Europe. " (Card. Vaughan, *La question romaine est internationale et anglaise et non pas seulement italienne*, chap. *I*, note.)

solidi. Liberales enim Massones ac socialistæ nihil valent nisi evertere ac destruere, res constituendi et ædificandi plane impares existunt.

Per sæcula verificatum manet evangelicum adagium: omne regnum in se divisum non stabit; gubernium igitur, cui deest cooperatio melioris et sanioris partis civium corruet et in demagogiam abibit. Jamvero talis est conditio pseudoregni Itali, cujus graviores et meliores cives, nempe catholici, prohibente Christi Vicario, moderatoribus rei publicæ omnem concursum efficacem denegant, quippe quod pro comitiis generalibus non sunt electores neque electi. Patrata enim sacrilega Urbis invasione, mandavit Pius IX electoribus licitam esse participationem ad electiones provinciales et municipales; quoad generales vero *non expedire*: — "*ne elettori, ne eletti*".

Leo XIII stetit in decisis a Prædecessore suo et die 30 Junii 1886, Sacra Pœnitentiaria declaravit decisionem Summi Pontificis non esse merum consilium, sed formalem prohibitionem.

Sed duobus ferme annis post, in 1889, apparuit opusculum quoddam italice scriptum cui titulus: *Roma, Italia et realitas rerum: cogitationes cujusdam prælati itali.* In hisce paginis auctor eo progressus erat ut non tantum catholicis commendaret atque persuaderet interventum in electionibus generalibus sed et benevolam agnitionem profiteretur rerum Italarum præsentium.

Ast ubi primum apparuit, opusculum a S. Congregatione Indicis damnatum fuit.

Insuper rem tractare dignatus est ipsemet Summus Pontifex in litteris ad Episcopum Brixiensem, die 31 Martii 1889 datis: " Gratam scito Nobis epistolam tuam fuisse... cum illud in lucem prodiit opusculum, quod ipse commemoras, quodque sane si displicet tibi, ut scribis, iure displicet. Imo vero nemo prudens rerumque existimator æquus reperiatur, quin tecum magna voluntate consentiat.

" Hoc enim quis ferendum putet, res permagni momenti, cum potestate Pontificis Maximi, cum ipsa apostolici muneris libertate copulatas, audacter ad suum revocare arbitrium, publiceque diiudicari ab homine quidem privato, nulla ad id auctoritate praedito ?

" Atqui ab ipso Pontifice *iudicata* caussa est : is enim quid et sentire ceteros *oporteat* non semel neque obscure significavit.

" Illud vero magis arrogans magisque praeposterum, consilia rerum gerendarum dare, Sedique Apostolicae quid optimum factu sit, velle ostendere.

" Sane eiusmodi disputationum huc fere summa redit, expedire atque utile esse, sedate Nos pacateque acquiescere rebus novis ac temporibus. Scilicet quod est per vim iniuriamque actum, id cuperent Nostra fieri voluntate ratum ; perinde ac minime liqueret, hanc rerum conditionem, in quam diu compellimur, omnino esse et a dignitate Romani Pontificis alienam et verae eius libertati repugnantem, ita quidem ut non illam accipere, sed perpeti necessitate coacti debeamus. "

Scriptor autem opusculi erat Episcopus Cremonensis, Ill. D. Bonomelli, qui, accepto condemnationis suæ nuntio, modestiæ Fenelonii æmulus, die Paschatis, 21 Aprilis, cathedram Ecclesiæ suæ ascendit, et coram capitulo, clero, 280 seminaristis universoque populo, ad lacrymas usque commotus, sese auctorem opusculi damnati agnovit et publice actum submissionis suæ judicio Pontificis Maximi legit.

Quapropter et meruit 29 jam ejusdem mensis consolatorias a Sanctitate Sua accipere litteras in quibus inter alia legimus : " Oportet in negotio tam gravi (Romani Pontificatus) non iudicium ex eventis rerum mutabilibus facere, sed repetere altius rationes, serioque perpendere quid iustitia postulet, quid Sedi Apostolicae ad divinum suum munus desideretur. Quod enim saepe diximus, saepiusque est dicendum,

in civili Principatu non humana quaedam res, sed libertas vertitur officiorum apostolicorum et iurium, quae libertas alienae obnoxia esse potestati arbitrioque non debet.— Hoc iudicio dirigenda opinio est : hoc idem accurate animis inculcandum, praesertim cum apud multos liberiorum sententiarum plus aequo creverit favor."

Ergo judicatum est atque manet : catholici in Italia nec electores nec electi sunto.

Sicuti genuinos decet Ecclesiæ filios, cæcam præstamus obedientiam omnibus Christi Vicarii mandatis ; attamen hæc obedientia cæca et absoluta non impedit quin humiliter rationes intimas et causas alicujus mandati intelligere conemur, non falso spiritu critico seducti, sed ad illud confirmandum, atque, si opus est, contra eos qui foris sunt, defendendum.

Quamobrem ergo Pius IX et Leo XIII mandaverunt "*non expedire*" ut catholici sive electores sive ut electi prodeant in comitiis generalibus pseudoregni Italiæ ? Patet ratio : hæc participatio inutilis foret atque nociva.

Inutilis quia in Italia catalogi electorum vitiati sunt et falsi, in favorem gubernii confecti, ita ut catholici non possent esse nisi in minori numero ; imo hæc minoritas inermis esset et sine ulla actione efficaci in reformandis quæstionibus agitatis. — Infinito plus valet omnimoda abstentio quum enim, (quod et hostes Ecclesiæ apprime intelligunt;) debilitat et contino dissociat factionem gubernii [1].

Hæc ubi divisa a semetipsa sicut nunc existit, jam nimis potens est in impugnanda Ecclesia ; quid, si compacte unita impetum faceret in eam ?

Et alio pacto nociva foret præsentia catholicorum in cœtu legislativo Italiæ. Etenim, quænam esset eorum conditio

1. Ita *Popolo Romano :* " L'intervention des cléricaux aux urnes loin d'être un danger pour nos institutions en serait la consolidation par le salutaire réveil qu'il provoquerait infailliblement chez les libéraux. L'absence d'un parti décidément conservateur a créé dans nos régions parlementaires cette confusion que tous nous déplorons et a produit des divisions factices qui ne répondent pas à la réalité des choses. " (de T'Serclaes, II, p.199.)

inter anarchistas ex una parte et monarchistas constitutionales ex altera ? Quemnam deliberandi modum tenerentur cum hisce assumere ?

Denique positio factionis catholicæ difficilior esset in regno Italiæ quam in ulla alia natione : nam Summus Pontifex deberet esse caput ejus spirituale et insuper civile ; deberent præterea catholici legiferi nullum non movere lapidem ut instaurarent civilem Pontificis Principatum ; deberent ita haberi a multis civibus tamquam destructores simul unitatis Italiæ et liberatores Patriæ sicque in odium venire omnibus ([1]).

Sin autem nihil agerent in favorem Sancti Patris, quomodo ut genuini catholici tractarentur a fidelibus aliarum nationum? Et si, per impossibile, quæstioni Romanæ finis imponeretur atque solutio in cœtu mere Italico, characterem suum, cui tota ejus vis et robur inest, amitteret *internationalitatis*, et novo surgente regimine iterum atque iterum renasceretur causa. Tandem sorti suæ relinquatur perversa illa politica societas et ut fluctus tumescentis maris crescet in Italia egestas publica rerum, pauperies et atra miseria. Quibusnam vitio vertetur ? — Profecto non nobis, jure merito poterunt respondere catholici ; quum ne minina quidem pars gubernii et boni publici nostris humeris fuerit imposita.

Caute proinde, sapienter ac salubriter catholicis civibus imposuerunt Pontifices illud *veto* relate ad electiones legislativas ; et quoniam per se evidens est, quod ita privatur Gubernium fulcro suo solidissimo, quomodo diu conservaretur monarchia ista sine elemento conservativo, nullus est qui videat.

9. Perspectis igitur miseriis, quæ ex abnormi conditione Pontificis Summi et insoluta quæstione Romana continuo societatibus impendere videntur, non opus est ut longius

1. De la Vega de Armijo. *Les relations entre le S. Siège et le royaume d'Italie*, p. 30.

insistamus huic inconsideratæ et absurdæ objectioni qua Massones, liberales et quicumque Ecclesiae inimici aures obtundere conantur : " ex dispositione mirabili Providentiæ factum est ut tempore suo et justo evolutionum civilis societatis cresceret auctoritas moralis et influxus politicus S. Sedis ideoque privaretur Principatu temporali. "

Ecquid, quod si logicæ legibus vel semel studuissent nonne discernerent ibi sophisma, quod sonat : post hoc, ergo propter hoc ? Si, postquam plena fruitione immunitatis suæ spoliatus fuerit, Vicarius Christi remanserit tamen solum ordinis firmum fondamentum ; an hoc bonum imputandum foret repetitis conatibus eorum maleficorum virorum qui illud evertere et pedibus calcare sategerint ? Ecquid, factum iniquæ spoliationis et rapinæ indicium præ se ferret divinæ illius Providentiæ quæ, ut ait Augustinus, ordinem conservare jubet atque perturbare vetat ? Ecquid nonne multo majora et efficaciora operati essent Pius IX, qui coactus est supersedere concilio Vaticano, et Leo XIII, cui nunquam fas fuit publice se exhibere populo, si pleno libertatis exercitio gavisi fuissent ? Quid et nunc Nostris temporibus miseris nonne tentarent, imo tentaverunt ? An forsan eo tyrannidis protrahendus esset status Pontificis quo, sicuti tribus prioribus Martyrum sæculis, nequidem ipsi libertas relinqueretur qua viveret ? Post illa discriminis tempora ipsissima Providentia libertati Pontificis providit, addendo Summæ potestati spirituali, summum quoque ac regium Principatum civilem. Hic profecto, respectu illius, dici posset minoris momenti, quo modo corporis alimenta, vestimenta et habitatio parva nonnumquam videntur et minima respectu salutis æternæ spiritualis animæ. Verumenim sicut illa terrena magna sunt animæ et saluti adjumenta, ita et Principatus temporalis vim et robur summopere Pontifici confert ad munera obeunda spiritualia proindeque, plenæ et efficaci impletioni horum evadit necessarius ; necessarius pacificæ gestioni Ecclesiæ,

necessarius bono ordini et tranquillitati Europæ, necessarius saluti sociali Italiæ [1].

APPENDIX.

Quæ præcedunt confirmantur per confessionem hanc Ephemeridis Regno Italiæ addictæ :

" Dans la série des aveux que la force des choses et les tristes leçons de l'expérience arrachent aux ennemis de l'Église, j'en trouve un d'une opportunité frappante; et je vous le signale comme la condamnation la moins suspecte du régime établi à Rome depuis la Brèche. C'est l'archi-libérale *Gazetta di Torino* qui parle, et il n'y a qu'à l'écouter d'un bout à l'autre, depuis le titre : *Assez de Rome capitale d'Italie!* qu'elle donne elle-même à son article. En voici la traduction.

" Certes, on s'explique qu'on ait songé à faire de Rome la capitale de l'Italie; de cette Rome qui fut *caput mundi* et dont les souvenirs, les restes et les ruines nous rappellent la grandeur antique.

" Mais la Rome des Papes, la Rome actuelle, qu'a-t-elle de commun avec l'ancienne? J'admets les réminiscences; mais je proteste contre l'aptitude de cette ville à être la capitale d'un grand État dont l'existence date d'hier.

" Rome est un monument, Rome est un sanctuaire. Ni sous l'un, ni sous l'autre aspect, elle ne pouvait devenir le centre, le foyer et la directrice de la vie civile, politique, sociale d'une nation nouvellement éclose et qui a besoin d'être dirigée par des éléments nouveaux, dans un milieu également nouveau, comme elle.

" A la rigueur, il eût fallu créer la capitale de l'Italie moderne, tout comme l'a été cette Italie. Oui, il fallait des éléments nouveaux, ductiles, pouvant s'adapter aux exigences nombreuses et chaque jour renaissantes d'un peuple qui surgit du néant et qui aspire à de grandes destinées.

" Comment veut-on qu'à ce but convienne le séjour au milieu des ruines, le souvenir de choses grandes, mais n'ayant rien de commun avec ce qu'il nous faut pour concentrer notre fusion et développer notre action?

" Dans le besoin que nous avions de calme, de concorde, de liberté, ainsi que de variété et d'élan, nous sommes allés nous planter précisément là où les concessions les plus indispensables nous sont refusées ou tout au moins rudement contestées.

" A Rome, nous sommes hébergés, mais nous n'y avons pas de demeure stable.

" A commencer par le roi, qui habite un ancien palais des papes — que

1. Prélot, *Études*, t. 65, p. 444.

ceux-ci réclament avec raison — jusqu'à la salle du Parlement, jusqu'à ce palais de Montecitorio où siégeaient les tribunaux pontificaux, tout est pour nous hors de place, tout manque de convenance et d'adaptation proportionnée. Comment donc soutenir après cela que le gouvernement italien peut se dire chez lui, à Rome?

" Je ne parle pas de la population. Les vrais " Romains de Rome " considèrent les hommes parlementaires et les hommes de gouvernement comme des étrangers qui rapportent peu, qui n'amusent guère, dont la présence est vexatoire et ruineuse de plusieurs façons.

" S'ils s'en allaient définitivement, un grand soupir de soulagement s'élèverait d'une infinité de poitrines, je vous le garantis.

" Ce sont là des vérités notoires. Pourquoi donc ne pas en tenir compte?

" La question du Pape est en quelque sorte, pour moi, une question accessoire; et pourtant comment ne pas croire que la solution en serait profitable à l'Italie?

" Pour laisser Rome au Pape, il n'y aurait pas besoin de changer la situation générale. Rome serait gouvernée par le Pape, mais les Italiens honnêtes la trouveraient ouverte, comme l'Italie le serait d'un bout à l'autre pour les honnêtes Romains.

" En somme, Rome reprendrait son rôle d'ancien et splendide monument et de sanctuaire vénéré.

" La souveraineté du Pape deviendrait tellement bénigne qu'il n'y aurait plus à craindre de désordres d'aucune sorte, et Rome serait plus peuplée qu'aujourd'hui, car elle offrirait de nouveau, beaucoup plus même que par le passé, un séjour de parfaite tranquillité.

" Les rapports entre l'Italie et Rome, entre la monarchie et la Papauté ne pourraient être qu'excellents.

" La monarchie bénéficierait autant de la Papauté que la Papauté de la monarchie; et leur accord, parfois même leur action commune exerceraient une grande influence dans l'intérêt de l'une et de l'autre, comme dans l'intérêt de la paix du monde.

" Tant que les choses resteront en l'état où elles sont, le conflit entre l'Italie et la Papauté durera à l'infini et, dans quelque circonstance imprévue, il pourra en résulter de graves incidents, non seulement à l'intérieur, mais peut-être aussi avec quelque puissance étrangère. La lutte continuelle entre l'État et l'Église entraîne le manque de paix et de tranquillité. Comment continuer indéfiniment sur un pareil pied? Je ne crois pas que cela soit possible; car on élimine de la sorte la première et indispensable garantie pour les États: la tranquillité. "

Il a fallu vingt-six ans, il est vrai, pour que la force des choses arrachât de tels aveux; mais ils prouvent, du moins, qu'on en est aujourd'hui au

même point qu'il y a vingt-six ans et que le funeste conflit avec la Papauté n'a pas fait, ne peut pas faire un seul pas vers la solution, tant qu'on n'aura pas le courage des réparations nécessaires.

(*Univers* et *Bien Public*, Sept. 1896.)

L'Italie commence à sentir le poids de malédiction de sa capitale. Ce poids l'oppresse jusqu'à lui arracher ce cri : *Assez de Rome capitale !* — Mais, s'il en est ainsi, la légende garibaldienne s'évanouit, et le fameux cri de guerre du chef des chemises rouges " *Rome ou la mort !* " devient cruellement ironique pour l'Italie régénérée, car *elle se meurt* d'avoir pris Rome au Pape. (*Bien public*, 9 Nov. 1896.)

Cui confessioni et alia licet addere testimonia.

— On sait que Massimo d'Azeglio, le mauvais conseiller de Victor-Emmanuel, fut néanmoins toujours opposé à l'occupation de Rome : " Tout ce qu'il y a en Italie d'esprits éclairés sont convaincus qu'il est impossible de faire de Rome la capitale de l'Italie. "

— Le député Joseph Ferrari, franc-maçon et ennemi de la papauté, s'écriait : " Il vaudrait mille fois mieux retourner à Turin ; nous ne sommes ici que des hôtes de passage, un gouvernement provisoire, pas autre chose. "

— Un diplomate italien, grande autorité du parti libéral, dit : " Rome ne plaît à aucun de nous. C'est la plus ingrate, la plus désagréable, la moins pratique des capitales possible. Nous ne faisons aucun pas dans cette ville maussade, sans rencontrer quelque chose qui nous heurte. Le roi l'aime moins que personne. L'idée de ce vieillard (le Pape) toujours en face de lui est *insupportable.* On se moque de l'interdit ecclésiastique lancé sur le Palais ; mais personne ne voudrait en habiter les chambres. Nous avions une ville qui pouvait être la plus belle du monde, Florence. Et nous restons à Rome, où chaque instant de notre séjour est un défi à la conscience du monde et à ces lois fondamentales qui doivent gouverner toutes choses. — Tous savent qu'un accord avec le Pape n'est possible que lorsque Rome cessera d'être le siège du gouvernement italien et que le Pape sera libre dans une Rome libre. (Card. Vaughan, *The roman question*, Trad. franç., p.81.— B. O. S. *La vérité sur la quest. rom.*, p. 113.)

Pars tertia.

De mediis restituendi firmiter ordinem socialem et debellandi efficaciter socialismum.

CAPUT UNDECIMUM.

Ad ordinem et securam pacem recuperandam Societati, via principalior est restitutio Principatus S. Sedis et præsertim Urbis Romæ.

1. Vana est omnis alia solutio. — 2. Stat jus continuo clamans: tollatur causa, id est injuria, ut tollatur effectus, id est inquietudo populorum. — 3. Stat summa incompatibilitas ad quodvis aliud medium. — 4. Cesset quantocius novum istud *Ave Rabbi, Rex Judæorum!* — 5. Hactenus unicum medium tuendi independentiam summi Primatus fuit dignitas regalis; adhuc est necessaria, nisi ordinem Providentiæ mutare velimus. — 6. Satisfit objectionibus ex indole nostræ ætatis, quæ vellet Providentiæ substituere suum inventum humanum. — 7. Necnon aliis difficultatibus ordinis superioris respondetur. — 8. Principatus ille temporalis sit Romæ, et non alibi. — 9. Nulla adjuncta nec præterita, nec præsentia, nec futura sinunt expectare *modum vivendi*, Vaticanum inter et Quirinale. — 10. Conclusio unica: Papa sit Rex Romæ!

1. Ut Papa possit quam efficacissime et tutissime Primatum suum exercere spiritualem in omnes; ut remedium afferatur huic conditioni anxietatis continuæ, cui subjacent nostræ societates, et simul imponatur finis præsenti conflictui Pontificem inter et regnum Italiæ, non superest medium aliud nisi restitutio regni temporalis, et quidem Urbis Romæ cum territorio sufficienti, ad arbitrium ipsius Beatissimi Patris.

Quemadmodum ipse testatur: " Vanum est ad remedia legislativa recurrere; nullum ex iuridicis statutis poterit unquam veram conferre independentiam, sine iurisdictione territoriali. — Ea vero conditio, quam Nobis omnino tutam praestitisse affirmant, nequaquam ipsa est quae Nobis competit atque opus est. Ea non est libertas vera, sed apparens tantum atque instabilis, quia alieno arbitrio obnoxia. Hanc libertatis speciem qui dedit, idem auferre potest: heri sancita, cras deletur.

" Reapse enim non hisce iisdem diebus, legis quam *Guarentigie* vocant, hinc impudenter flagitata, inde vero minaciter intentata fuit abrogatio (1) ? "

2. Insuper in ordine facinoribus humanis superiori, in ordine morali, inconcusso, æternoque, stat semper jus inalienabile S. Sedis, continuo clamans : " Tollatur causa, seu injuria supremæ auctoritati hic in terris inflicta, ut tollatur effectus, id est inquietudo populorum et timor ac tremor ingentis futuræ commotionis socialis. "

Quæstio Romana majoris est momenti et altioris spheræ quam ulla alia quæstio politica, imo quam famosa et tam agitata quæstio orientalis.

Injusta occupatio Dominii temporalis S. Sedis causa est præcipua, si non unica, exaggeratarum impensarum novi regni Italiæ (2). Inde angustiæ quæ serpunt et omnes affectant status Europæ.

Ex alia parte stat immobilis Christi Vicarius, innixus spe in Omnipotentem cui serviunt tempora, eventus, imo potentes hujus sæculi, quamvis inviti ; non cessat jus suum, vel potius jus Ecclesiæ et Christi Domini, alta voce vindicare.

Sicuti veritas Domini manet in æternum, sic et jus Christi ac Ecclesiæ. Integrum manet et semper virens quemadmodum erat viginti et sex abhinc annis, quando ingresso hoste in Urbem, Pius IX, divini Magistri sui instar, exclamavit : *Consummatum est!* Nec ulla concessio prodiit ex ore successoris Petri ; e contra : sæculare et notissimum istud *non*

1. Epist. ad Card. Rampolla, 24 Sept. 1895.

2. " Même en laissant de côté la mauvaise administration, si nous venons à considérer que la dispendieuse *politique étrangère* du nouveau royaume se règle principalement d'après la question romaine, nous arriverons à cette conclusion inattendue, mais très vraie : *Une des raisons principales de la ruine financière de l'Italie, c'est le maintien obstiné de la spoliation du Pontificat.* Pour cela fut contractée l'alliance avec l'Allemagne et négociée la visite de l'empereur ; ce qui, ayant provoqué les représailles financières de la France, coûtera cette année-ci (1890) à l'Italie, 500 millions de francs. Cette énorme perte devrait être enregistrée, avec une infinité d'autres, sous le titre : " Dépenses et pertes financières, imposées aux Italiens, pour maintenir l'inutile et nuisible spoliation du Pape. " (*La Vérité sur la question romaine*, pag. 111.)

possumus sese prodiit multis in Encyclicis et Allocutionibus pontificiis ; confirmatum fuit plaudentibus omnibus totius Orbis Episcopis, una cum veris suis ovibus, confirmatum iteratis protestationibus cœtuum catholicorum, confirmatum argumentis sanæ rationis.

Vanum est argumentum *in contrarium* velle repetere a nescio qua præscriptione: jus providentiale Ecclesiæ ad Dominium suum temporale necessarium, non præscribitur : permanet illud jus atque continuo divinam appellat justitiam.

Vanum quoque esset argumentum desumere a paritate conditionis Papæ cum conditione illa quam subierunt in Gallia et in Italia tot familiæ principalium regnantium, quorum jura ad solium devoluta sunt ad alios vel penitus exinanita.

Non datur paritas conditionis ulla. Etenim :

— Galli sponte sua formam mutaverunt gubernii sui ; populus autem Romanus ab extrinseco fuit agitatus, et advenæ famosum patrati sunt plebiscitum.

— Galliæ natio saltem autonomiam servavit suam ; Italia se tradidit extraneo,nam domus Sabaudiæ nequaquam Italica est, sed Helvetica.

— Insuper jus Papæ in Romam non est simplex jus jurisdictionis, sed verum jus heri seu proprietarii in possessionem suam legitimam ac necessariam.

— Tandem Roma non est res Italica,sed patrimonium S. Petri, res sacra, ad omnes pertinens nationes catholicas, hereditas est omnium sæculorum christianorum.

Et violatio hujus juris, quod est unicum in genere suo, illud est quod tam vehementer agitat omnes gentes catholicas atque causam præbet socialismo.

3. Quantaque exstat incompatibilitas ut unquam, exempli gratia, ulla intercedere posset conciliatio Papam inter et Massones ! Etenim qui amicus Massonum, fit servus eorum ; Summus autem Pontifex voluntarie sub jugo hujus sectæ

diabolicæ constitutus, non amplius esset Christi Vicarius (1). An posset ergo obtemperare desideriis sectarum, quarum præco Mazzini sic ausus est Pontificem Sanctum alloqui : " Macto animo esto, o Pontifex !... ædifica fanum veritati, justitiæ, fidei sacratum, proclamando audacter novum ordinem et sæcula nova. Ne timeas a plebe excessum ullum. Confidenter te nobis adhærere sinas de cetero, et jam adsumus qui tibi adstruamus imperium, cui aliud simile est nullum (2) ! " Nonne idem foret ac dicere : Resigna te, Vicari Christi, resigna te ; regimini societatis veræ Christianæ valedicas, ut supremus neo-paganismi fias Pontifex ! — Quid magis absurdum magisque injuriosum vel cogitari posset ?

An deceret Pontificem ad nutum esse regis terreni, qui suas ipsi obtruderet decisiones ad consentiendum tantum eis ?

Stultum esset a Romanis exigere Pontificibus, ut ipsimet sese a regio Principatu exspoliari sponte et per fas et nefas consentiant. Haud major nec sublimior libertas competere posset Pontifici pagano, cujus auctoritas tota penes imperatorem erat ; sed hac digniorem multo et pretiosiorem habent auctoritatem immediate et positivo modo ab ipso Christo Deo acceptam, ad quam ideo contulit Providentia hanc necessariam et condignam in Ecclesia gubernandi libertatem.

" Equidem Nos, inquit Leo XIII, Deo opitulante, officio Nostro non deficiemus ! Praeter veram absolutamque Nostri restitutionem in pristinum Principatum, alium conventionibus ineundis, pacique firmandi aditum patere videmus nullum (3). "

Ast forsan alia exstant conciliationis figmenta. Equidem politici varia excogitavere consilia, variosque modos, quibus conditionem supremi Pontificis, quam impræsentiarum abnormem ac inconvenientem esse agnoscunt, meliorem reddent. — " Sed vani sunt atque inutiles isti conatus. Itemque

1. S. de T'Serclaes, *Léon XIII*, t. II, p. 172.
2. Darras, *Hist. de l'Égl.*, t. 41, pag. 128.
3. Epist. ad Card. Ramp., 15 Jun. 1887.

vana atque inutilia erunt omnia id genus molimina, quae sub praeclara honoris specie Pontificem reapse in obnoxia prorsus conditione relinquunt. Defectus enim est in ipsa natura rerum, prout in praesenti constitutae sunt. Nullum externum temperamentum, nullaque alia ratio illum removere valebunt (1). "

Et hic iterum iniquitas mentita est sibi : quippe quod, dum aufugium invenire conata est in præstigio morali, quo gaudet Pontifex, et ipsa non potuit non concludere ad necessitatem Dominii temporalis.

" In magno et illustri Senatu, — aiebat in allocutione sua diei 18 Martii 1861 magnus Pius IX, — nuperrimis hisce diebus declaratum est " Romanum Pontificem esse repræsentatorem præcipuæ vis moralis in humana societate. " Ex quo illud sequitur, merito concludit idem Summus Pontifex, eum nullo modo posse vandalicæ spoliationi consentire, quin approbet supremam injuriam factam, nempe fundamentum violari moralitatis inter homines, illamque perfringi moralem disciplinam, cujus jure veluti prima forma et imago dignoscitur.

" Si injusta a Nobis petantur, præstare non possumus ; si vero postuletur venia, illam ultro libenterque impertiemur (2). "

4. Judiciose dixit deputatus Bartolucci : " Prima et principalis cautio debet ipsissimam Summi Pontificis spectare personam, quæ per leges *Guarantigie* sacra declaratur atque inviolabilis et cui tribuenda sunt insignia, honores, jura et præeminentia genuino regi et Principi concessa.

" Sed dum Princeps ille de facto spoliatus est et Principatu civili et præstigio reali omni, hæc lex Cautionum mihi continuo visa est ironia amarissima. Nobis in mentem revocat ludibria ista quibus Judæi affecerunt Christum Dominum,

1. Epist. ad Card. Ramp., 15 Jun. 1887.
2. Ibid., 16 Mart. 1861.

pendentem in cruce, cunctis orbatum atque spoliatum, salutando et acclamando eum : " Ave Rabbi, Rex Judæorum (1) ! "

Et re quidem vera, eodem actu, quo spoliatus fuit Dominio suo regio, consequens erat, ut Papa perderet etiam præstigium reale omne, quod humanitus emanare solet ex solo Principatu et dominatione civili. Quod si aliter accidit, hoc ipso provisum fuit a Numine Summo, quod irridens consiliis pessimis hominum, suum circumfulsit Pontificem radiis auctoritatis plus quam humanæ, ut ita et Romam ejusque Pontificem relinqueret populis, tanquam civitatem in monte sitam, ad quam omnes confugere et convolare possent et simul viam sterneret ad pristinum Dominium restituendum ipsi pro bono et pace societatum.

5. Hic locus est, ut de ipsissima regia potestate, Pontifici divinitus concessa, aliquid innuamus, quantumque conveniens sit ordini Providentiali in conservationem societatum civilium indicemus.

In celeberrima ad Cardinalem Rampolla Epistola, quæ quasi codex est jurium, vindicationum et expostulationum S. Sedis, apertis verbis hæc docet Christi Vicarius : " HACTENUS unicum quo ad tuendam, ut decet, Romanorum Pontificum libertatem divina Providentia usa est, medium, fuit profecto Principatus eorum regius. *Id universa Ecclesiæ historia testatur.*

Hoc est factum certum, ab omnibus seriis historicis admissum, *unionem potestatis temporalis cum spirituali in Romano Pontifice, notam exhibere quamdam suprahumanam, et quæ concursum specialem denotat divinæ Providentiæ.*

Tam evidens est factum illud historicum quod vel hæreticum scriptorem Guizot attonitum effecit, cujus præstat ipsissima verba in lingua eorum originali referre : " L'union du pouvoir spirituel et du pouvoir temporel dans la papauté n'a

1. Van Duerm, *Vicissitudes, etc.*, p. 430.

pas été un fait systématiquement poursuivi et atteint au nom d'un principe rationnel ou d'une prétention ambitieuse ; mais c'est la *nécessité*, une nécessité intime et continue qui a vraiment produit et maintenu ce fait à travers toutes sortes d'obstacles.

" En remplissant et pour remplir sa mission, en exerçant et pour exercer son pouvoir spirituel, la papauté a eu besoin d'indépendance et d'une certaine mesure d'autorité matérielle ; elle les a acquises d'abord dans Rome, puis autour de Rome, puis dans d'autres parties de l'Italie, successivement et à des titres divers ; d'abord comme magistrature municipale, puis comme propriétaire territorial et en vertu du pouvoir politique inhérent alors à la propriété, puis à titre de souveraineté pleine et directe.

" Les possessions et le gouvernement sont venus à la papauté comme un appendice naturel et un appui nécessaire de sa grande situation religieuse,et à mesure que cette situation se développait.

" C'est en devenant chef de l'Église et pour l'être réellement que le Pape est devenu souverain d'un État.

" Ainsi amenée par le cours naturel des choses et la force des situations, l'union des deux pouvoirs dans la papauté a eu un résultat naturel aussi, quoique imprévu ; elle a établi et fait prévaloir leur distinction partout ailleurs (1). "

Si ministro hæretico aliisque historicis quasi *naturalis* videtur unio Principatus cum Pontificatu supremo, hoc exinde provenit quod divina Sapientia *suaviter* disponit omnia ; sed modus quo facta est et præsertim quo per tot sæcula perseveravit hæc unio nequit explicari nisi per concursum Providentiæ non ordinariæ sed specialis ; est enim præter cursum ordinarium rerum.

Et primo quidem, quinam sunt hi qui partim pro se ipsis

1. *L'Égl. et la soc. chrét.*, chap. XIX, p. 143. Cf. *La vérité sur la quest. rom.*, p. 76. — Vide etiam supra cap. IV pag. 69 ubi fusius de hoc divinæ Providentiæ Consilio.

abdicant dominium regale ut illud concedant Pontifici spirituali? Notum est quomodo Principes cupiunt jurisdictionem retinere temporalem in dominium suum; si proprietatem terræ cedunt subditis nequaquam valedicunt dominationi suæ in territorium ejusque incolas. Nonne ergo mirum et prorsus inexplicabile est videre Imperatores Orientales, tam invidos alienæ potestatis, tam zelotypos pro conservando suo dominio, nihilominus ope pragmaticæ sanctionis confirmantes Dominium temporale Episcopi Romani?

Et Gothorum reges, successores Theodorici, qui integram ambibant Italicam peninsulam, nec minimam ejusdem partem alterius patiebantur esse potestatis, ipsi, Ariani cum essent plerique, quomodo tam imprudenter et contra cursum rerum ordinarium, contra indolem suam naturalem, reliquerunt Pontificibus ducatum Romanum?

Et quomodo per decem sæcula tot Imperatores ac Reges qui ardentissima flagrabant cupidine possidendi Urbem et summum Pontificem ceu hospitem suum sibi subditum, numquam, vel saltem non diu, votorum suorum facti sunt compotes?

Forsan id adscribendum erit ambitioni ipsorum Pontificum atque eorum dominandi studio? Ast historia contrarium ostendit, et humiles Pontifices ministros exhibet Illius, qui mitis est atque humilis corde, factosque servos servorum Dei.

Merito ergo Pallottini: " Anne Romanus Pontifex ex cæde fraterna regium etiam diadema cinxit? Quis originem ejus enarrabit? Quod si senatui proclamare licuit quod Constantinus *instinctu divinitatis* Maxentium profligaret, eo magis nobis proclamare licebit quod vir ille *instinctù divino* Romam reliquisset, et alibi sedem imperii curasset. Quis ergo Romano Pontifici Romuleam donavit coronam? Quandonam is eam, ex qua causa et occasione adeptus est? Historia silet: nemo quippe imperatorem vel tempus præcise

indigitare potest. — Non enim donatione, non armis, non una populi acclamatione vel facto, sed sensim sine sensu; quemadmodum perfecta naturæ opera explicantur, Romanus Pontifex imperium Urbis obtinuit.

" Et addere fas est : Quodcumque enim *humanæ sapientiæ ac politicæ* consilium aliter omnino suadebat, hoc factum est ([1]). "

Argumentum in favorem Providentialis ortus Dominii temporalis S. Sedis desumitur ex intentione supernaturali manifestata ab omnibus fundatoribus seu donatoribus hujus Dominii.Omnes deinceps characterem hunc supernaturalem singularis Providentiæ in constitutionem hujus regni admirati sunt ac proclamaverunt, quotquot illud intenti sunt et dona donis addiderunt.

Exempli causa :

Zaccharias " per gratiam Spiritus Sancti " obtinuit a Luitprando quatuor civitates, quas ipse ante biennium abstulerat.

— Stephanus II " per Dei nutum " confugit ad Pipinum ; eum imploravit ut Aristolfum, secundum successorem Luitprandi, ad restitutionem cogeret.

Nec aliter postea nisi " instinctu divinitatis " et " per Dei nutum ", id est expressa religionis causa ac ratione, in amplissimam perfectionem jam deductum, hunc politicarum rerum ordinem confirmaverunt Pipinus, ejusque successores.

Siquidem et Otto Imperator expresse declaravit in ipso confirmationis actu, quod " divina ordinante Providentia " ad id moveretur. Inquit enim : " In nomine Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. " — Ego Otto, Dei gratia Imperator augustus, una cum Ottone glorioso Rege, Filio nostro, " divina ordinante Providentia ", spondemus atque promittimus, per hoc pactum confirmationis nostræ, " tibi, Beato Petro, Principi apostolorum et clavigero regni

1. Pallottini, *Sac. et Imp.*, I, ch. 1, a. 3, n° 40-48.

cœlorum, et per Te Vicario tuo, domno Joanni, summo Pontifici et universali XII Papæ, civitatem Romanam cum ducatu suo et suburbiis, etc. ([1]). "

Jamvero, ut idem Leo XIII dicit in Encyclica sua *De conditione opificum* : " De societatibus dilabentibus illud rectissime praecipitur, revocari ad origines suas cum restitui volunt, oportere. Haec enim omnium consociationum perfectio est, de eo laborare idque assequi, cuius gratia institutae sunt. Quamobrem declinare ab instituto, corruptio est ; ad institutum redire, sanatio ([2]). "

Quis ergo, concludemus, se immutaturum esse existimat Ordinem Providentialem in divinis consiliis conceptum ut conditionem divinam Pontificis Romani ac Ecclesiæ e medio tollat ?

Quis est qui se consiliarium Dei dicat, ut mutet ea, quæ ipse Omnipotens divinitus determinavit, nec simul funditus societatem evertat ? Quis est ex asseclis sectarum, qui saxum medium ædificii socialis subtrahere glorietur et impedire, quominus totum corruat ædificium, restentque solæ ruinæ futuris spectatoribus in signum audaciæ et insaniæ, sicut hodiedum exstant reliquiæ Babylonis, Ninivæ et Ægypti gentium ? Quis qui cardines avellat et prohibere possit quominus novi barbari ædificum sociale invadant cunctaque destruant ?

Quod si vero audax talis exstat nullus, quod si omnes societatem incolumem servare satagunt, quid est cur non necesse fateremur ut restauraretur regalis potestas illius, qui fuit Pater regum et Rector supremus societatum, a quo in ordine præsentis Providentiæ pendet tranquilla salus, conservatio, et rectus progressus societatum, atque constanter pendebit ? Sic juvat iterum referre verba Pontificis : " Ha-

1. Pallottini, l. c., 65-69. Merito quoque Gosselin concludit Principatum civilem Pontificum esse « un effet marqué de la Providence de Dieu sur l'Église ». (*Pouvoir des Papes*, I, chap. II, a. 2, § 3, n° 97.)
2. N° 125-127.

ctenus unicum quo ad tuendam, ut decet, Romanorum Pontificum libertatem, divina Providentia usa est, medium fuit Principatus eorum regius. "

Quasnam ergo afferet homo objectiones vel argumentationes, ut in perfectam tutelam libertatis S. Sedis loco Providentiæ suas humanas substituat inventiones ?

6. Objicitur medium hoc, temporalis Principatus et immunitatis ab alio gubernio, non amplius esse necessarium nostra ætate, præsertim propter mutatas sociales conditiones in hac civilitatis luce et in liberis hominum guberniis constitutionalibus.

Respondemus : Si quando pro bono regimine totius Orbis Ecclesiæ Pontificibus Romanis fuit civilis Principatus necessarius, hic profecto talis est in præsenti, propter systema dominationis socialis nunc vigentis. Hodie enim hæc dominatio status super individua talis est, ut valeat horum libertatem undequaque coercere et extinguere. Omnia sunt sub dominatione status, omnemque peculiarium personarum potest activitatem impedire, quod anteactis temporibus ne cogitari quidem poterat. Jure proinde necessarium creditur, quod saltem supremus christianæ Religionis Moderator occupet locum, in quo tutus sit ab hoc immenso status civilis pondere gravante Ecclesiam, et queat hanc spiritualem societatem regere, cum ipse sit quoque civilis hujus loci rector ([1]).

— Objicitur : esto ut exercitium immunitatis Romani Pontificis sit de jure seu præcepto divino, naturali ; est tamen tantum de jure naturali secundario, quia non est necessarium Ecclesiæ quoad suam essentiam, sed tantum *secundum quid :* nimirum ut bene et perfecte sit.

Si ergo spectetur id quod requiritur ad essentiam immunitatis in actu secundo, patet eam posse existere sine Principatu, si gubernium, in cujus territorio sit Romanus Pontifex,

1. De Angelis, *l. c.*

ejus independentiam admittat ; — ideoque nihil sibi vindicet in ipsum, certumque evadat, sive ex perspecta pietate gubernii seu reipublicæ, sive ex pactis initis cum nationibus christianis, sive alio modo, quod respublica nullum unquam jus sibi sit vindicatura in Petri successorem. Sic enim Romanus Pontifex immunitate frueretur; non esset subditus nec tamen foret Rex.

Respondetur : Speciosa est hæc objectio, speculative loquendo; practice vero nequit talis immunitas existere, considerata indole cujusvis gubernii vel Principis aut populi.

Etenim (1) generatim loquendo, Principes, vel quicumque sint suprema aucti potestate civili, proni admodum sunt ad amplificandum dominium auctoritatis suæ.

(2) Quicumque jugiter remanet in quodam territorio connumeratur cum ceteris civibus seu subditis; inter eos censetur, cum ratio cur hi sint subditi Potestati civili sit quia in hujus territorio habitant.

(3) Exemptio Romani Pontificis habebit, in hac hypothesi, rationem privilegii concessi a gubernio, quod ex una parte a nutu hujus pendet et ex alia odiosum quid videtur aliis civibus.

(4) Gubernatores tales erunt quibus ea, quæ a Romano Pontifice præcipiuntur, non infrequenter non placebunt.

(5) Idcirco periculum semper existet proximum ne, si Papa suo officio deesse nolit, gubernium potestate sua physica abutatur, impediatque exercitium Primatus.

(6) Vel aliud periculum, scilicet ne suspicentur ceteri catholici aliarum regionum, Romanum Pontificem gratificari eidem gubernio, excipiantque contra leges ab eo latas, si aliis nationibus minus placeat id, quod vel vi coactus, vel gratia allectus gubernii, Pontifex aliquando decreverit.

Hæc si considerentur, manifestum erit immunitatem Pontificis nec tutam stabilemque ex sese, nec fini suo satis conducere posse, si Pontifex careat Principatu (1).

1. Palmieri, *Op. cit.*, pag. 503.

Ergo, si res in concreto spectetur, si habeatur ratio morum, quibus regi solent humanæ societates, affirmari generatim potest, quod moraliter impossibile sit, sepositis miraculis, Romano Pontifici suam exercere immunitatem si non sit Rex. Nam qui rex non est, est subditus, si non jure, saltem facto. Insuper non certa foret omni Ecclesiæ neque sat visibilis libertas omnimoda Pontificis in exercitio sui Primatus.

" Omnibus enim compertum est, inquit Pius IX, fideles populos, gentes, regna nunquam plenam fiduciam et observantiam esse præstitura Romano Pontifici, si illum alicujus Principis vel gubernii subjectum ac minime liberum esse conspicerent. Si quidem fideles populi et regna vehementer suspicari, ac vereri numquam desinerent, ne Pontifex idem sua acta ad illius Principis, vel gubernii, in cujus ditione versaretur, voluntatem conformaret, atque idcirco actis illis hoc prætextu sæpe refragari non dubitarent [1]. "

Ergo perfectio vitæ socialis Ecclesiæ postulat Principatum civilem Romani Pontificis [2].

7. Auctor opusculi " *Il moderno dissidio tra la Chiesa e l'Italia* " suas facit objectiones quasdam, altioris ordinis et quæ in ore multorum catholicorum versantur. Præstat eas audire et refutare.

Quod ad principium attinet, recognoscit Auctor doctrinam Romanorum Pontificum et Episcoporum omnium de necessitate Dominii temporalis S. Sedis, *in præsenti ordine rerum;* sed tria proponit quæsita seu, melius ut dicam, restrictiones.

(1) " Quid si Deus nollet Ecclesiam hac libertate gaudere per *octo*, per *octoginta*, vel per *octingentos* annos ? "

(2) " Quid si verba definitionis possent intelligi de Principatu civili, non eo modo constituto ut erat, quando ablatus fuit, sed alio modo, quem Deus servare posset in suis consiliis ? "

1. Alloc. 20 April. 1849.
2. Palmieri, *Op. cit.*, pag. 504-505.

(3) " Quid si Ecclesia, etiam destituta hoc temporali Dominio, posset juxta alium modum, a divina Providentia constitutum, satis libere, imo *utiliori ratione* vacare sanctificationi et saluti animarum? "

(1) Ad primum, dicendum eam interrogationem esse inconcludentem. Etenim non investigamus quid *possit* Deus permittere, sed quænam sint Ecclesiæ *jura certa.*

Permisit quidem Deus ut Ecclesia a sui exordio per trecentos annos non solum non recognosceretur a Cæsaribus, sed experiretur eorum gladium, unde sanguine martyrum purpurata resplendet... Sed quid hoc aliud fuit nisi longa injustitia? Hæc autem permissio divina non minuit Ecclesiæ jura.

Ecclesia retinet suum jus reclamandi plenissimam suam libertatem.

Atqui ex declaratione Romanorum Pontificum et totius Orbis Episcoporum, constat Ecclesiam non posse consequi hanc plenam libertatem in præsenti rerum statu, nisi S. Sedes habeat temporale suum Dominium proprium. Ergo hoc Dominium, ex maxima injustitia et impietate sublatum, ei debet, justitia et pietate exigente, restitui, et quidem quantocius.

Optime scribit De Angelis : " Nos nunc non loquimur de modo tenendi Ecclesiæ durante ista spoliatione brevi vel diuturna, secundum divinum beneplacitum; Ecclesia enim ipsa determinabit quid agere debeat, et quomodo ejus filii teneantur procedere; et quando nihil Ecclesia determinavit, unusquisque abundabit in sensu suo, præcedente lumine rationis ab experientia edoctæ."

(2) Altera pariter restrictio non potest stare; videtur enim partim eludere principalem quæstionem, partim pugnare æquivocationibus. Nemo catholicorum sanæ mentis restaurationem meditatur Dominii temporalis eodem prorsus modo ac erat ante 20 Septembris 1870. Admittimus inno-

vationes, variationes, rationabiles mutationes omnes in modo regiminis, quæ videntur requisitæ a modernis temporum exigentiis. Ecclesia enim non est corpus mortuum sed vivens et vivax; Dominium autem temporale pars est corporis Ecclesiae, ad Ecclesiam ipsam pertinet, et Pontifices pro tempore existentes non sunt nisi hujus Dominii administratores sed supremi.

Modo Papa habeat potestatem supremam et independentem, hoc nobis sufficit. Ipsius erit forsitan majori numero assumere laicos in ministros, et non amplius tot clericos, uti olim factum fuit; sed hæc sunt accidentalia tantum ([1]). Firma manet veritas quam docet Leo XIII : " Humanae quidem res mutantur; sed benefica supremi Magistratus ecclesiastici virtus e coelo est, ac semper eadem persistit : imo cum ille in terris perpetuo duraturus sit, *humanitatis incessum peramanti vigilantia consequitur ; neque, ut detractores eius effutiunt, iustis temporum necessitatibus, quod licet, se conformare recusat* ([2]). "

Prorsus autem rejicimus ideam seu propositum *Vicariatus* quem super Statibus Ecclesiæ volebat sibi assumere Philippus, Galliæ Rex, tempore Bonifacii VIII, quamque propositionem instauravit nostris temporibus Napoleon III. Reservaretur nempe Pontifici aliqua pecuniæ pensio, et nescio quæ potestas *habitualis*, Imperatori vel alteri tradito vero super Statibus Ecclesiæ Dominio, et *actuali* suprema potestate translata in eum tamquam in Vicarium perpetuum; — quod incongruum et inacceptabile visum est.

(3) Majora dicenda sunt contra tertiam limitationem. Præprimis maxime injuriosa est Ecclesiæ et Pontifici.

1. *Nota.* " Un opuscule publié, il y a six ans (1884), sur la question romaine, insinuait fort sagement que, dans le cas d'une restauration, le Pape pourrait donner à ses sujets un statut non pas identique, mais analogue aux constitutions modernes.... Les Papes, est-il besoin de le dire? furent toujours les hommes de leur siècle; et il le sera aussi, le Pape Souverain de la fin du XIX[e] siècle. " (*La vérité sur la question romaine*, pag. 135 et 137.)

2. Litt. ad card. Rampolla, 8 Oct. 1895.

" Ecclesia posset *utiliori ratione* vacare sanctificationi et saluti animarum ! "

Diceres Ecclesiam et Pontifices velut obcæcatos terrena utilitate istius Dominii, idque unice curantes ut restituatur, cum potius noceat quam prosit sanctificationi et saluti animarum !

Ecclesiæ autem et Pontificis infallibilis hæc est doctrina: " Civilis S. Sedis Principatus agnoscendus est ut necessarius, a Deo manifeste institutus, propter ANIMARUM liberum regimen, ad quod omnino requiritur. "

Sed pergit Auctor noster eisdem erroribus insistens :

A) Restauratio civilis Principatus S. Sedis a divina Providentia fortasse non fiet, attento *a)* quod homines possint eo non recte uti, et *b)* quod dependens, pro sui conservatione a potestatibus civilibus Ecclesiæ infensis, huic potius noceat quam prosit.

B) Forte divina Providentia in novis conditionibus, in quas ingreditur humana societas, alio potius medio quam civilis Principatus, pro sua Ecclesia utetur; et erit novum istud medium sat expeditum, imo magis aptum ad animarum sanctificationem, quæ unicus est Ecclesiæ finis.

Ergo, dum Pontifex cum Ecclesia instat proclamans jura sua super civili hoc Principatu, et de eo asserit esse sibi necessarium in præsenti rerum statu pro bono et expedito SPIRITUALI regimine, auctor non solum dubitat de ejus necessitate, iisdem circumstantiis spectatis, sed audet dubitare an sit hoc medium potius noxium quam utile et certe non aptissimum ad conservationem et dispensationem religionis et ad sanctificationem animarum, qui est unicus Ecclesiæ finis.

Si sæcula intercessissent inter hanc definitionem Ecclesiæ et auctoris animadversiones, et nova prorsus conditio societatis humanæ intervenisset, tunc profecto non viderentur tam absonæ. Sed cum societatis idem perseveret status, et hesterna imo hodierna, sit Ecclesiæ decisio, nemo non videt

has animadversiones, licet dubitative propositas, esse omnino temerarias atque sensui Ecclesiæ Christi oppositas.

Et quoniam non nunc primum humana societas in novas ingressa est conditiones, sed jam a sæculo id factum sit, Dominium temporale ab illo ævo, juxta auctoris sensum, cœpit forte esse Ecclesiæ potius noxium quam utile et certe non aptissimum ad sanctificationem animarum.

Et tamen Pius IX, atque Episcopi adhuc nuperrime anno 1862, illud reputabant Ecclesiæ omnino necessarium; quinimo Pontifex declarat se " paratum esse, animam potius ponere, quam hanc Dei Ecclesiæ et justitiæ causam deserere " — civilem scilicet Romanæ Ecclesiæ Principatum.

Et Episcopi Romæ congregati acclamantes et plaudentes respondebant, se cum Pontifice ad carcerem et ad mortem ire paratos esse, Illumque humiliter rogabant ut in ea constantia ac firmissimo proposito maneret immobilis.

Nunc quisque catholicus judicet an debeamus præfatas admittere animadversiones, an potius oracula Ecclesiæ revereri [1]?

8. Quæstio autem, de tam necessario Dominio S. Sedis, necessario erit quæstio Romana. Etenim centrum et caput civilis Principatus Vicarii Christi est Urbs Roma, quæ non est sui juris, sed ad Ecclesiam Universam, seu ad supremum hujus Pontificem pertinet.

Roma enim mirabiliter a Deo jam ab antiquo fuit *electa* atque *prædestinata* ut Sedes fieret Summi Pontificis.

" Nam apex humanæ gloriæ, ad quam Roma providente Deo pervenerat, fastigio altioris ac divini rerum ordinis locum cedere debebat, ut novus ac inauditus Rector populis, prius vi et humana justitia collectis, gratia mox divina et charitate junctis præsideret. Siquidem ipsæ leges explicationis atque progressus id profecto exquirunt, ut summa unius perfectio, basis ac veluti gradus postremus alterius,

1. De Angelis, *Præl. Juris can.*, lib. III, tit. V, n° 15.

in sublimiori ordine positi, adamussim evadat cum eoque consummationem accipiat ([1]). "

Exploratum hinc est, post Græcorum civilitatem philosophia et humanitate perfectam, practicam mox Romanorum sapientiam nobilissimam emicuisse eamque solam ad bravium pervenisse.

Hinc videtur, ut Aligherius in opere de Monarchia, lib. III, probare insudat, Romanos sic expresso Dei judicio imperium mundi obtinuisse, ut is miracula ob id pluries patrare dignatus est; quæ tamen miracula divus Augustinus ostendit quadrare in virtutem Romanorum ob quam imperium mundi ipsis contulit Deus.

Hinc solertia, ut cecinit poeta, ingenii Romani, qua is, qui præesset, regere imperio populos debeat — et sciat totum imperitare Orbem, sciat pacique imponere morem, sciat parcere subjectis et debellare superbos.

Hinc cultus et religio justitiæ et legum, quo in prima et præcipua Codicis parte, leges quæ ad Religionem pertinebant, inscripserunt, dum in omni gravissimo Reipublicæ negotio ac dispositione sacerdotes consulere studuerunt; nisi quod ex illis tantum soliditatem fundamenti societatis ducere consuerunt proindeque uno studio illius artis boni et æqui, quæ justitia est, omnes gentes informaverunt.

Ast transformatio præclarissima Urbis Romæ, quam divinus Restaurator æterno consilio præparavit, illico perfecta fieri non poterat. Tandem sub Constantino ad fastigium pervenit! Si enim senatui Populoque Romano edicere, proclamare et lapideis tabulis in arcu triumphali superimpositis ad perpetuam rei memoriam inscribere licuit, quod Constantinus instinctu divinitatis Maxentium profligasset; eo vel magis nobis, cuncta adeo mira et ab humano consilio aliena rimantibus, ineffabilemque Dei Veri Providentiam colentibus, edicere, proclamare ac typis mandare licebit, quod vir ille et

1 Pallottini, *Sacerd. et Imp.*, cap. I, art. 3, n° 10, pag. 145.

instinctu divinitatis Romam reliquisset, et alibi sedem imperii figere curasset.

Is enim imperator in ea extitit persuasione, quod extrinsecum intrinsecumque apicem progressus politicæ institutionis, quem Principes ethnici assequi non potuerunt, Christianus Princeps ille ejusque successores obtinuissent, Romani nempe Pontifices.

Tunc Roma in exemplar perfectissimum exstaret summi Sacerdotis ac supremi Regis justitiæ et pacis tanquam sol in medio stellarum fulgeret (1). "

Insuper per sacram B. Petri cathedram, ut loquuntur Eugenius IV et concilium Florentinum, " facta est Religionis Sedes, Caput et Mater (2). "

Tandem providentialiter et non semel sed multoties in decursu sæculorum fuit Roma ab interitu præservata, unice opera et influxu Summorum Pontificum suorum.

Si res clamat domino, si filius est patris, Roma in specie sacro et indissolubili nexu cum Vicario Christi est ligata, in ejus Dominio divinitus posita, pontificio charactere insignita; tali modo ut vel omnes ejus lapides vestigia gerant paternæ Pontificum sollicitudinis potius quam dominationis, et ad Papam semper clamitent. " Haud operae pretium existimamus, inquit Leo XIII, maxima beneficia et praeclara decora, quae Romani Pontifices huic sibi prae ceteris adeo dilectae civitati compararunt, quaeque ceteroqui indelebilibus characteribus in historicis omnium saeculorum monumentis scripta prostant, recensere. Supervacaneum item est innuere, Urbem hanc Pontificalis Dominatus alte impressa vestigia in quaqua sui parte referre, quibus eadem ostenditur ad Romanos Pontifices tot talibusque nominibus pertinere, quot qualiaque in quamlibet sui Regni Urbem Principum unquam habuit nemo (3). "

1. Pallottini, *Sacerd. et Imp.*, cap. I, art. 3, n° 13, 20, 15, 40, 51.
2. Constit. *Non mediocri*, § 4-6.
3. Epist. ad Cardin. Rampolla. 15 Jun. 1887.

9. Volunt autem et præterita et præsentia et futura temporum adjuncta ut Papa solus sit Rex seu Imperator Romæ. Præterita: — " Hactenus unicum, — pergit idem sanctissimus Dominus, — quo ad tuendam Romanorum Pontificum libertatem divina Providentia usa est, medium, regius eorum Principatus profecto fuit: quando autem hoc medium defecit, iidem Pontifices vel exagitati a persecutoribus, vel captivi, vel exules semper fuerunt, aut certe in obnoxia conditione constituti aut demum in continuo periculo sive in unam, sive in alteram earum calamitatum per vim prolabendi. — Id universa Ecclesiae historia testatur ".

Præsentia: Sunt qui ad solvendam Romanam quæstionem excogitaverunt alia consilia variosque modos quibus conditionem Summi Pontificis meliorem reddant. " Sed vani isti sunt atque inutiles conatus; itemque vana atque inutilia erunt omnia id genus molimina, quae sub praeclara eaque multiplici honoris specie, Pontificem in obnoxia prorsus conditione reapse relinquunt. *Defectus est in ipsa rerum natura*, prout in praesenti constitutae sunt; nullumque externum temperamentum, quod adhibeatur, nullaque ratio illum removere valebunt. "

Futura: Sunt alii qui solutionem quæstionis Romanæ a longitudine temporis repetunt, quasi consuetudine tandem aliquando actualis *modus vivendi redderetur* tolerabilis, imo acceptabilis.

His respondet Pontifex: " Speratur quidem, temporique confiditur, quasi vero si illud protrahatur, Nobis tandem acceptanda sit ista rerum conditio. Sed caussa propriae libertatis est pro Pontificibus et pro Ecclesia quaestio prima atque vitalis. Ex quo fit ut certus quisque esse possit, ipsos eamdem libertatem et quidem modo perquam firmissimo, securam tutamque semper expetituros. "

10. Ergo tota, unica solutio quæstionis Romanæ hæc simplex et absoluta responsio sit oportet: " *Restituatur Sanctae*

Sedi Dominium hoc sacrum quod ab ea injuste et violenter fuit ablatum ". — "Praeter veram absolutamque Nostri restitutionem in pristinum Principatum, qualis a potestate Nostra, nulli hominum obnoxia, ac Sedis Apostolicae dignitate exigitur, alium conventionibus ineundis pacique firmandae aditum, patere videmus nullum [1] ".

Ergo Papa sit Rex Romæ!

Hoc est negotium maxime momenti.

Hoc maxime urgens est in mundo vere politico sicuti et in mundo religioso.

Hoc ad obtinendum necesse est e medio tollantur quæcumque obstacula, quæ hactenus viam præcludere visa sunt ad restitutionem ordinis, pacis et tranquillitatis, ne amplius pessumdentur societates et ut moderatores populorum possint sub auspice Ecclesiæ et parcere subjectis et debellare superbos.

1. Epist. cit. ad Card. Rampolla.

CAPUT DUODECIMUM.

Ad restitutionem Dominii S. Sedis et restaurationem totius ordinis socialis, principale, imo et unicum obstaculum est malefica secta Massonum.

1. Secta Massonica est obstaculum maximum. — 2. Imo primum e medio tollendum ubicumque dominatur. — 3. Inhiat destructioni Pontificatus Romani nec unquam aliter egit, nec actura est. — 4. Nihil vim adimunt ipsi divisiones intestinæ. — 5. Principale est obstaculum, ita ut alia impedimenta sint mere secundaria vel nulla, ut v. g. unitas Regni Italici. — 6. Nec plus impediunt aspirationes Italorum. — 7. Nec magni Europæ potentatus. — 8. " Oggeri solet " sed falso prætextantur incommoda adventura. — 9. Nihil ex restitutione patietur verus progressus modernus. — 10. Falsum est aufugiendum. — 11. Unicum exinde dici debet obstaculum supraassignatum ad restaurationem pacis et ordinis in Italia et in tota Societate Christiana. — 12. Aspirationes sectæ incarnantur in falsis commotionibus demagogicis. — 13. Una eademque ergo agitur causa Ecclesiæ et Societatis civilis in profligenda secta et restituendo Principatu S. Sedis.

1. Egregius historiographus Leonis XIII, ubi de spoliatione Dominii S. Sedis loquitur, jure meritoque vocat sectam Massonicam " artificem hujus nefarii et infernalis operis [1]. "

Exinde concludendum esse patet, et ipsam fore maximum obstaculum ad restaurationem juris et ordinis læsi. Et re quidem vera, eam obstaculum primum ac principale imo et unicum, quod restitutioni opponitur censemus.

Primum est quippe quod, cum ipsa sit, quæ lamentabilem eventum elaboraverit et usque ad consummationem produxerit, continuo nota est et illud fulcire facinus et eo nova

1. *Le Pape Léon XIII, sa vie, son action religieuse*, par Mgr de T'Serclaes. *La Franc-maçonnerie contemporaine.* Aug. Onclair, 13, II, chap. 28.

moliri ; proindeque huic primo est obviandum illudque e medio tollendum. *Principale* exstat impedimentum : secta enim sublata, reliqua obstacula, licet non immediate cederent, tamen sensim sine sensu mutuatam vim deperderent : mox dolosæ insimulationes apud Principes excitatæ a secta et suspiciones in Ecclesiam exinde obortæ, cessarent ; brevi etiam diffidentia et dira aversio plebis erga veram religionem Christi mitesceret ; atque tandem communi paci et prosperitati studentes, et Principes, et populi inconcussa jura S. Sedis vindicarent. Ita, et fas est dicere, quod secta Massonica obstaculum est *unicum :* ipsa depressa, cedent obstacula reliqua, ipsa vero dominante, crescent in diem impedimenta, errores atque mala quæ viam ad restaurationem juris et ordinem societatis magis magisque præcludere videntur. Ait enim Leo XIII quod " secta Massonum cuiusdam est instar centri unde abeunt et quo redeunt universae ([1]) (aliæ sectæ) ".

Id cum Summus Pontifex aperte fateatur ([2]), alia vero, uti unitas Regni Italici, aliaque impedimenta nequaquam sunt vera, realia, sed potius excusationes vanæ, seu prætextus ad recusandam quæstionis romanæ, uti dicunt, solutionem, quæ non est alia nisi integra restitutio Dominii S. Petri, vel saltem partis illius quam Summus Pontifex sibi ceu necessariam vindicabit. Ipse enim solus et unicus est hac in re judex et quidem supremus ([3]).

2. Neminem virum perspicacem latere potest natura sectæ et sodalitatum ipsi affinium. Quæ enim quamquam nomine, ritu, forma, origine differentes, eodem tamen quo ipsa vivit,

1. Encycl. *Humanum genus*, 20 Apr. 1884.

2. " Une puissance, une seule, empêche de donner une solution satisfaisante à la question romaine, c'est la puissance des sociétés secrètes en Italie, la puissance de la révolution. Nous ne faisons que répéter les paroles du Saint-Père, et il parle en connaissance de cause. " (Card. Vaughan, *The roman question*, ch. IX.)

3. " Le Pape ne peut être soumis à aucun tribunal humain ; *seul* il peut déclarer ce qui est une garantie suffisante des droits divins, dont il est *seul* dépositaire et suprême gardien. " (Id., lettre à l'abbé Moreau, p. 50.)

principio vitali animantur; id est, ut ait Leo XIII, "communione quadam propositi summarumque sententiarum similitudine (qua) inter se contineantur, re (congruentes) cum secta Massonum." — "Item, pergit idem Pontifex, nonnullas locorum temporumve ratio sua det minora conari, quam aut ipsae vellent aut caeterae solent: non idcirco tamen alienae a Massonico foedere putandae, quia Massonicum foedus non tam est ab actis perfectisque rebus, quam a sententiarum summa indicandum (1)."

Quænam vero hæc summa sit sententiarum, hæc idea motrix, quæ vivam mentem sectæ constituat, et animus appellari valeat quo omnes et singulæ sectæ clandestinæ imbui solent, satis superque patet ex fine universali et ultimo cui omnes et singuli Massones, alii scienter, alii ignoranter, concurrere totis viribus satagunt; ut nempe absoluta dominatio sectæ promoveatur atque adstruatur in mundo.

De cæteris quibuscumque curam habent primi moderatores sectæ; et, quum in hac dominatione suum cuique fas est explere appetitum; dum alii temporale emolumentum prosequuntur, alii vero passionibus et libidinibus indulgere malunt, alii tandem honorum fastigia conscendere inhiant, ipsimet pervigiles duces cuncta disponunt, ad genuinum finem sectæ quam proxime et quam efficaciter assequendum (2).

Habemus confitentem reum!... "Verus paganismus nobis est affinior quam christianismus ullus." Sic locutus est assecla sectæ egregius, Mauritius Muller Jochmus (3). "Dari massonismum, fatetur manuale quoddam massonicum Germaniæ, qui vel saperet doctrinam christianam, haud minus absonum esset, quam dari circulum quadratum (4)." In

1. Encycl. *Humanum genus*, 20 Apr. 1884.
2. Onclair, p. 304. — *Satan et Cie*, par Paul Rosen. Glorification du vice, p. 121.
3. *La Franc-maçonnerie en elle-même et dans ses rapports*, par l'abbé Gyr, p. 38, 42.
4. *Voix de l'Orient*. — Manuel pour maçons. — Hamburg, 1845.

Ephemeride *Latomia* dicuntur protestantium dogmata vix et ne vix quidem appropinquare ad doctrinas massonicas, quippe et illa revelatione seu locutione et auctoritate Dei positiva nituntur, hæ vero solius rationis nutu et ductu suffultæ in divinis ac humanis titubanter et pro lubitu procedunt.

Annon sapienter igitur Leo XIII loquitur dicendo : " ex certissimis indiciis... erumpit illud quod est consiliorum suorum ultimum, scilicet evertere funditus omnem eam, quam instituta christiana peperunt, disciplinam religionis reique publicae, novamque ad ingenium suum extruere, ductis e medio Naturalismo fundamentis et legibus (1). " Ast sicut Dominus JESUS dixit : " nemo potest duobus dominis servire : aut enim unum odio habebit, et alterum contemnet " *Matth.*, VI, 24, et ideo secta Massonica, quum penitus debita sit Principi hujus sæculi per putidum naturalismum, non potest non odio habere religionem supernaturalem Christi ; et quum prædominans odium insuper non spiret nisi ruinam atque destructionem, non potest non primum ac potissime inhiare eversionem Ecclesiæ ejusque Pontificis supremi.

3. Ita primum ergo obstaculum ad restaurationem ordinis et juris læsi, est ipsa malefica et prædominans secta Massonum, quæ nec prius existere et in actum prorumpere visa est quam et extinctionem Pontificatus Romani attentaret. De ipsa respectu Ecclesiæ, sicut de antiquo serpente relate ad Virginem salutis humanæ mediatricem, dictum est : et tu insidiaberis calcaneo ejus. Qualis enim ab incunabulis exstiterit, compertum habemus ex factis et gestis exeunte sæculo XVIII patratis, grassante rebellione Gallica ! En quæ scripsit anno 1797 Bonaparte ad fratrem suum Josephum tunc temporis in legationem Romam missum : " quod si accidit ut Papa moriatur, inquit, totis viribus incumbe, ne novus eligatur Pontifex atque nihil non move ut rebellio oriatur. "

1. Encycl. *Humanum genus*, 20 Apr. 1884.

Cum brevi post, quidam Duphot dux militum rempublicam Romæ jam acclamasset atque hac occasione mortem obiisset, moderator Reipublicæ gallicæ exinde ansam arripuit ut die 11 Januarii anni 1798 copias cum duce mitteret, qui Status Pontificios invaderent, atque arborem emancipationis seu libertatis, uti mos erat, plantarent secundum placitum, uti dixerunt, populi jam supremo Dominio potiti ([1]).

Hic quantopere futurus primus consul consiliis Massonum inservierit sat liquet ex partibus quas ipsa secta egit in concitando, nutriendo ac dirigendo agitationem universam. Testantur et gloriantur ipsi coryphei sectæ ut Ragon, Heimburger, Blumenhagen, Vivier, Traillard, Fischer, Blanc illud opus fuisse suum ([2]). Testantur impii philosophi et viri qui agitationibus et factionibus in Gallia tunc præerant et quorum quam plurimi erant ex gregalibus sectæ aut ipsi penitus addicti. Satis est in memoriam revocare famosam illam epistolam Frederici II Regis ad Voltaire ; in qua tractare jam cœpit de subigendis ditionibus S. Sedis, de compensatione pecuniaria substituenda, de schismatica dissolutione regnorum Christianorum brevi subsecutura ([3]). Testantur et verba viri peritissimi, qui legatus Regis Borussiæ in Congressu

1. *Le gouvernement des Papes*, par de l'Épinois.

2. Gyr, p. 92, 124, § II. But de la Franc-maçonnerie. C. " Un professeur, nommé Adam Weisshaupt, fonda en Bavière l'ordre des Illuminés : la lumière, dans l'acception la plus étendue du mot, était son but avoué. Mais le monstre n'avait pour mobile secret que l'égoïsme et la soif de la domination ; leur maudit avorton n'était que la révolution sous le manteau de la philosophie. Sans être maçons dans le principe, les Illuminés surent s'emparer de la plupart des Loges ; les maçons les plus estimés furent fiers du titre d'Illuminés, ... le gouvernement expulsa les adeptes dans un pays voisin, où leurs torches infernales surent trouver un aliment à la combustion et une sécurité complète. Ce fut vers la France que cette expédition des Argonautes se dirigea ; mais au lieu de tuer un dragon et de conquérir la toison d'or... ces hommes... se livrèrent à l'incubation d'une couvée de dragons. Comme une troupe d'animaux carnassiers, leurs dignes rejetons se répandirent sur toute la surface du monde, et remplirent la terre d'horreurs et de crimes inconnus jusqu'alors. Nulle part autant que dans ce pays, on n'a abusé de la maçonnerie, (ou plutôt usé)... Nous avons vu dans le Jacobisme et le terrorisme une fratricide Égalité et un Robespierre, buveur de sang. " Blumenhagen, discours dans sa loge, 1820.

3. Correspondance de Voltaire, XII, p. 99.

Veronensi, cum prius sectæ addictus fuerit ejusque indolem perpenetraverit, contra eam et Principes et populos præcavere sic voluit. " Tunc vero, inquit Cl. Haugwitz, nullo studio neglecto per plures annos, firmiter convictus sum drama illud quod annis 1788 et 1789 incepit, rebellio nempe Gallica, regicidium atque horrida crimina subsecuta, non tantum tunc decreta fuisse in conventiculis sectarum sed et nonnisi consequelas fuisse et conventionum et juramentorum earumdem (1). "

4. Nil mirum ergo, si secta ubi primum in actum prorumpere potest, eamdem continuo molitur ruinam in Ecclesiam ejusque Pontificem necnon in christianam Societatem universam. Quod si ineunte sæculo aliquos annos conquiescere visa est, tanquam bestia lassitudine oppressa, vel manu fortissimi imperatoris contenta ; quod si præterea regnum ejus videtur quandoque in se divisum, nec amplius stare posse, tanquam ædificium cujus parietes et trabes dissociantur, vel tanquam infernale chaos in quo turbatio et continuus horror inhabitat ; ne ideo tamen æstimes monstrum amisisse ferocem

1. Gyr. — *La Franc-maçonnerie en elle-même...* p. 92, 256, 304. " La philosophie du XVIII[e] siècle n'était-elle pas l'instrument des loges? Ne constitua-t-elle pas ce qu'Eckert appelait la division pacifique de l'ordre ? — Il est un fait incontestable, c'est que tous les philosophes les plus éminents furent initiés aux mystères de la maçonnerie : Diderot, d'Alembert, Condorcet, Raynal, Helvetius, Lavater, Charu, Hume, Freret, Cagliostro, Dannilaville, Lalande, Frédéric II. Quant à Voltaire, son initiation est hors de doute comme celle de ces fameux collaborateurs de l'Encyclopédie. Condorcet prétend que le patriarche des philosophes a recu la lumière en Angleterre. La plupart disent qu'il fut initié à Paris dans la loge des Neuf-Sœurs, le 7 février 1778. L'assertion de Condorcet, son ami intime, est plus fondée, et la seconde initiation, qui est incontestable, ne fut qu'une ratification faite sur les instances de Francklin.

" C'est dans les loges que les Mirabeau, les Danton, les Brissot, les Robespierre, les Fouquier-Tainville se formèrent à la destruction de l'ordre social. "

Un coup d'œil jeté sur les principales loges de Paris lors du Congrès du Grand en Orient 1787 et des événements qui suivirent, suffit pour expliquer la paternité de la révolution attribuée à la Franc-maçonnerie.

La première, c'est la loge des Neuf-Sœurs. Elle avait pour Vénérable Pastoret, homme astucieux, qui savait adroitement masquer sa haine contre la religion et la noblesse. A son maillet obéissaient les trop fameux Condorcet, Dolomien, le marquis de la Salle, Brissot, Garat, Bailly, Camille Desmoulins, Cerutti, Danton, Bailly, Fourcroix, Lalande, Chenier, Champfort, Dom Gerle, Pétion et

destructionis indolem, paratum semper et aggredi et deprimere et delere penitus, si fas est, veram religionem Christianam atque cathedram Petri cujus invidet dominationi in Orbem terrarum ([1]).

5. Sicut secta obstaculum primum est et ante omnia e medio tollendum, ita et principale exstat impedimentum quominus restitutio S. Sedis executioni mandetur et ordini sociali recte provideatur.

In vanum enim in contrarium afferuntur argumenta quibus adversarii proclamant et alia et innumera obstare impedimenta. Exposcere hodie restaurationem Dominii temporalis Ecclesiæ, blaterant, idem est ac attentare destructionem unitatis Italiæ ; necnon renuntiare commodis modernæ civilitatis. — Insuper est contemnere votum antiquum et legitimum potioris ac nobilioris partis Italicorum. — Tandem ad obtinendam illam, quam somnias, restaurationem autocratiæ Papalis, invocandum esset auxilium exterarum nationum, quod et arduum est, et insuper maxime odiosum Italis, qui Ecclesiæ evaderent infensi propter amorem patriæ suæ. Con-

le duc de la Rochefoucauld, c'est-à-dire tous les principaux écrivains. On sait quelle part ces maçons prirent à la Révolution française.

La loge de la *Candeur* réunissait l'aristocratie dorée... Sur sa liste figuraient les noms du duc d'Orléans, grand-maître du Grand-Orient, Lafayette, Laclos, La Touche, les deux Lameth, Custines, Moretom de Chabrillant, Sillery et d'Aiguillon.

La loge des *Amis Réunis* comptait parmi ses membres les financiers et les industriels. Les principaux adeptes étaient Lavalette de Langue-Bonneville, Chappe de Hannere, Court de Gibelin. Sa succursale comptait les St-Germain, les Raymond, les Cagliostro, les Candorcet, les Dietrich.

La loge du *Contrat social* était presque entièrement composée de ducs et de marquis, de chevaliers parmi lesquels nous voyons le trop illustre Mirabeau.

Dans les États-Généraux se forma un club renfermant toutes les sommités maçonniques de la capitale et des provinces et subordonné lui-même au firmament. Ce club, dit *Breton*, avait la prétention de diriger les travaux des États et d'imprimer aux membres maçons une impulsion conforme aux vues de l'ordre. A la tête de ce club se distinguaient Mirabeau, Sièyez, Barnave, Chapelier, de la Coste, Glezen, Bouche, Péthion. De Versailles ce club se transporta à Paris et y prit le nom de Jacobin. Les mêmes associations se formèrent par toute la France. Toutes portaient écrite sur leur chapeau la divise maçonnique : liberté, égalité, fraternité.

1. Vide supra, cap. VI, pag. 106.

cluditur proinde, visa re vel prorsus impossibili, vel Religioni maxime adversa, tutius esse subire hanc non expetitam sed necessariam conditionem, eamque ut *factum completum* recognoscere.

Respondemus, cum doctissimo De Angelis, imprimis Ecclesiam non recognoscere theoriam *factorum completorum*, neque eis frontem inclinare, quia tantum jus respicit.

De cetero possemus plenissime hanc effugere difficultatem, cum non agamus de modis quibus Omnipotens hoc Dominium Ecclesiæ sanctæ suæ reddere valeat, sed tantummodo Sponsæ Christi defendamus jura æterna. At si velimus aliquid in hac re promere, dicemus *falsum* omnino esse, *quod restitutio Dominii S. Sedis importet destructionem unitatis Italicæ* (1); simpliciter importat creationem status independentis in medio peninsulæ et mutationem Urbis capitis regni, quæ iterum potest esse Florentia.

An independentia Hamburgii aliarumque civitatum liberarum, vel magni ducatus Luxiburgensis unitatem impedit imperii Germanici?

Præterea in occupanda Urbe Roma, finis Massonum minime rerum fuit politica Italicæ unitatis constitutio. "Si Massonum manus ad maenia civilis huius Metropolis defendenda protensae fuerint, hoc ideo factum est quo facilius *Urbs sacerdotalis* per ipsos expugnaretur, utque cominus spiritualem Pontificum potestatem labefactarent (2)."

Quare unitati Italiæ non obest independentia reipublicæ S. Marini, et autonomia status de Monaco? — "Quasi vero in Italia binæ illæ portiunculæ haud numerentur, quæ sub pristina adhuc dominatione remanent, quasque semper mansuras speramus," — ait Pius IX (3).

Unitas et integritas Italiæ! — Si Roma pertinet ad Romanum Pontificem, qui ordinarie et ipse Italus est, an

1. De Angelis, *Prælect. Juris can.*, lib. III, tit. V, n° 15, pag. 125.
2. Leo XIII. Epist. ad Card. Rampolla, 24 Sept. 1895.
3. Epist. ad Card. vicar., 30 Junii 1871.

cessaret ad ipsam pertinere Italiam ? An extranea facta esset sicuti Sabaudia quæ tradita est Galliæ et Tyrolia quæ pertinet ad Austriam ?

Nemo corde, jure et munere tam Italus quam Papa ; dum domus Sabaudiæ, cum suo Victore-Emmanuele, extranea est veris Italis, extraneaque, præsertim propter sacrilegum suum facinus, diu manebit ([1]).

6. Prætendere solent præsertim nobilissimas et justissimas, ut aiunt, aspirationes populi Italici ad unitatem Patriæ.

Hæc enim pietas in Patriam est quæ *irredemptos* tam infelices et tam ardentes reddet, quæque Romam intangibilem efficiet !

Attamen ne verbis et vocibus nos decipi sinamus : hæc potius nata sunt ut nobis fucum faciant, et dicta hæc, more et stylo judaico prolata, oportet ad trutinam revocentur.

Prius populares has aspirationes *juridice* considerabimus, deinde *in facto*.

Juridice patet primo intuitu, simplices aspirationes etiam ardentissimas ad aliquid consequendum, jus nullum per se tribuere ; non enim sunt titulus ad habendum id ad quod aspiratur. Injuste aspirat fur ad furtum, vindicator ad vindictam, etc.

Ejusmodi veritas hominibus quoque sylvestribus obscuratur a Massonibus ope sophismatum ubi agitur de injuste oppugnanda Urbe Roma. Ubi vero agitur de libertate reddenda Polonis, ad quam vehementer aspirant hi a Russis

1. " D'où vient ce gouvernement qui parle avec une si merveilleuse assurance au nom de l'Italie et qui en revendique si fièrement les droits ?

" Il y a quelques années à peine que, placé à l'extrême frontière de ce beau pays, lui-même était tout au plus accepté comme gouvernement italien. Et en vérité il ne l'était qu'à demi. Il venait de l'étranger. Ce qu'il possédait de l'Italie était d'*accession* ou d'*annexion* récente. Le royaume de Piémont n'était que le duché de Savoie agrandi. La dynastie piémontaise était et est encore savoisienne. On l'avouera, il est au moins étrange de voir le gouvernement d'un descendant des ducs de Savoie afficher la prétention de représenter cette Italie qui ne le connaissait point et où il n'est reçu que d'hier. " Laforêt, *Revue catholique*, t. XXXI, pag. 886.

oppressi, vel de concedendo regimine domestico *(home-rule)* catholicis Hibernis, aliter ac de Italis ratiocinantur Massones.

Si aspirationes quælibet jus conferre dicendæ essent, tunc et rem alterius rapere cuivis appetenti liceret ; licitum esset vindictam patrare, licitum calumniari, occidere, adulterari, etc.

Verbo, quidquid appareat nobis bonum, utile, delectabile, liceret appetere, velle et agere; et ille qui nos ab eo impediret, tyrannus esset, quum nostræ felicitatis assecutionem, ad quam naturaliter et legitime tendimus, prohiberet.

En ad quem principiorum chaos referuntur populares aspirationes quas Legatus Victoris-Emmanualis tamquam titulum occupandi Romam Pio IX ausus est proponere.

Talia principia utique logice conducunt ad naturalismum, communismum, socialismum et alia ejusdem furfuris systemata ; imo gradus constituunt ad pantheismum vel atheismum ; nam Deus esset noster tyrannus ; ideoque vel non esset, vel nos ipsi dii essemus [1].

Ergo tamquam titulus ad Urbem, reliquasque Pontificias provincias armis aggrediendas exhibita fuit aspiratio popularis, *cui resisti non posset.*

Quid autem fuerunt et sunt aspirationes istæ irresistibiles *in facto* consideratæ ?

Primum sciendum est Italicos populos (iis exceptis atheis, qui partem aliquam in regimine massonico hujus regionis habent vel ad illud aspirant), esse catholicos, ideoque non aspiratores ad aliena jura invadenda, multoque minus ad usurpanda jura Apostolicæ Sedis; hi enim non modo Pontifici non bellarent, sed potius pro Petri Sede sanguinem profunderent.

Sic aliis optandum fuit inter prælium committendum et necem a sicario subeundam [2]; aliis vero pluribus militibus

1. Avanzini, *Acta S. Sedis*, t. 6, p. 253.
2. *Hist. de Pie IX*, Alex. de Saint-Albain, II, p. 337. *Lettre d'un volontaire garibaldien.*

regni Italiæ qui ad Romam obsidendam arcessiti erant, in mente fuit, eo se Romam venisse, quod Pontifex eos vocasset in tutelam et ad ordinem Romæ constituendum, inscii prorsus se tamquam hostes venisse. Imo magna veneratione cupiebant Summum videre Pontificem, quem cum videre eis impossibile esset, innumeras emerunt ejusdem imagines quas, pietatis causa, ad suos mitterent. Ita in sincero et recto animo delusi fuerunt milites, qui præterea de imposito jugo deque Italico regimine maximas efferre querimonias sunt auditi.

Alterum, itemque publicum factum est, longe maximam atque saniorem Italici populi partem, mandato Pontificis obtemperantem, numquam voluisse sese immiscere in eligendis deputatis ad Italicum regimen, quamquam Magistratus interventum hujus sanioris partis optaret, ne regale solium per furentes demagogas periclitaretur. Certum est deputatos nequidem per dimidiam partem electorum esse electos.

Alia denique facta, eaque frequentissima, sunt innumeræ significationes realis obsequii toties Romano Pontifici exhibitæ, quoties gubernium Italicum aliquam ediderit legem vel facinora patraverit, quæ Ecclesiæ jura violarent. Satis est catholicas et sinceras ephemerides percurrere, ut perspectum habeatur quot modis veri Itali et Romani de Roma, spontaneas quidem aspirationes suas manifestaverint in favorem Romani Pontificis, minime vero in gratiam Regis subalpini; quot quantaque præterea munera et oblationes Pontifici detulerint cives Italici conditionis omnigenæ et ex omnibus partibus Italiæ licet iam quoad opes destitutæ atque exhaustæ.

Ceterum liquet quod Romanus populus non potuit conspirare ad incorporationem quasi Urbis ac pontificiarum provinciarum cum reliquis Italiæ ditionibus, quin eodem momento hanc suam profunderet felicitatem, qua ex paterno, honesto et fortunato gubernio Pontificio gavisus fuit! — An forte, quis populum diceret beatum qui opprimeretur atque

extenuaretur vectigalibus innumerabilibus in diem crescentibus; — qui devoveretur sub libertatis fuco contumeliis, vindictis, perditissimorum hominum factionibus; — qui destitueretur magnificis pompis et splendoribus quibuscum nulla alia in orbe terrarum conferri possent; — qui intueretur ministros divini cultus ad summam egestatem redactos, religiosa instituta sua dispersa, pias fundationes confiscatas, atque simul nesciret alere pauperes suos cives præ summa penuria rerum ad emigrandum tandem turmatim coactos et perinde ac exules effectos ?

Quis felicem eum populum dicet, qui eo ducitur et instituitur, ut non solum vera religione privetur, sed ut sensum quoque naturalis honestatis atque justitiæ amittat, nulla alia cognita lege, nulla auctoritate admissa, præter eam, quam timor pœnæ observare faciat ?

Aspirationes populi Italici, si quæ exstiterunt hujusmodi esse quidem non poterant ut Romam ceterasque Pontificias provincias detestabili jugo Victoris-Emmanuelis subjicerent; sed e converso, ut ditionibus Romani Pontificis incorporari possent et ita frui pacifica libertate et felicitate sub paterno et mitissimo Pii IX et Leonis XIII moderamine.

Quibus ergo aspirationibus massonicum gubernium Subalpinum satisfacere voluit in occupatione Urbis? Aspirationibus nimirum, ut mox videbimus, factionis satanicæ quæ nunquam quiescit, quæ Romam vehementius concupivit, quæ Romanum Pontificem utpote Christi Vicarium, satanico atque perpetuo odio prosequitur, quæ per suum corypheum ausus est Papam appellare cancerem Italiæ, quæ Pontificem vocat publicum hostem cui bellum indicendum est usque ad internecionem ([1]).

En quorum virorum gubernium sitim explevit.

7. Restaurationi non obstarent magnæ Europæ Potestates.

1. Avanzini, *Acta S. Sedis*, t. 6, p. 251. — *Léon XIII*, par Mgr de T'Serclaes, II, ch. XXVIII, discours de Adriano Lemmi.

Translatio Romam legationum apud Regem Italiæ non est agnitio publica rejectionis Principatus Papalis.

Etenim (1) nationes Europæ aperte declaraverunt reservatam manere quæstionem Romanam, quod nequaquam declaraverunt de regno Neapolitano, neque de ducatibus Modenæ, Parmæ vel Etruriæ.

(2) Tenent semper legatos suos plenipotentiarios apud Romanum Pontificem tanquam apud Regem verum, territorium independentem adhuc retinentem, 14 vel 15 nationes.

(3) Ipsi Reges admittunt Nuntios-Legatos S. Sedis; jus autem mittendi legatos non pertinet, secundum principia juris gentium, nisi ad solos istos Principes qui suprema potestate et perfecta gaudeant independentia, minime vero ad reges subalternos et tributarios.

(4) Imo Nuntii in omni in qua admittuntur aula, præeminentia gaudent ceterosque legatos præcedunt.

(5) Tandem Romano Pontifici titulus ille tribuitur ab ipsis Principibus, qui non nisi Regibus dari solet ([1]).

Inter alios sensum intimum gubernii Austriaci ita pandit comes Kalnoky, cancellarius Imperii :

" Gubernium ipsum desiderat ut Beatissimus Pater ea plena gaudeat libertate et independentia quæ necessaria est capiti supremo Ecclesiæ, et quæ satisfaciat Papatui et Papæ ipsi ([2]). "

Sed et alterum audiamus cancelarium. Quum quadam die dicebatur Principi de Bismarck : " Coram te non licet nobis loqui de restituenda Roma Sanctæ Sedi, quia per recentes conventiones promisisti Italiæ integritatem territorii sui; " — statim respondit ipse : " Integritatem utique Regni relate ad extraneos. Sed hoc minime impedit restitutionem Summo

1. Voir la lettre de l'empereur Guillaume au Pape, qui porte le prédicat de " Sire. " — D'après les règlements des traités de Vienne et d'Aix-la-Chapelle (1815-1818), les nonces dans les cours catholiques ont le pas sur les autres ambassadeurs.

2. De T'Serclaes, *l. c.*, p. 213.

Pontifici partis alicujus possessionum antiquarum S. Sedis [1]. "

Insuper ipsissimus Bismarck in cœtu publico legifero Imperii Germanici aperte agnovit characterem internationalitatis Romani Pontificatus, dum dixit: " Papa nullibi est extraneus; de facto ipse cives est nationum omnium; omnesque gentes cum eo connectuntur [2]. '

Imo et ipsi " Italianissimi" evidentia coguntur characterem internationalem potestatis civilis Papæ agnoscere. Ita, inter alios Visconti-Venosta, Minister rerum externarum, aperte in comitiis publicis declaravit 21 Aprilis 1871 Papam omnibus gaudere juribus Monarchæ independentis, et quidem nequaquam ex gratia vel concessione Regni Italiæ, sed e natura rerum. Signatum apparet supremum ejus Dominium signaculo venerabili sæculorum ; agnoscitur ab omnibus guberniis vel per pacta solemnia vel per diplomaticas relationes, quæ adhuc perdurant [3].

8. Quoad alias objectiones earumque confutationes ipsissimum audiamus Christi Vicarium :

" Oggeri solet : ad civilem Pontificis Principatum restituendum magnis commodis atque utilitatibus iam obtentis opus esse abdicare ; — progressus modernos nihili facere ; — et ad medium aevum usque regredi.

" Sed istae rationes eiusmodi non sunt, ut quidquam valeant.

" Cui enim bono, quod verum sit atque legitimum, sese Pontificis regius Principatus opponeret ?

" Certum est civitates regionesve, civili Pontificum Principatui olim subditas ab exterarum gentium dominio subeundo saepius idcirco servatas fuisse, atque indolem moresque pure Italicos semper continuisse.

" Nec vero hodie aliter contingere posset ; nam Ponti-

1. Prélot, *l. c.*, 440.
2. Cardin. Vaughan, *l. c.*, cap. 1.
3. Cardin. Vaughan, *l. c.*

ficatus, quamvis ob eam, quam divinitus accepit, Missionem universalem atque perpetuam ad omnes gentes pertineat, tamen S. Sedis caussa, hic divina Providentia constitutae, speciali ratione est gloria Italica.

" Dein, an civilis unitas bonum adeo absolutum nationibus constituere dicenda sit, ut sine illa nec prosperitas nec amplitudo ipsis esse possit ; aut ita excellens, ut cuivis alii bono sit praeferenda ?

" Respondeat pro Nobis factum ipsum: nationes videlicet florentissimae, potentes, gloriosae, quin tamen hanc civilem unitatem vel unquam habuerint vel in praesenti habeant.

" Itemque respondet ipsa ratio naturalis, *in omni conflictu bonum iustitiae ut praevaleat oportere, utpote praecipuum felicitatis et stabilitatis fundamentum in omni Principatu ;* praesertim vero quum, ut hic evenit, colligatur cum praestantissimo bono Religionis ac universae Ecclesiae. Quo coram haesitandum minime est.

" Nam si Dei Providentia, actu amoris praecipui erga Italiam contigit, ut in eius sinu magnifica Pontificatus institutio consisteret, quo certe omnis natio magno se dignatam honore sentiret, iustum est, ab Italis omnes difficultates parvi pendi ut illum penes se in ea conditione, quae eidem convenit, studiose adservent.

" Idque eo magis quod non exclusis aliis utilibus temperamentis et praetermissis aliis pretiosis commodis, Italia ex concordia cum Pontificatu cerneret potenter conflatam religiosam unitatem, quae unitas cuiusvis alius fundamentum est, et fons maximorum bonorum socialium. "

9. Pontificii dominatus hostes ad civilem cultum atque progressum appellant. Ast hic prius progressum veri nominis a falso progressu distinguamus oportet.

Verus progressus societatis in hoc situs est ut ea ejusque civilitas conserventur et identicæ perseverantes, incrementis et perfectionibus augeantur : quod videre est in plantis, quæ

a tenero frutice ad robustam arborem eamque fructiferam deveniunt. Progressus autem falsi nominis potius est destructio quam conservatio, ita ut nova societas, nova civilitas in locum prioris succedat, quemadmodum, si salicis eradicatae loco plantaretur quercus.

Ecquis sustineret ad verum progressum socialem in Europa, abrumpendum esse cum ea institutione quæ societates ad apicem provexerit? Quomodo societas dici posset progredi, quod est gressus facere continuos ad fastigium civilitatis, quum prius penitus desinere et eradicari deberet?

Ast aures præbeamus ad monita Pontificis.

"Quo melius ab initio nos invicem intelligamus, dicendum est: id solum potest verum hominis progressum constituere quod ad intellectum moresque perficiendos conducit aut saltem huic perfectioni se non opponit. Atqui id genus publicae civilitatis seu progressus fons fecundior quam Ecclesia non extat, cui hominem ad veritatem rectamque vitam semper promovendi missio demandata fuit.

"Quodcumque aliud progressus genus, extra hosce terminos positum, reapse aliud non est quam regressus, nec nonnisi hominis dignitatem detrahere potest atque illum in barbariem propellere; et huius pseudo-progressus neque Ecclesia, neque Pontifices, sive ut Christi Vicarii, sive ut civiles Principes, possent aut vellent, pro maximo societatis humanae bono, se fautores exhibere.

"Quidquid vero sive scientiae, sive artes, sive demum humana industria novum repererint, aut deinceps reperire poterunt, ad vitae utilitatem et commoditatem provehendam; — quidquid honestum commercium aut tum publicam Regnorum, tum etiam privatam civium opulentiam augendam iuvat, — quidquid non morum licentia, sed vera atque homine digna libertas est, — id totum Ecclesia pergratum habet, atque illud in civili Pontificum Principatu sese explicare largissime potest.

" Ipsi etiam Pontifices, si quando fuerint in sui Principatus possessionem restituti, omnibus illum amplioribus civilis perfectionis accessionibus, quarum capax est, augere non omitterent, habita ratione exigentium temporum et novarum societatis necessitatum.

10. "Contra Romanorum Pontificum civilem dominationem accusatio frustra producitur, eam medii Aevi foetum esse.

" Etenim haberet, ut iam dictum est, eas rerum mutationes opportunas atque utiles, quae novis hisce temporibus imponuntur.

" Insuper quamvis in sua substantia idem nunc ea foret, quod medio Aevo erat, Dominatio videlicet suprema ad autonomiam Romanorum Pontificum et libertatem, in exercitio supremae eorum auctoritatis tuendam ordinata, — quid inde inferri posset ?

" Praestantissimus finis cui illa servit; — emolumenta multa, quae ad catholici Orbis tranquillitatem et Principatuum quietem confirmandam, proveniunt ; — mitis ac suavis ratio, qua Dominatio ipsa exerceri solet ; — impulsus validus quem cuiuslibet generis scientiis civilibusque institutionibus semper dedit, — elementa sunt quae omnibus aeque temporibus gentibusque, sive illa tranquilla sint sive procellosa, et istae sive sint excultae, sive barbarae, procul dubio conveniunt.

" Stultum igitur esset, velle ipsam civilem Pontificum Dominationem, quod saeculis medii Aevi floruerit, amandare.

" Ceterum haec saecula, etsi ut reliquae epochae vitia moresque haudquaquam laude dignos habuerint, tamen emicuere plerisque sive religiosis sive civilibus ornamentis, iisque adeo praeclaris ut ea nolle agnoscere summa iniuria esset.

" Atque eadem prae ceteris nationibus aestimare deberet Italia, quae illo ipso Aevo in scientiis, litteris, artibus, in re militari et maritima, in commerciis civilibusque demum institutis, eam amplitudinem ac nominis celebritatem assecuta fuit, quae vel destrui vel obscurari numquam poterit. "

Ita peremptorie tritis objectionibus respondet Leo XIII (1). Utinam summi Doctoris conceptus in omnium mentes magis magisque pervaderent !

11. Quæ cum ita sint, solum et unicum obstaculum appositum ad restaurationem juris læsi atque turbati ordinis socialis patet esse malefica secta ista Massonum.

Haud immerito ergo Leo XIII huic vitio vertit non solum spoliationem Sedi Apostolicæ illatam, sed et innumera mala quæ Societati Christianæ civili obvenerunt hoc misero nostro tempore. "Apostolica Sedes denuntiavit aperteque edixit sectam Massonum, contra ius fasque institutam, non minus esse christianae rei, quam civitati perniciosam, propositisque poenis, quibus solet Ecclesia gravius in sontes animadvertere, interdixit atque imperavit ne quis illi nomen societati daret." — "Ecclesiae sanctae perniciem palam aperteque moliuntur, idque eo proposito, ut gentes christianas partis per IESUM CHRISTUM Servatorem beneficiis, si fieri posset, funditus despolient." — "Unius saeculi dimiatique spatio secta Massonum ad incrementa properavit opinione maiora... : et tantum iam posse cepit, ut prope dominari in civitatibus videatur. Ex hoc tamen celeri formidolosoque cursu illa revera est in *Ecclesiam*, in *potestatem Principum*, in *salutem publicam* pernicies consecuta, quam Decessores Nostri multo ante providerant (2)."

A) Et sane, ipsa est pernicies in Ecclesiam.

Nonne rejicit omnem Revelationem omnemque auctoritatem doctrinalem ; removet a gubernio reipublicæ, ubi dominatur, principia christiana ; imminuit Ecclesiæ vim et efficaciam in hominum directionem ; destruit sanctam Sedem Apostolicam ; amplectitur naturalistarum perversas opiniones de Deo deque creatione, providentia, immortalitate ; inculcat solam morum disciplinam civicam et liberam, plane inopem et firmitatis expertem ; laxat frena cupiditatibus ?

1. Ep. ad Card. Rampolla, 15 Jun. 1887.
2. *Humanum genus*, 28 Apr. 1884.

B) Ipsa est pernicies in potestatem Principum.

Nonne perfida arte Massones, ut intenta obtineant, Ecclesiam apud populos ludibrio et contemptui exponere solent ; postremo et contra auctoritatem politicam omnem insurgunt ? " Intelligitur imperium, in quo sit, quicumque is est, ministrum esse Dei. Quapropter, quatenus finis et natura societatis humanae postulant, legitimae potestati iusta praecipienti aequum est parere perinde ac numini omnia moderantis Dei : illudque in primis a veritate abhorret in populi esse voluntate positum obedientiam, cum libitum fuerit, abiicere (1) ". Quod nihilominus alte proclamat secta Massonum, cum rebellionem officium bonis civibus sacratissimum vocent (2).

C) Ipsa est pernicies in salutem publicam.

Nonne iterum omnia commovet civilis et christianæ societatis vera fundamenta ? Quid contra familiam et sacra atque inviolabilia matrimonii jura, quid contra justitiam et mores honestos, quid contra harmonicam civium distinctionem non molita est perfida secta ut ordo societatum penitus subvertatur atque portentosa desolatio socialismi, collectivismi et communismi in locum cedat ?

12. De hisce maximis periculis doctrinarum in quas massonicæ opiniones maxime influxere, graviter monet Pontifex; ast non supervacaneum æstimo et ex ore ipsorum Massonum accipere quomodo nihil antiquius ipsis sit quam, uti fatetur Lessing, demolire et reædificare, demolire nimirum totum organismum præsentis societatis, ac reædificare novam quamdam formam ad exemplar ipsius sectæ modulatam (3).

Hic plurimos forsan fugit quantopere secta adlaboraverit huic falso spiritui democratico aut potius demagogico propagando quo impræsentiarum penitus cuncti imbuti sunt

1. Encycl. *Humanum Genus*, 20 Apr. 1884.
2. Fichte apud Gyr, p. 130, n. 17 et Heimburger, ibid., p. 95.
3. Onclair, p. 304.

populi, quantumque hunc proclament suam caram sobolem omni spe plenam ([1]).

Recte auctor quidam hanc pessimam demagogiam filiam hujus maleficæ sectæ nuncupavit. Longius esset, fastidiumque lectori afferret citare testimonia primipilorum sectæ.

Hanc democratiam salutant ut triumphum humanæ rationis, quæ usque ad consummatam evolutionem jam pervenit, ubi primum populi a tutela Principum sunt emancipati. Hujus curam commendant hisce ferventioribus verbis : " Quærat quis an proles cara in lucem nuper edita possit jam a matre sua sejungi atque privari ? Eheu ! Væ proli, quæ matre orbatur ! Quod si tanto temporis spatio (unius sæculi et dimidiati) opus fuit ut hæc concepta nasceretur ; haud dubium est, quin labor Massonum per longa adhuc protrahendus sit sæcula, antequam et progenies illa curis egere desinat, ipsaque secta suum opus consummatum videat. "

Sic jam canticum victoriæ efferunt Massones, ne dum ab opere incepto desistant. Quo enim modo secta, in omnibus fere modernis eventibus incarnata quasi pervivax existit ; et eam a nefario scopo prosequendo destituram putares!... Minime quidem. Una cum socialisticis sectis quibuscumque, imo in eis, vivere ac spirare videtur monstrum, ut societatem funditus subvertat ; et hoc idem per gregales plebis, acclamata falsa libertate, æqualitate et fraternitate civium fascinatos atque agitatos, executioni mandare studet. Ita, ut ausus est dicere Supremus Moderator Sectæ in Italia, famosus Lemmi : " opponetur terrestris civitas civitati Dei " — " corruet Vaticanum sub ictibus mallei Massonum " — " ejusque dispergentur lapides ut templum surgat nationalitatis" — " vel totius humanitatis ". — " Cum clericalismo contra Massones certare numerantur hi omnes qui pristinum invocant rerum ordinem ; quicumque nempe maximas atque ineluctа-

1. Frischer apud Gyr, p. 113-116.

biles transformationes in futurum apprehendere videntur ([1]) ". Ita denique perfida secta cum jam arce veritatis et christiani ordinis sit potita, novi Paganismi seu putidi naturalismi condet universale regnum, sicut olim conditum cernimus Universale Romanum Imperium, sicut Ecclesiam a Christo tanquam universale Dei regnum inter homines divinitus institutam novimus.

13. Cæcus est ergo, qui non videt in restitutione S. Sedis et restauratione ordinis socialis veri, unam eamdemque agi causam ; cæcus est qui non cernit, unum idemque obstare impedimentum quominus utraque ad felicem perducatur exitum ; cæcus est, qui non perspiciat consilia sectæ ; quomodo hæc percusserit Sedem Apostolicam, ut certo certius separet populos ab ea ; populos vero alienare conata sit ut eos absque remedio in perniciem projiciat. Hoc consilium executioni mandatur quod antiquitus inierunt ipsi inimici Christi Salvatoris : " Percutiam pastorem et dispergentur oves gregis ([2]). "

Quam ad perniciem amovendam adhibenda sunt remedia ab ipso Pontifice assignata : observantia decretorum Apostolicæ Sedis, sollicitudo episcopalis in sectarum artificiis detegendis, defensio veritatis catholicæ verbo et scriptis et opera etiam virorum laicorum. — Præterea ait Pontifex : " oppugnatio tam vehemens propugnationem postulat parem : nimirum boni omnes amplissimam quamdam coeant opus est et agendi societatem et praecandi ". Eo spectat et cœtus virorum qui sub titulo "*Ligue antimaçonnique*" prodiit ad ruinam sectæ prosequendum ejusque nefaria secreta detegendum et cui anno 1885 Pontifex suam largitus est benedictionem ([3]). Eo spectare debent catholici operariorum cœtus i. e. scholæ seu collegia opificum, quorum, in rebus simul et moribus, duce religione, tutandis, utilitatem sentiet fortasse

1. *Léon XIII*, de T'Serclaes, II, ch. 28. — Encycl. 20 April. 1884.
2. *Matth.*, XXVI, 31.
3. *Questions du jour sur la franc-maçonnerie*, par E. Monniot, Rédemptoriste.

magis ætas nostra. Eo conducunt, ut mandat Leo XIII, et piæ charitatis ac orationis sodalitates sicut Tertius Ordo S. Francisci et societas S. Vincentii [1].

Ast in primis ad perniciosam sectam uno ictu profligandam et simul totum socialem ordinem assecurandum, quis est qui non videat quantopere opus habeamus ut Pontifex in pristinum vindicetur Principatum, ut Papa sit denuo Rex Romæ ?

Constit. *Humanum genus*, in calce.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Per restitutionem Dominii S. Sedis reintegrabitur ac iterum consecrabitur pristinum jus internationale, per "*non interventionis*" placitum misere quassatum, et tuta pace frui ac efflorescere poterit non solum Italia, sed Europa atque totus terrarum Orbis.

1. Nihil humanitus sperandum est a gubernio massonico. — 2. E contra precaria exinde omnis forma Regiminis in Italia. — 3. In primis monarchica. — 4. Ut constat ex factione sponte inhiante formæ liberiori. — 5. Qua ex re discrimen maximum. — 6. Obventura prosperitas ex restituto jure internationali pro Roma. — 7. Pro tota Italia. — 8. Restauratio pristini juris christiani proficua quoque universæ Europæ. — 9. Ut clare constat ex historica evolutione nationum. — 10. Ex origine genuini juris internationalis qua Europa floruit. — 11. Reintegretur ergo sacrum jus illud : et cesset armata pax hodiernarum nationum sibi invicem invidentium. — 12. Papa sit iterum rex Romæ et moralitatis causa poterit reassumi Concilium Vaticanum atque exhiberi exemplar status civilis vere christiani. — 13. Papa sit Rex Romæ et practice ostendere poterit quomodo cura gerenda sit de conditione opificum. — 14. Papa et hodiedum exstat necessario centrum totius societatis cui aut adhærebitur aut contradicetur.

1. Sed, objiciunt alii, nullus Rex Italiæ, Urbem cedere posset Pontifici, quin statim exsurgeret maxima rerum perturbatio ; Roma est et manet *intangibilis !* Definitiva est actualis situatio !

Distinguo : Nullus Rex qui servus esset Massonum et studeret ipsorum falsis principiis, concedo ; nullus Rex qui veram securitatem ac felicitatem Patriæ Italiæ præ oculis haberet, nego.

Insuper, nego totum assertum. Tot regna et imperia visa sunt intangibilia et subito corruerunt. Sufficit ultimi imperii

Gallici fata in memoriam revocare. Gloriabatur superbus Napoleo III solemni plebiscito suo, quo solium suum admirabiliter stabilitum arbitrabatur; gloriabatur *Expositione* quoque sua universali, occasione cujus tot Reges ac Principes hospites Parisiis habuerat; et ecce subito quasi levatur in eum hostis externus, potentissima Germania; levatur hostis internus communismus, terribilis; levatur brachium Omnipotentis, qui adest Rex regum et Dominus dominantium, ut superbum Imperatorem humillime deprimat, solium ejus confringat, progeniemque extinguat. Quis est qui regnum præsens Italiæ a talibus eventibus securum existimet? Quis est qui scrutari possit ea omnia quæ in futurum servantur incerta? Quis est qui prænuntiare queat utrum necne post tot tantasque prævaricationes, post tot molimina benevolentiæ Dei ad pristinum resarciendum statum pristinamque inter Pontificem et Italiam restituendam gratiam, a Providentia et ipso Pontifice ultro oblata, necnon toties recusata a detentoribus Gubernii; quis est, inquam, qui prædicare possit utrum necne tandem maneat supremos Italiæ moderatores clades suprema haud absimilis huic, quam Imperator Galliæ est expertus?

Ast si consilium Dei abyssus est multa, ejus lex tamen nobis sic innotescit: quo modo enim gentes nascuntur, eodem et interire solent. — Concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur. — " Justitia elevat gentem, miseros autem facit populos peccatum ([1]). "

Propterea labile æstimamus regnum Italicum, quod revolutionibus et agitationibus ortum debet, quod nititur minime justitia sed peccato, quod jam hodiedum quassatur factionibus saluti societatis summe perniciosis.

2. Verum enim non fulcitur præsens Italiæ regimen illo vero et firmissimo legitimitatis jure, quod usque ad sæc. XVI integerrimum viguit inter gentes, cuique Europa totam

1. *Prov.*, XIV, 34.

suam gloriam totumque præstigium adscribere debet, et cujus reliquiæ hactenus, etiam gentes conservare cernuntur. Hoc antiquo jure internationali inniti oportuisset ad condendum solidum ac firmum regnum : singulæ enim civiles societates, velut personæ morales, etsi altera ab altera non pendeat, et communi imperio non subjiciantur, tamen quibusdam officiis et juribus invicem colligantur ; ac proinde inter eas existit quædam communio, seu socialitas quæ internationalis appellatur. Atque in primis officia et jura, quæ vi naturæ ad societates civiles secum invicem comparatas pertinent, ejusdem generis sunt, ac ea, quæ inter individuos existunt ; itaque tum ad officia justitiæ, ne una alteri faciat, quod sibi fieri nolit, tum ad officia benevolentiæ gentes inter se comparatæ tenentur ([1]). Sed eheu ! jus illud internationale, jus christianum præsertim, pedibus calcatum fuit per iniquam invasionem Principatus S. Sedis et Urbis necnon per applicationem nefarii et funesti placiti, ut aiunt, non-interventus.

Nullo ergo nititur jure recens Italiæ regnum, aut si quo innixum videtur, jus est factorum completorum, jus virium materialium, jus plebis vel nationalitatis, ut aiunt, jus quod nec paganum nec christianum vocare fas est et proinde est labile et nullum. Est enim merum figmentum humanum per sectam Massonum procreatum. Hi enim, quippe totam societatem funditus evertere et de novo creare intendentes, humanitatem ipsam, humanioraque mores ac principia tanquam commune vinculum populorum excogitaverunt, quo novus ordo socialis et novum jus niteretur, sub libertate, æqualitate et fraternitate civium universorum ([2]). Ast quam

1. Signoriello. — *Eth. spec.*, II, cap. 2, a. XVII.

2. " Si l'humanité doit progresser, selon la volonté du Grand-Maître, il faut que les vieux échafaudages s'écroulent quand bien même toutes les puissances du monde s'efforceraient de les sauver de la ruine. "

" Le travail de l'esprit de l'époque au temple de l'humanité va progressant sans cesse. "

" La maçonnerie ne doit pas se borner à inculquer aux frères des idées étroites

inane sit hoc fundamentum societatis nemo in præsens est qui non videat. Quid boni potest hæc humanitas cui adversarii societatem superstruere contendunt? " Quid enim vetus homo, inquit S. Gregorius ([1]), quid carnalis homo noverat, nisi sua retinere, aliena rapere, si posset, concupiscere, si non posset? " Quod si itaque jure humanitatis hujusmodi, jure spoliandi ceteros, deinceps regendæ erunt gentes, potius lacerabuntur populi ac cives, imo devorabuntur ab invicem.

Præstat ergo, ut reducant pristinum jus christianum moderatores ipsius Gubernii Italici, ne in patentem jam abyssum regnum atque cives præcipes abire sinant.

3. Actuale enim regimen monarchicum non apex est ad quem agitatores ultimo pertingere conati sunt et adhuc secreto conantur.

Certe negari non potest ipsum italicum regimen in duas veluti factiones esse divisum, quarum una moderatior, altera vero est satanica. Duobus hisce elementis constat regimen illud quod universum populum repræsentare impudenter dicitur, dum nequidem dimidiam partem, eamque pessimam

de politique. *L'organisation de cette institution républicaine et sociale doit servir de modèle aux nouveaux régimes politiques.* Notre constitution est démocratique et son administration représentative... Union des membres des différentes religions dans la religion naturelle, égalité des droits, jouissances communes, action philanthropique universelle, voilà ce qui affermit notre Association.

" Puisque la religion renferme indirectement l'humanité ; puisqu'il faut un certain degré d'instruction pour pouvoir s'élever à l'idée sublime de l'humanité ; puisque les hommes instruits eux-mêmes sont remplis de trop d'égoïsme pour avoir de cette notion une parfaite intelligence, il faut que les temples consacrés à l'humanité restent, quelque temps encore, ouverts à un petit nombre d'élus. Les hommes revêtus du pouvoir et chargés du gouvernement ne comprennent pas encore pour la plupart combien le respect pour l'humanité est nécessaire à l'homme qui a la mission de former de bons citoyens. Les prêtres de la religion, au lieu de voir dans les prêtres de l'humanité (*les Francs-maçons*), des auxiliaires et des préparateurs utiles, n'y verront de longtemps encore que d'odieux rivaux : ils nous accuseraient d'idolâtrie, si nous voulions donner à l'humanité une personnification morale, comme on a coutume de faire pour la divinité. " *Revue maçonnique, Manuel pour les frères.* Altenbourg, 1823, 1er vol. 1re livr., p. 92, apud Gyr., p. 96.

Mazzini aime à se dire le prophète de l'humanitarisme — écrivait Nubius, chef de la Haute vente à Beppo. — Darras, *Hist. de l'Égl.*, vol. 40, p. 363.

1. Homil. XXXII in Evang. S. Matth., c. 16.

de facto repræsentat. Factio autem satanica moderatiorem factionem facile vincit sive strepitu, sive actione. Hæc plebs Massonum, cum logica consecutione ex principiis socialibus ex Gallia proficiscentibus deducta, rem publicam gubernat, non in bonum publicum sed ea præsertim intentione ut omnibus modis possibilibus Ecclesiæ Christi noceat.

Ut indolem exponamus pessimorum virorum ac conjuratorum, quibus hæc factio videtur esse conflata, non possumus non in memoriam revocare ea quæ olim Sallustius de assectis Catilinæ scripsit : " In tanta tamque corrupta civitate, Catilina, id quod factu facillimum erat, omnium flagitiosorum atque facinorosorum circum se, tanquam stipatorum, catervas habebat. Nam quicumque impudicus, adulter, ganeo, alea, manu, ventro, pene bona patria laceraverat, quique alienum aes grande conflaverat, quo flagitium, aut facinus redimeret; præterea, omnes undique parricidæ, sacrilegæ, convicti judiciis aut pro factis judicium timentes; ad hoc, quod manus, atque lingua, perjurio, et sanguine civili alebat; postremo, omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat, hi Catilinæ proximi familiaresque erant. Quod si quis etiam a culpa vacuus in amicitiam ejus inciderat, quotidiano usu, atque illecebris facile par, similisque ceteris efficiebatur. Sed maxime adolescentium familiaritates appetebat; eorum animi molles, et ætate fluxi, dolis haud difficulter capiebantur. Nam, uti cujusque studium ex ætate flagrabat, aliis scorta præbere : aliis canes, atque equos mercari : postremo neque sumptui neque modestiæ suæ parcere, dum illos obnoxios, fidosque sibi faceret (1). "

Huic descriptioni haud absimilis videtur caterva virorum quam secta Massonica tanquam sibi devotissimam Romam arcessivit.

Hæc autem satanica primipilorum Massonum factio est, quæ numquam quiescens, quin sciat quid ultimo tandem,

1. C. Crispi Salustii Bellum Catilinarium. — Amstelodami. — Palmerii, n. 14.

præter omnium destructionem constituere quærat, Romam præ altera factione vehementius concupivit, Romanumque Pontificem, utpote Christi Vicarium et æternæ justitiæ ministrum, satanico atque perpetuo odio prosequitur [1].

En quorum aspirationes equidem hypocritas exaudivit massonicum gubernium subalpinum in occupatione Urbis. Longe major et sanior Italorum pars falsas et nocivas aspirationes istas respuit.

4. Quanto igitur periculo sint regimini actuali pacique totius Italiæ impossibile est dictu.

Mazzini qui Pio VIII et Gregorio XVI regnantibus (1829-1846) sodalitatem, cui nomen Italia Junior, instituit et cujus adagium : Deus ac populus ! quasi inter supremum Numen ac plebem nullus intercederet mediator nec religiosus nec politicus, primum sonuit classicum ; Italiamque nonnisi Rempublicam fore proclamavit. Carbonarii tamen et coryphei massonici " Altæ-Ventæ " tantum zelum præposterum judicantes, interea, monarchias constitutionales solas opportunas æstimaverunt, iisque elaborandis per totam Europam totis viribus incubuerunt [2]. Quid mirum ? Nonne Massones a priori abhorrent regimen monarchicum, odium fovent in Principes et Reges absoluta potestate præditos adeo ut inhient æqualitati politicæ quam perfectissimæ nimirum reipublicæ summopere democraticæ [3] ?

Regimen actuale non habetur ergo nisi sicut interim, ne diffidentia evigiletur Regum et Principum Europæ, sub quorum umbra et auspiciis malefica secta sua nefaria consilia ad maturum exitum perducere studet.

Quo enim tendunt illæ aspirationes anarchistarum, qui Giordano Bruno statuam erigere cupientes, prius ab auctoritate municipali Romæ repulsi sunt, ast quibus gubernium non ausum est resistere ? Quo ducunt agitationes et mani-

1. Avanzini, *Acta S. Sedis*, t. VI, p. 251.
2. Darras, *Hist. de l'Égl.*, vol. 40, p. 362 sqq.
3. Gyr, p. 89.

festationes summe demagogicæ quæ in quibusdam partibus Italiæ identidem visæ sunt in honorem et exaltationem illius condotieri Garibaldi, Reipublicæ amantissimi ? Quo pertingunt curæ continuæ quibus prohibere conantur ne Europa ullam moveat suspicionem circa spiritum demagogicum quo febricitat Peninsula ? En quæ scripsit exeunte anno 1891 vir quidam majoribus partibus in Gubernio præpositus. Alludit ignominiosis factis et injuriis quæ acciderant operariis peregrinis ex Gallia. " Maxime oportuit hæc fieri, ait ; summopere enim necesse fuit et evertere impressiones bonas quæ Europæ ex manifestatione pietatis filiorum in Patrem obvenerant, simul et obviare eruptionibus et manifestationibus factionis radicalis Nicææ habitis. Nobis permittere non licet ut Urbs videatur adhærere Pontifici et Italia appareat studere Reipublicæ. Ideo nostrum erat et præbere oculis omnium et Romam Italicam atque Italiam esse Monarchicam. " Hunc in sensum loquitur vir ille [1].

5. In regimine Monarchico Italiæ latet anguis sub herba ! Ideo igitur Massones, ubi primum vel suspicionem movent futuræ restitutionis Principatus S. Sedis, toties cladem et stragem ingentem augurari audiuntur : etenim monstrum massonicum certe ultimos adhibiturum est conatus ut victimam suam retineat et ad rempublicam universalem constituendam simul perveniat. Secta, quæ si hactenus passa est formam Monarchicam, uti debuit eo regio ministerio ad tempus, perinde ac Judæi gubernatore Romano contra Christum clamantes : tolle ! tolle ! crucifige eum !... Si hunc dimittis non es amicus Cæsaris ! Ita clamitant in Vicarium Christi.

Ast Pilatus tradidit JESUM voluntati eorum... [2] tunc ergo apprehendit JESUM et flagellavit... Item gubernium Monarchicum inservire videtur sectæ, ut vicarium Christi tradat voluntati eorum, ut contumeliis ipsum afficiat... secus non

1. *Léon XIII*, de T'Serclaes, II, ch. 30, p. 206.
2. *Luc.*, XXIII, 25 ; *Joan.*, XIX, 1-12.

extare posset amicum sectæ prædominantis, brevi eversionem solii novamque formam jam meditantis.

Et ideo sicut Herodes videns, quia placeret Judæis, apposuit, ut apprehenderet et Petrum... quem cum apprehendisset misit in carcerem..., volens post Pascha producere eum populo... [1] ita gubernium istud Monarchicum placere intendit sectæ ejusque consilia executioni mandare cupit, ut ubi primum monstrum tempore maturescere videbit regesque aut sopitos aut propriis negotiis detentos, tandem aliquando suum ultimatum exsequatur.

Eheu! quanto in discrimine igitur versatur non tantum Urbs sed Italia universa, et in quam precario statu politico continuo nunc degit, quassatis sic et conculcatis antiquis principiis juris! Quantopere optandus foret novus status ex reintegratis pristinis juribus internationalibus et reconstituto Principatu civili S. Sedis in Italia iterum efflorescente sub forma aliqua fœderativa! Quam firmissimum tunc quoque conservationis socialis oriretur in Media Italia non solum regimini Monarchico sed et universis regnis Europæ.

6. O fortunata Roma, o felix artium, scientiarum divinarum atque humanarum civitas quæ in statu neutralitatis integerrimæ et sub pacifico gubernio Vicarii Principis Pacis, tute, beate ac prospere vivere posses! Ille enim Rex pacificus, qui tuo regimini præest, non facile bellum indicet alteri nationi, sed ne vellet quidem cum belligerente unquam fœdus inire. " Hoc enim, ait olim Pius VII, quid aliud esset nisi armare velle Patrem in filios, filios in Patrem, et Ecclesiam Dei, sanctissimum illud charitatis, pacis, mansuetudinis, virtutum omnium domicilium, infinitis miscere quæstionibus? Quid nisi velle, ut summus Ecclesiæ Pontifex jam non a Deo vocatus sit tamquam Aaron, sed alter Ismael sit, *ferus homo;* manus ejus contra omnes et manus omnium contra eum, et e

1. *Act. Apost.*, XII, 3-4.

regione universorum fratrum suorum figat tabernacula (1). "

Quam felices et prosperæ sunt nationes neutrales, ab omni flagello belli immunes!

Quam beati populi qui non habent historiam, ut dicit vetus adagium!

Quam misera et pauper facta est Italia præsertim a tempore quo stultum et inane bellum incepit in Erythræa!

Quam felix Urbs si a duro jugo servitutis gubernii massonici liberata, posset iterum Dominium fieri temporale Vicarii Christi!

" Paterna sollicitudo qua Romani Pontifices erga sibi servientes populos semper affecti fuerunt, ipsis suggereret publica vectigalia mitiora etiam in praesenti reddere; — pia charitatis opera et beneficentiae publicae instituta ampliori qua possint generositate promovere; — coetuum indigentium atque operariorum, eorum sortibus in meliorem conditionem adductis, specialem curam suscipere; — uno verbo, suum Principatum etiam nunc ita moderari, ut prae omnibus aliis civilibus institutis, ad subditorum prosperitatem procurandam foret aptissime comparatus (2). "

Roma autem, Urbs autonomastice catholica, christianæ Religionis centrum, et Christi Vicario Sedes divinitus præstituta, sub miti et paterno Pontificis imperio iterum collocata, inciperet rursus esse id, quod eam Providentia divina et sæcula fecerant: non eo usque diminuta ut sit parvi regni miserabile caput, nec binis potestatibus distenta, qui dualismus toti hujus Urbis historiæ est prorsus ignotus: — sed dignum caput totius Orbis catholici, Urbs magna et venerabilis ob Christi Vicarii majestatem unicam, honestatis et civilis culturæ ceteris populis Magistra, Mater, refugium et exemplar. Iterumque et quidem pro merito diceretur:

" O Roma felix.... ceteras,
" Excellis Orbis una pulchritudines!

1. *Gen.*, XVI, 12. — Alloc. 16 Mart. 1808.
2. Litt. ad Card. Rampolla, 15 Jun. 1887.

" Non sunt hae futiles mentis illusiones, sed spes, perquam solido ac veraci fundamento innixae ([1]). "

" Sortes Romae sacra quadam atque indissolubili ratione cum sortibus Vicarii IESU CHRISTI sunt ligatae ([2]). "

7. Restitutio Dominii S. Sedis non tantum Urbi sed et toti prodesset Italiæ " cuius in sinu Deus Vicarii sui sedem, singularis ac praecipui amoris actu collocavit... Salus agitur universae Nationis, et quidem talis Nationis, quae a primis ipsis Ecclesiae temporibus Fidem catholicam laeta excepit, eamque semper sollicite custodivit ([3]). "

Hæc enim Italia quæ inter ceteras christianas regiones armorum ingenio, scientiis, artibus, virtutibus enituit, sicut rosa inter flores, et iterum novo splendore novaque prosperitate effloresceret, ubi primum salutifero influxu Pontificis ut planta sub radiis solis posita foveretur.

Quod enim una pusilla Respublica quoad artes præsertim patravit, nec latissima moderna imperia tentarunt. Unde fere omnes Italiæ civitates exemplo Urbis Romæ scientias et artes impense coluisse, innumera superbaque monumenta etiam rudibus testantur. Idcirco in facto apertissimo est, in dies armorum potentias, scientias et artes defecisse, cum eo magis cupiditas et vis libertatem et independentiam illam proculcaverint. Nil itaque mirum, quod nostris temporibus jam plures ad ætatem illam pristinam redire exoptant ([4]).

" Pacificandi studium, quo sumus erga gentes omnes affecti, utinam possit, qua velle debemus ratione, prodesse Italiae, quam cum Romano Pontificatu tanta Deus necessitudine coniunxit, quaeque maxime Nobis cara est ipsius commendatione naturae.

" Nos quidem, quod non semel diximus, et diu et vehementer hoc expetimus, ut omnium Italorum animi secura

1. Leo XIII, Epist. ad Episc. Ital., 16 Oct. 1890.
2. Epist. ad Card. Rampolla, 15 Jun. 1887.
3. Leo XIII, Encycl. 15 Oct. 1896.
4. Pallottini, *Sac. et Imper.*, II, c. 2, a. 1, n° 29, pag. 280,

tranquillitate potiantur, et funestum illud cum Romano Pontificatu dissidium aliquando tollatur; verum incolumi iustitia et Sedis Apostolicae dignitate, quae sunt non tam populari iniuria, quam coniuratione praesertim sectarum violatae.

" Scilicet ad concordiam aditum esse oportet eam rerum conditionem, in qua Romanus Pontifex nullius sit potestati subiectus, et plena, eaque veri nominis libertate, prout omnia iura postulant, fruatur (1). "

Huic allocutioni alludit Sanctitas Sua in Litteris ad Cardinalem Rampolla datis : " Ex illis quidem sensus a Nobis conceptus evidens sua sponte prodibat, conditionem nimirum religiosæ pacificationi in Italia perficiendæ absolute necessariam esse, verum *Romano* Pontifici tribuere regium Principatum. "

Nemo tam pater Patriæ, nemo tam benefactor Italiæ quam Pontifex Romanus. Solus poterit hanc terram electam liberare a malis moralibus et a variis plagis socialibus.

" Unum ex gravissimis ac maxime formidandis periculis, quae civili societati praesenti tempore imminent, sunt procul dubio tumultuosa socialistarum machinamenta, quae eam ab imis fundamentis susdeque vertere minaci ausu nituntur.

" Ab huiusmodi adeo gravi periculo Italia immunis non est; et quamvis aliae forsan nationes hoc eversionis et rebellionis spiritu plus quam Italia funestentur, nihilo tamen minus verum est, etiam in ea hunc eumdem spiritum latius in dies serpere ac quotidie maiores vires acquirere.

" Cuius sectae adeo est natura perfida, tanta ob sui mire compactam constitutionem potentia, tanta propositorum audacia, ut omnes vires huic calamitati avertendae opportunas conferre opus sit, ad illius sistendos progressus, atque impediendum triumphum.

" Harum omnium virium princeps ac potentissima ea est, quam una Religio atque Ecclesia suppeditare potest; sine

1. Alloc. 23 Maii 1887.

hac leges etiam severissimae, rigidissima Tribunalium edicta, ipsaque armata vis inutilia atque imparia evadunt.

" Quemadmodum olim contra barbarorum agmina materialis vis necquidquam valuit, sed sola christianae Religionis virtus, ita etiam nunc effrenato multitudinum rebellium furori nullus sine Religionis virtute satis validus obex opponi poterit.

" Itaque Religionem oppugnare idem est ac Italiam subsidio orbare omnium potentissimo ad hostem, qui minacior in dies fit atque formidabilior, invicte debellandum (1). "

" Fac e contra Religioni atque Ecclesiae, tamquam omnium validissimo reipublicae vertici, veram libertatem et integrum iurium suorum exercitium, quam felix in Italia suae sortis immutatio eveniret!

" Detrimenta et pericula, consectaria belli quod in Ecclesiam modo geritur, omnino evanescerent.

" Haud satis : Sed et amplissimus honor ac praeclara gloria, quorum Religio et Ecclesia semper fuit altrix fecundissima, iterum in electo Italiae catholicae solo florerent.

" Ex utriusque divina virtute publicae et privatae vitae morum correctio sponte inde germinaret; naturalia familiarum vincula confirmarentur, atque in omni civium ordine, sub morali ac religioso Ecclesiae influxu, officii sensus et fidelitatis vividius excitaretur.

" Reconciliata pace cum Ecclesia, religiosa unitas ac civilis concordia arctius coagmentaretur; divisio cessaret inter catholicos Ecclesiae fideles atque Italiam, quae hac ratione elementum ordinis ac salutis validissimum acquireret.

" Aequis Romani Pontificis postulationibus exceptis, supremis eius iuribus agnitis ac vindicatis, eodemque Romano Pontifice in eam iterum conditionem restituto, in qua vera, plena atque integra libertate frueretur, caussa abesset cur

1. Encycl. 15 Oct. 1890.

catholici in reliquis terrae partibus degentes, Italiam communi ipsorum Patri inimicam existimare deberent.

" Quinimo ex vitae concordia cum Apostolica Sede Italiae honor atque aestimatio penes ceteros populos profecto excresceret; quae quidem Apostolica Sedes, quemadmodum speciali modo Italis, in medio eorum sita, praesentiae suae beneficia olim experienda dedit, ita Fidei thesauris, qui ex hoc benedictionis et salutis centro semper quaquaversus diffusi sunt, effecit, ut in omnes gentes spectabile ac reverendum Italicum nomen perferretur.

" Italia cum Romano Pontifice reconciliata, suaeque Religioni fidelis, ad avitas glorias rite aemulandas adduceretur. Quidquid vero est ac dicitur legitimus nostrorum temporum progressus, calcar eidem Italicae nationi admoveret, ad ulterius in incepto praeclarissimo civili cursu alacriter progrediendum (1)".

Religionis diminutio, consequentia spoliationis S. Sedis, gravius Italiæ infert detrimentum quam aliis nationibus; quapropter e converso restitutio Dominii S. Petri majus dabit ei emolumentum.

" Potissima namque eius decora, perquam gloriosa gesta, ob quae inter ceteras omnium maxime excultas nationes Italia diu primatum obtinuit, ab catholica Religione, quae vel eorum caussa fuit, vel ea inspiravit, vel certe favore atque ope quovis tempore prosecuta est auxitque, separari nullo modo possunt.

" Religio, quia a Deo provenit, immortalis est. Ipsa thesauros cuiuslibet ferendae opis obtinet, ac remedia efficacissima omnibus quorumcumque temporum et locorum indigentiis probe novit adaptare.

" Quod aliis temporibus facere et novit et potuit, etiam nunc, nova semper et robusta virtute facere omnino potest.

" Itaque Religionem Italiae auferre idem est, ac inaesti-

1. Encycl. 15 Oct. 1890.

mabilium thesaurorum fontem fecundissimum uno ictu exsiccare [1]. "

Libertatem autem pristinam reddere S. Sedi et per eam Religioni benefactrici esset Italiam a ruina et ab hostibus suis infensissimis penitus liberare.

" Propositio quae iamdiu pervulgari cepit, catholicos ac ipsum Pontificem Italiae hostes esse, et factionum, quae omnia subvertunt, foederatos socios, omnino gratuita iniuria atque impudens calumnia est, a sectis studiose sparsa, ut sua perversa consilia hoc pallio tegant, nec obicem offendant qui ipsis iter obstruat in patrando impio scelere, quod est Italiam catholica religione orbare.

" Apprime verum est catholicos Patriae suae omnium optimos amicos esse, eosque virilem veracemque amorem non modo erga avitam Religionem sed etiam erga Patriam ostendere, semet a Sectis avertentes, earumque spiritum et opera aversantes, ac totis viribus adnitentes, ne Italia amittat, sed imo ut vividam tueatur Fidem ; ne Ecclesiam impetat, sed ut eidem veluti filia fideliter serviat ; ne Pontificatum hostiliter aggrediatur, sed potius ut cum ipso reconcilietur [2]. "

8. Sed et orbi universo perutilis esset instauratio juris internationalis christiana ex reintegrato Principatu civili S. Sedis sic obfirmanda.

Quanta ubique sit rerum omnium perturbatio, quantus in Europa motus, ecquis non videat ac non doleat ? " Infecta est terra ab habitatoribus suis quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt foedus sempiternum. "

En quomodo Pontifex clare adscribit mala tentaminibus eorum qui loco veri juris Christiani, novum jus ex novo figmento humano humanitarismi condere voluere.

" Hæc autem malorum congeries, inquit Pius IX, ab iis

1. Encycl. 15 Oct. 1890.
2. Encycl. cit. 15 Oct. 1890.

maxime repetenda, qui, ut suam per Italiæ fines ditionem extendant, ***humana quæque jura ac divina audacter perverterunt***; — qui publicæ se felicitatis auctores jactant, quocumque tamen pervaserint, ibidem sævissimæ veluti tempestates impressa relinquunt furoris excidiique vestigia.

" Utinam aliquando redeant insipientes ad cor ; nimirum intelligant, Religione sublata, nullum humanæ societati superesse præsidium, tum ad stabilitatem, tum ad quietem.

" Utinam sibi aliquando persuadeant unam esse Catholicam Religionem, in qua civitatum et regnorum incolumitas salusque nitatur (1) !"

— " Ecclesia, ut ait Leo XIII, magna vi ac virtute non aeternae animarum saluti tantummodo, verum etiam totius humanae societatis saluti procurandae, idonea, affatim praedita est.

" Et quoniam adversarii iamdiu omnem in civile consortium auctoritatem Ecclesiae demere et ab ipsa populos et Dominatus avertere contendunt, eam suspectam invisamque reddere atque ipsis inimicam esse persuadere conati sunt,— Nos, contra, quoad potuimus, tamquam Principum et populorum maxime amicam, uti re ipsa est, atque omnium optimam benefactricem continenter ostendimus : hos cum Illa in gratiam et concordiam reducere, amicas relationes inter S. Sedem nationesque varias vel renovando, vel arctius obstringendo, firmandoque ubique religiosam pacem, enixe studuimus (2). "

9. Et re quidem vera ; si attente intuemur nationes per Orbem universum dispersas, si tabula in qua Orbis terrarum describitur præ oculis habita, consideramus istam plagam angustam sitam inter Hyperboreos montes, Oceanum Atlanticum et Mare Mediterraneum, si comparando hoc spatium exiguum cum tot tantisque regionibus quæ populis innume-

1. Alloc. 27 Dec. 1860.
2. Epist. ad Card. Rampolla. 15 Jun. 1887.

rabilibus scatent ; non possumus quin admiratione percellamur atque obstupeamus, quomodo factum sit ut hæc plaga Europæa adeo ceteris dominetur plagis, ejusque gentes, imprimis vero gentes Germanicæ jam potitæ sint rerum, ubique dominationem exercentes in alios populos tum Americæ, tum Asiæ, tum Africæ, tum Oceaniæ ? Quænam causa et ratio esse possit cur gentes illæ, pereunte magno imperio Romano ac Byzantino, profligatis innumeris sæpe copiis Turcarum, continuo superstites atque incolumes magis magisque efflorescant et tandem exeunte sæculo XIV et ineunte XVI in possessionem jam intrent Orbis universi ? Quodnam vitale principium eruditioni atque formationi earum gentium præfuit, quod eas tam grandes effecerit et adeo excellentes ? Præterea quid est quod ceteræ validissimæ gentes ejusdem vero stirpis, sed Arianismo deditæ, sicuti Gothorum, Vandalium, Longobardorum, non item dominationem arripere successerint ?

Patet supra datum responsum Pontificis : " unam esse Catholicam Religionem, in qua civitatum et regnorum incolumitas salusque nitatur. "

Priores nationes firmiter adhæserunt centro ordinis quod Divina Providentia in terris stabilire dignata est, Religioni nempe Catholicæ, quæ cum sola vera, tum proinde cunctis populis, quippe qui facile ejus divinitatem agnoscere possunt, sola obligatoria est ac humano generi proficua ([1]). Per hanc homo rursus ad ordinem institutum, ut dicit Augustinus, id est supernaturalem, evehitur, filius ejusdem Dei nominatur et est : hinc omnes in Christo restauratore, et sub Vicario ejus, fratres, cohæredes, ac Dei ipsius hæredes in toto terrarum Orbe, proclamantur.

10. " Qua de re, amplissima hac hominis restauratione, nova illico familia, nova civitas, novum regnum exurgunt. Nam, parentes filios, ut decet, diligunt ; domini jure necis

1. Signoriello, *Ethica spec.*, cap. II, art. 20.

in servos non amplius pollent : imo, illos uti fratres diligere tenentur. Mutuum proinde vinculum pacis et caritatis, non terror ac mors, individuos cujusque familiæ nectit ac fovet. Nec vis aut cupiditas et necessitas rerum hostiumque incursus gentes per Orbem diffusas in unum colligunt ; sed novus ac mutuus amor necnon jus novum internationale, amplissimum ac respectivum munus, omnes blande flectunt ac urgent, ut quisque laboribus simul collatis, utrumque bonum æternum ac temporaneum facilius assequatur. Nullus hinc advena, nullus in toto mundi Orbe infensus hostis : omnes in unam veluti familiam sponte ac libere conveniunt. Idcirco bonum quod alius consequitur, alteri invidiam non affert ; sed potius oblectamentum præbet. Singuli enim mutuo fraternæ caritatis fœdere inito, aliorum bonis uti sibi partis invicem fruuntur.

" Unde novi christiani populi non vi armorumque potentia, sed verbo et amplissimo amicitiæ fœdere cum respectiva omnium independentia, sub uno communi Patre, in unum convenire debent. Qua de re Romanus Pontifex, Petri successor et ipsius Christi vices gerens, non alias ac maximus omnium Regum populorumque Pater, novum etiam jus internationale, inter illud omnium populorum excidium, naturaliter prætulit, evolvit ac strenue firmavit.

" Enimvero nemo alius Princeps exstitit ac esse posset caput totius christianæ familiæ, nec respectiva Urbs centrum esse poterit omnium populorum, nec propterea centrum juris internationalis. Quum enim omnes christiani Principes sint jure æquales, etsi alius præ alio ingenio, armorumque potentia illustrior fortiorque, nemo potiorem illam principalitatem, qua Pontifex et rex Romæ pollet, præferre potest, ut principium atque centrum juris internationalis naturaliter evadat. Idcirco, quemadmodum plures familiæ jure æquales in municipium, plura municipia jure pariter æqualia in provinciam, plures provinciæ item jure æquales in rempublicam vel

regnum naturaliter conveniunt, ita et plures respublicæ vel regna jure penitus æqualia tandem naturaliter in hujusmodi caput ac centrum convenire debent, quod ceteris præstet, potioremque præferat principalitatem. Quidquid enim ex concordia præstituitur, id nequit esse naturalis ac firma totius christianæ societatis basis et fundamentum.

" Qua de re, nisi protestantismus christianam familiam ab tanto Patre nequiter scidisset, nemo ex christianis populis terrificam hanc adeo faciem atque statum præferret, ut, dum omnes jam propriis ruunt viribus, communismus et socialismus cuncta petrolio comburere minitentur. Namque maximus Pater vires ac ingenia totius christianæ familiæ, profligatis jam Saracenis Turcisque, ad ampliandam civilitatem eamque inducendam penes alios populos direxisset.

" Unde Romanus Pontifex dumtaxat est naturalis fons, amplissimum centrum ac legitimus arbiter juris internationalis. Idcirco Roma est adhuc Urbs totius christiani Orbis [1]. "

11. Restauretur ergo per restitutionem Dominii temporalis S. Sedis jus illud internationale quo vertente sæculo XV christiani populi mirabile civilitatis spectaculum præ se tulerunt, et bona obvenient innumera.

Enim vero ex quo schisma et hæresis Principes populosque plus minusve ab maximi Patris veneratione sejunxissent, atque rebellio gallica ac nuperrima spoliatio opus consummasset, sic usque magis vis ac potestas juris internationalis in dies evanuit, ut in præsens jam Principes ipsi necessitatem constituendi arbitrorum consessum alte persentiant. Nam cupiditas et vis levissimis de causis passim arma cum ingenti christiani populi strage ministrant, quin sit amplius qui bella coercere vel mitiora reddere valeat. Haud ægre ergo suprema illa auctoritas consistere possit, si summum, qui in religione catholica est, Pontificem, communem om-

1. Pallottini, *Sac. et Imp.*, I, cap. II, a. 2, n. 68. — II, cap. II, a. 1, n. 34, 32-35.

nium populorum doctorem et patrem societas nostra adeat ipsiusque judicio controversias dirimendas subjiciat, aut illius saltem consilia exposcat.

Itaque ad vitandos hos conflictus inter armatas nationes, Papa sit arbiter universalis ; sed hunc in finem prius sit ipse Rex independens. Etenim quam præclara unio fieri posset inter nationes, ad tetra bella præcavenda si vellent arbitratum summæ religiosæ ac moralis auctoritatis in Pontifice Rege agnoscere !

Nunc autem ut luget ipse Papa " multos iam annos plus specie in pace vivitur quam re.

" Insidentibus suspicionibus mutuis, singulae fere gentes pergunt certatim instruere sese apparatu bellico.

" Improvida adolescentium aetas procul parentum consilio magisterioque in pericula truditur vitae militaris ; validissima pubes ab agrorum cultura, a studiis optimis, a mercaturis, ab artificiis ad arma traducitur.

" Hinc exhausta magnis sumptibus aeraria, attritae civitatum opes, afflicta fortuna privatorum ; iamque ea, quae nunc est, veluti procincta pax diutius ferri non potest.

" Civilis hominum coniunctionis solemne esse natura statum (1) ? "

Et ut alibi dixit de bello nostra ætate : " Quanto calamitosius hodie futurum in tanta copiarum magnitudine, tam longe provecta rei militaris scientia, tam multiplici ad internecionem instrumento ? "

Et addit Pater Orbis : " Quae quoties cogitamus, magis ac magis caritate accendimur gentium christianarum, earumque caussa non possumus non suspenso animo impendentes formidines pertimescere.

" Nihil est igitur tanti, quanti ab Europa periculum belli prohiberi : ita quidem ut, quidquid in hanc caussam confertur operae, in salutem publicam conferri iudicandum sit.

1. Encycl. *Praeclara*, 20 Jun. 1894.

" Districta minaciter arma ad alendas sunt, quam ad tollendas simultates et suspiciones aptiora : percellunt animos sollicita expectatione rerum futurarum, atque illud nominatim pariunt incommodi ut in cervicibus populorum imponantur onera, incertum saepe utrum tolerabiliora bello ([1]). "

En graphice descripta discrimina et onera pacis armatæ. Quod solus Papa sit et esse possit arbiter natus inter Principes christianos vix et ne vix quidem opus est ut insistamus.

Propter characterem suum supremi sacerdotii erit sanctior et justitia atque impartialitate magis prædītus quam ceteri arbitri generatim sumpti ; ejusque decisiones etiam magis charitatem sapient acceptabilioresque existent.

Propter celibatum, dicere cum Divo Apostolo poterit : " Continuo non acquievi carni et sanguini ut propinquis faverem ", et ita liberior erit ab influxu multorum quibus alii patresfamiliarum opprimuntur.

Propter neutralitatem et parvitatem status civilis Ecclesiæ liberabitur ab influxu politico et a desiderio extendendi imperium suum.

Propter scientiam,provectioremque ætatem quæ experientiam et virtutem parere solent magis, appropinquabit Deo et per altiora justitiæ principia de rebus genuinum atque rectum judicium ferre poterit.

Ideo nec mirum quod sagax cancellarius de Bismarck, quantumvis protestans induratus,imo catholicismi persecutor satanicus exstiterit, tamen Leonem XIII in arbitrum elegit Borussiam inter et Hispaniam in lite ardua circa possessionem insularum Carolinarum.

Quanta sanguinis,sudoris atque lacrymarum effusio, quantæ calamitates bellicæ vere innumerabiles et imponderabiles, quanta peccata mortalia quæ ad æternam damnationem sæpe ducunt, possent præveniri et impediri si Europæ nationes vellent minuere numerum militum suorum, pactum inire sese

1. Alloc. 11 Feb. 1889.

submittendi absolute arbitrio Romani Pontificis, et simul in hanc tantum Nationem per bellum invadere, quæ noluerit sese tanto arbitrio submittere, eamque tandem vi armorum ad plenam cogere obedientiam ([1]) !

De optabili hocarbitra tu merito observat P. Lehmkuhl : " Lors du concile du Vatican, même des voix protestantes s'élevèrent pour prôner l'idée d'un tribunal d'arbitrage qui, sous l'autorité du Souverain Pontife, rechercherait dans les cas complexes de quel côté le droit se trouve, et par son verdict empêcherait bien des guerres. Cette idée sera-t-elle réalisée un jour ? Sa réalisation complète exigerait la reconnaissance préalable du Pape Romain comme Vicaire du Christ, sinon par toutes les puissances, du moins par les principaux gouvernements du monde civilisé. Mais déjà la reconnaissance de l'autorité humaine inhérente à la personne du Souverain Pontife serait d'une importance capitale ; on trouvera certainement dans cette idée le germe de la pacification mondiale, élément essentiel d'une régénération sociale. Il est de toute évidence qu'un Pape, politiquement assujetti à une puissance quelconque, ne jouirait pas de la confiance générale et ne présenterait pas les garanties d'impartialité indispensables pour faire accepter son verdict. "

12. Restauretur legitimus ordo et Papa sit iterum Rex Romæ, atque quantocius pergere poterit concilium istud Vaticanum, mundo tam salutare.

Quod in ordine scientifico sunt magni doctorum congressus, quod in ordine politico sunt legatorum variarum natio-

1. " Le cabinet du Pape voit s'agiter et quelquefois se résoudre toutes les grandes questions qui préoccupent ou troublent les hommes; si tout ne part pas de là, tout finit par y aboutir. En vertu d'une idée qui s'est déjà traduite dans les faits, il est volontiers désigné comme le siège d'un tribunal d'arbitrage pour la pacifique solution des conflits internationaux. Aucune autorité humaine n'est plus universellement reconnue que celle-là... Ses réponses, ses décisions sont attendues ainsi que des oracles. Mais le jour où la teneur d'un de ses mandements déplaira au gouvernement suffiraitalien, il d'un ordre donné à quelque facteur ou employé du télégraphe pour le retarder sinon pour le supprimer. " (Prélot, *Études*, t. 65. p 443, 445.)

num conferentiæ, hoc et multo aliquid majus sunt in ordine spirituali et etiam in ordine morali atque civili concilia œcumenica.

Ibi enim sedent seniores populi christiani, Episcopi quos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei, in unum congregati cum Spiritu Sancto et cum Christi Vicario infallibili: quod decernunt verum est et bonum, quia tale videtur Spiritui Sancto et sibimetipsis.

Et quia homo est imprimis ens morale quod religione dirigi oportet, ideo decisiones concilii œcumenici magnopere prosunt moribus.

Et quia temporale sequitur spirituale sicut accessorium principale, ideo concilia per bonos quos fovent mores magnopere prosunt etiam progressui veræ civilitatis et pacis.

O quanta bona posset conferre toti humano generi concilium Vaticanum si posset pacifice operationes suas reassumere!

"Spes certa affulgebat, — inquit Pius IX in Bulla suspensionis S. Concilii, — eos fructus quos vehementer optabamus, in Religionis bonum et Ecclesiæ Dei, *humanæque societatis* utilitatem ex illo fore feliciter profuturos.... Sed sacrilega repente invasio hujus almæ Urbis, Sedis Nostræ, et reliquarum temporalis nostræ ditionis regionum, qua contra omne fas civilis Nostri et Apostolicæ Sedis Principatus inconcussa jura incredibili perfidia et audacia violata sunt, in eam Nos rerum conditionem conjecit, ut sub hostili dominatione et potestate, penitus constituti simus... Idcirco Nos, eo res adductas, magno cum animi Nostri mœrore perspicientes, Vaticani œcumenici concilii celebrationem usque ad aliud opportunius et commodius tempus, per hanc S. Sedem declarandum... suspendimus..., Deum adprecantes, Auctorem et Vindicem Ecclesiæ suæ, ut submotis tandem impedimentis omnibus, Sponsæ suæ fidelissimæ ocius restituat libertatem ac pacem (1)."

1. Coll. Lact., t. VII, col. 497.

Utinam ergo pro bono Ecclesiæ atque civilis etiam societatis ocius removeatur maximum et forsan unicum impedimentum concilii, occupatio Massonica almæ Urbis, et cesset ita crimen istud anti-religiosum atque anti-sociale.

Papa sit Rex independens Romæ et poterit ostendere concrete et in praxim deducta principia illa fundamentalia quæ tam docte exposuit in celeberrima constitutione sua *Immortale Dei* " de civitatum constitutione christiana [1] ".

Ostenderet luce clarius quomodo, ut ipse docet, Ecclesia mater sit et nutrix et conservatrix civilis humanitatis ; quemadmodum per sæcula exstitit, quantopere falsum sit eam reipublicæ felicitati esse inimicam.

Ostenderet quomodo a Deo exemplari normam accipere debeat dominatio civilis, ut inter Sacerdotium et imperium pacem et concordiam jugiter servet, civesque subditos per obedientiam dignam et sanctam propter Deum, legibus justis atque paternis regat.

Ostenderet quomodo societas civilis sive status, etiam publice qua persona moralis, Deum colere teneatur, ac præterea cives adjuvare ut recte Deum verum colere valeant, et finem ultimum assequantur.

Ostenderet magnifice quomodo inter potestatem ecclesiasticam et civilem, ordinatam colligationem regnare deceat harmoniæque excellentiam ex qua derivantur maxima beneficia, in quemcumque ordinem socialem : in familiam, in cœtum politicum, in nationes universas.

Videre esset populum felicem absque falsis sæculi XVI et XVIII Protestantium scilicet et naturalistarum inventis. Ecquid enim populos beatos effecerit : imperium populare, religionum indifferentia, scriptorum libertas vel potius licentia prava, exclusio Ecclesiæ ex vita publica civium, ex legibus civilibus, ex methodis novis erudiendi juvenes et adolescentes, imo ex societate domestica ? Minime vero : Justitia

1. 1 Nov. 1885.

elevat gentem ; miseros autem facit populos peccatum. Quod experta est ætas nostra.

Exemplaris semper fuit pro omnibus guberniis administratio paterna Summorum Pontificum, quantumvis autocrata.

Etenim priscis sæculis, tempore horrendæ rerum divinarum humanarumque perturbationis soli ad nova politicæ institutionis elementa insinuanda institerunt. Siquidem directa dumtaxat Romanorum Pontificum actione, nova regna ac respublicae, *ad formam sacræ institutionis*, exsurgere ubique inceperunt. Idcirco nova regna et respublicæ illæ nedum formam extrinsecam, sed et vim potestatemque intrinsecam *Ecclesiastici* regiminis præ se tulerunt. — Et nostra etiam ætate inter populos qui mordicus exemplar Ecclesiastici regiminis servarunt, eminet sane Anglus, maximus inter populos et cujus dominatio latius sese extendit quam olim imperium Romanum. Populus autem ille Britannus, non obstante odio ex libidine Henrici VIII in Romanum Pontificem nequiter concitato, formæ tamen regiminis catholicæ Ecclesiæ tenaciter adhæsit sicuti et Papæ, quum olim essent reges Romæ. Ideo quidquid boni in civili constitutione Angliæ habetur, procul dubio a regimine catholicæ Ecclesiæ profluit (1).

13. Papa sit Rex Romæ, plane liber atque independens, et omnium oculis per instituta civilia poterit præbere qualis quantaque cura gerenda sit de conditione opificum ; poterit palam solutionem practicam proferre in quæstione sociali quæ in primis operarios spectat ; poterit guberniis monstrare regimen exemplare populorum.

Ut ipse fatetur atque promittit, si Dominium civile ei restitueretur, et Religio ac Ecclesia plena gauderent libertate : " Sociales quaestiones, quae adeo omnium animos in praesenti distinent, ad optimam perfectamque solutionem, per practicam praeceptorum charitatis et iustitiae evangelicae

1. Pallottini, *Sacerd. et Imp.*, t. II, p. 164.

applicationem, adducerentur; publica quaevis externa concessa libertas, quominus in licentiam degeneret prohibita, aequo bonoque agendo unice inserviret, ac vere hominis digna evaderet; scientiae propter veritatem, cuius Ecclesia Magistra est, et artes propter praepotentem inspirationem quam Religio divinitus haurit, quamque in animos transfundendi arcanam ea sola callet rationem, in novum illico excellentiae decus conscenderent ([1]). "

Et quoad conditionem opificum, Papa quantocius ageret ut Rex ea quæ docuit ut Pontifex.

" Itaque, per quos civitas regitur, primum conferre operam generatim atque universe debent, tota ratione legum atque institutorum, scilicet efficiendo ut ultro prosperitas tam communitatis quam privatorum efflorescat.

" Id est enim proprium eorum qui praesunt officium.

" Rectorum civitatis est proletariorum conditionem iuvare plurimum.

" In salute commodisque ordinis proletariorum tuendis, curas debitas collocari publice, oportet.

" In officiis Principum illud in primis eminet, ut unumquemque civium ordinem aequabiliter tueantur.

" Iubet aequitas curam de proletario publice geri.

" Favendum rebus omnibus est, quae conditioni opificum quoquo modo videantur profuturae.

" Miserum vulgus, in patrocinio reipublicae maxime nititur.

" Mercenarios, cum in multitudine egena numerentur, debet cura providentiaque singulari complecti respublica, etc. ([2]). "

Hæc principia certe per institutiones exemplares doceret et confirmaret operariorum Pater ac Pontifex si simul Rex esset.

1. Encycl. Litt. ad Epis. Ital., 15 Oct. 1890.
2. *Rerum nov.*, n° 144, 146, 150, 152, 162, 163, 173, 174.

14. Unde ex historia luculentissime patet, jus novum hoc, quod internationale appellatur, ex christiana institutione initum et ortum amplissimamque explicationem habuisse, in persona Romanorum Pontificum, principium ac centrum unitatis constituisse, et magna ac mira totum per Orbem patrasse, quin singulæ respublicæ ac regna illa respectivam libertatem ac independentiam amisissent. Jus enim hoc, ex mutuo civium christianorum amore libere exoriens, majorem unitatis vim in persona Romanorum Pontificum, quam prætensum jus illud ethnicorum, ex cupiditate et vi proficiscens, in persona Romanorum imperatorum nanciscitur. Quid enim fuit hujusmodi unitas in patriam aut imperatorem Romanum quæ olim viguit, per quam omnes et singuli per Orbem existentes juribus etiam naturæ spoliati, in ea quoque miserrima jacere conditione coguntur, ut perenniter bona ac sanguinem ipsum Numini sic horrendo ac invisibili offerre teneantur, dum ex ea non modo nullum referunt bonum, sed maximum imo malum exitiumque recipiunt?

Horribilis hinc undique crudelitas qua domini servos, etiam supplicio illico mulctant. Non minus horrendum ac immane spectaculum cives et patria ipsa exhibent. Quemadmodum enim servi præ dominis vilissimæ rerum jacent, ita et cives præ patria, nulla prorsus naturæ personalitate suffulti, nihili æstimantur. Ecquid de extraneis dicemus? Omnes sicut barbari et hostes habebantur.

Revera ergo jus internationale veri nominis ex christiana institutione et curis S. Pontificum effloruit inter gentes. Quænam reapse esset totius christianæ familiæ conditio si, dempta Romani Pontificis auctoritate, omnes christiani philosophi jam rationalismum et pantheismum profiterentur, ac omnes christianæ plebes in socialismum ac communismum ruere ac debacchari minitarentur? Quinimo in quonam nunc miserando omnino statu versaretur totum humanum genus, si ab initio christianæ institutionis suprema Romani Ponti-

ficis auctoritas defecisset? Adeo proinde exstitit et adhuc exstat tanquam centrum ordinis ut consulto idcirco plebem in Romanum Pontificem callidiores protestantes continuo impellant ferociterque urgeant; secus enim mors ac terror ipsis aliisque undique impenderent, nisi Catholicismus suppetias promptus semper occurrisset. Siquidem plebs ipsa, quæ maximam protestantium partem constituunt, nisi odio in Romanum Pontificem continuo effervescant illico, aut in socialismum incidunt, aut catholicismum rursum amplectuntur. Idcirco vix odium in Romani Pontificis auctoritatem dumtaxat sævire cessat, vel et in alias minores auctoritates logice prorumpit, illico major ingruit numerus socialistarum aut catholicorum ovile extensive augetur.

Quæ cum ita sint, non est mirum tandem aliquando omnes christianos populos, internis certaminibus relictis, divisas vires et ingenia, ad innumeros populos ab servitute et barbarie eripiendos, impendere, sub Patre Maximo et Rectore Supremo Christiani Orbis. Id enim fert etiam maxima juris internationalis explicatio, ut populi eorumque rectores, de interna aliorum tranquillitate tutissimi, prompti Christianæ charitatis stimulis acti, auxilium et opem in longinquas etiam regiones aliis, qui in servitute et barbarie jacent, ferant. Idcirco summo charitatis vinculo populi simul nexi, in novum inauditumque civilitatis ordinem in dies magis magisque progrediuntur [1].

Utinam hæc omnia fiant! Sit Papa iterum constitutus Rex Romæ et ipso facto reintegretur jus pristinum inter nationes Christianas in bonum et profectum Orbis Universi!

1. Pallottini, I et II passim.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Studium sincerum historiæ et singularis Providentiæ exinde in Principatum S. Sedis nostrasque societates illucescens, clamat ad restaurationem promovendam, ne societas sub impetu errorum socialium penitus abeat in ruinam.

1. Falsi prophetæ Belial. — 2. Philosophia historiæ, — et tres scholæ ejus : pantheistica, deistica, christiana,— quæ singulæ explicationem civilitatis nostræ promunt. — 3. Scientia historica vera quid doceat. — 4. Confirmatur ex dictis Leonis XIII. — 5. Spes restaurationis superest ergo primo a parte Ipsius Providentis Dei, non obstantibus invasionibus iteratis. — 6. In justitia causæ quæ est Juris ipsius. — 7. In permanenti caractere internationali hujus causæ. — 8. Et resipiscentia Principum toties delusorum, quoties alium ordinem socialem ac Providentialem instituere tentaverunt.—9. Imo in unanimi consensu omnium cordatorum civium. — 10. Crescit spes in certam fiduciam, ubi addimus signa temporum, ut sunt ruina Italiæ Massonicæ et ortus Italiæ Christianæ.— 11. Amicitia et benevolentia Principes inter et Romanum Pontificem. — 12. Aspirationes summæ equidem periculosæ ubi deviant in jus vindicandum ubique. — 13. Quidquid occurrere possit Providentia sternit viam ad restaurationem plenariam libertatis Sedis Romanæ ut cesset turbatio socialis.

1. Sicut de Christo, ita de Vicario Christi et de Ecclesia Romana dici potest : " Ecce positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum... et in signum cui contradicetur... ut revelentur ex multis cordibus cogitationes [1]. "

Audiamus clamores contradicentium; attendamus cogitationibus inimicorum Ecclesiæ quomodo de factis judicent secundum desideria cordis.

" Italia facta est una! Nihil deinceps poterit eam dividere! "

---

1. *Luc.*, II, 34.

" Roma intangibilis est! " — Ita locutus est ipse rex Humbertus I.

" Conclamatum jam est de quæstione Romana! " — Sic trigamus Crispi.

" Sæculum futurum erit sæculum Massonum, quorum cèntrum Roma!

" Institutio massonica locum occupabit destructæ Ecclesiæ catholicæ!

" Fuit Roma Pontificalis, et ingens gloria Ecclesiæ Romanæ!

" Hæc omnia jam ableganda sunt in catalogum factorum præteritorum!

" Hostis infensissimus Italiæ deinceps aderit ipse Papa cui indicendum bellum perenne atque atrocissimum! "

Ita vociferati sunt Lemmi et satellites ejus qui jure meritoque prophetæ Belial nuncupandi essent!

Sed væ viris cæci cordis! Væ Italiæ! Licet hæc verba applicari isti: " Prophetæ tui viderunt tibi falsa et stulta, nec operiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent: viderunt autem tibi assumptiones falsas et ejectiones [1]. "

Minime enim consideraverunt cursum et legem a Providentia rebus humanis imposita; quomodo nempe, continuo omnia et singula hactenus disposuerit suaviter et attigerit fortiter ad stabiliendam atque protegendam libertatem Ecclesiæ suæ Catholicæ, ut ipsa eaque sola constanter haberetur firmissimum et unicum munimen Societatis humanæ.

Quod si enim serio hæc considerassent, plane quoque intellexissent veritatem horum verborum Leonis XIII: quod " huic quidem divinae Providentiae consilio nemo est pugnare ausus, quin serius ocius inania coepta senserit [2], " atque reformidassent.

1. *Jerem. Lament.*, II, 14.
2. Epist. ad Card. de Luca, *De Studiis historicis*, 18 Aug. 1813.

Etenim, studium sincerum historiæ et singularis Providentiæ exinde in Principatum S. Sedis nostrasque societates illucescens, clamat ad restaurationem promovendam, ne societas sub impetu errorum socialium penitus abeat in ruinam.

2. Sed eheu ! ut Pontifex ipse lamentatur : quibus in Cathedram et Principatum Romani Pontificis ante usi sunt insidiis, " iisdem (quoque) machinationibus et hodie datur opera, ut, si unquam alias, certe hoc tempore illud vere dici possit, artem historicam coniurationem hominum videri adversus veritatem. "

Sicut " tribus ante saeculis istud lacessendi Ecclesiam genus usurpavere prae ceteris Centuriatores Magdeburgenses, ita, nostris temporibus eorum exemplum omnes fere scholae, quae a doctrina veteri defecerunt, renovaverunt, scilicet calumniando S. Sedem vel circa facta obvia et socialia perperam philosophando. "

Ita non jam, ut decet, clamat omnis historia " Deum esse qui rerum mortalium varios perpetuosque motus providentissime regit eosque vel invitis hominibus ad Ecclesiae suae incrementa transfert ([1]), " sed misere detorquetur juxta placita adversariorum ad consilia variarum sectarum naturalistarum confirmanda.

Tres enim hodierno die exstant scholæ historicæ quæ facta et gesta philosophice scrutari conantur ut inde experimenta disciplinæ et ordinis socialis depromant. Ast quantum duæ priores a veritate aberrent non possumus quin dicamus ([2]).

A) Prima schola cui suffragatur Herder pantheismum olens, ponit unam eamdemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam et in eventibus nonnisi emanationes evolutionesque ipsius divinitatis reperit.

Nunc ipsa, ut aiunt, infinita substantia summe libera sed

1. *Epist de stud. hist.*, 18 Aug. 1883.
2. A. J. Becart, *Essai d'un précis d'hist. univ.*, Introd., XIII, sqq.

rebus mundanis et formis finitis quasi incarcerata, alternatim vincula sua dirumpens atque vagans de ruinis in ruinas proruens, causat varia ac successiva specimina societatis atque civilitatis; in quarum proinde reliquiis mirari fas est transitum ejus successivum ad Indos, Babylonios, Persas, Medos, Ægyptios, Græcos, Etruscos, Romanos atque Getas.

Nunc juxta alios eadem substantia divina insidens rationi humanæ novam continuo molitur formam perfectiorem societatis tendentem ad destructionem prioris. Quid mirum ergo si Fichte hujusmodi principio sociali pantheistico innixus, revolutionem proclamavit officium divinum? Quid si Hegel hanc formam modulari juxta indolem nationalem ac situm geographicum oportere dixit?

Et iterum, secundum San-Simonianos et Massones plurimos, substantia divina coincidens cum humanitate, ipsa proinde per adæquatam libertatem, paritatem ac fraternitatem omnium et singulorum membrorum tendit in constituendam societatem universalem hominum.

En nonnulla placita pantheistarum, quæ nata sunt verum ordinem historicum ac socialem plane subvertere. Quantopere vero hujusmodi systemata monstruosa sint et naturæ humanæ societatis adversa vix opus est dictu. Quid boni unquam profluxit aut unquam profluet pro civilitate generis humani ex placitis pantheistarum, quæ cuncta tendunt in destructionem nedum in ædificationem societatis, et ipsi Deitati, ut enti summe bono et sui diffusivo, injuriam maximam inferunt?

B) Ast secunda exstat schola deistarum, materialistarum vel fatalistarum, qui plerumque Deum singularem, sed improvidum agnoscentes, omnes ac singulas res, aut materialibus viribus naturæ, aut conatibus mentis humanæ, aut fato necessario adscribunt, ac proinde eventus ut nuda facta, nulla prorsus ratione morali pollentia, consignant. Fatalistis adstipulantur in Gallia Thiers, Mignet, Volney.

Pro iis ergo in re morali et politica sicuti in rebus naturalibus daretur necessario fluxus et refluxus, sicut in fluctibus maris.

Ast hæc est lex tantum rebus naturalibus et irrationabilibus imposita quam multis abhinc sæculis docuit Ecclesiastes, loquens de natura physica rerum :

" Generatio præterit et generatio advenit : terra autem in æternum stat !

" Oritur sol et occidit et ad locum suum revertitur : ibique renascens gyrat per meridiem et flectitur ad aquilonem ;

" Lustrans universa in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos revertitur.

" Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat : ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur ut iterum fluant.

" Quid est quod fuit ? ipsum quod futurum est.

" Quid est quod factum est ? ipsum quod faciendum est.

" Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere : Ecce hoc recens est ! — Jam enim præcessit in sæculis quæ fuerunt ante nos (1). "

Sic, genus humanum subjiceretur legibus inflexibilibus, ferreis et æneis, sicuti natura materialis.

Sed si hoc admitteretur augurari quidem possemus, saltem pro tempore, restaurationem Dominii temporalis; ast nulla oratio facienda, nullus conatus esset adhibendus ad eventum promendum. Stat pro eis jus facti completi, cetera fato relinquuntur.

C) Tertia datur schola christiana, unice vera.

Hi præterea Deum credunt esse providum ac prædestinantem hominem ad ordinem sublimem filiationis divinæ. Primas quidem partes assignant Deo in gubernatione mundi : " sicut divisiones aquarum, ita cor regis est in manu Domini : quocumque voluerit, inclinabit illud (2) " ; — quod

1. *Eccle.*, I, 4-10.
2. *Prov.*, XXI, 1.

sapientia "attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter ([1]) ". — Alloquuntur Deum cum S. Augustino : " O Tu, bone Omnipotens, qui sic curas unumquemque nostrum, tamquam solum cures, et sic omnes tamquam singulos. Domine, Tu præsides gubernaculis omnium quæ creasti ([2]). "

Attamen huic causæ primæ et prædominanti accedunt, præter influxum agentium spiritualium ac invisibilium, qui jugiter eventus aut in bonam aut in malam partem flectere intendunt, variæ causæ mere materiales et prædisponentes ad commotiones vel transformationes populorum pro certis adjunctis temporum et locorum. Ita, v. g. mores, peculiaris indoles, agitatio mentium, status generalis læsi animi, etc. Accedit præsertim libera activitas hominum sive procerum nationis, sive moderatorum, sive multitudinis plebis, quæ omnia calculum suum afferentia et suo modo cooperantia cum Providentia divina, ejus consilia pro tempore et momento modificari valent, minime vero frustrari.

Hanc supremam Providentiam quæ cunctis eventibus dominetur agnoverunt et ipsi historiographi antiqui inter quos Polybus et Plutarchus, et moderni gravissimi ([3]).

Hæc est vera ars historica quæ nititur hac reali Divina Providentia cujus consilia nonnunquam nobis innotescunt, prædispositionibus, quæ ex rebus naturalibus occurrunt, atque modis juxta quos spectatis hominum moribus et naturali rerum humanarum cursu, solet humana ratio operari. Vera scientia historica in eo sita est, ait cl. Bossuetius, ut in singulis epochis perpenetremus secretas illas dispositiones

1. *Sap.*, 8, 1.
2. *Confes.* lib. III, c. 11, n° 2 et lib. VI, c. 7, n° 2.
3. "Un esprit pur et saint parle distinctement et nous appelle du fond de l'histoire ; cet esprit indépendant du monde et des événements, affranchi des liens d'une éternelle nécessité, dirige derrière le voile des phénomènes l'universalité de la création, il pèse le droit et la justice et meut toutes les choses vers leur fin éternelle. Le plan éternel de Dieu se reflète dans l'histoire comme dans un miroir ". — Marheinecke, *Hist. de Christian I.*—Apud Hergenrœther, traduction Belet, I, 10. — O. D. Scheeben, *Dogmatique*, trad. Belet, III, § 102... 115.

quæ in eventibus modificationes magni momenti præparavere et ea ex quibus præcipue illi eventus præsentiri poterant ([1]). Hinc auctor egregius in hoc cernit præcipuam utilitatem scientiæ historicæ, ut ex factis et gestis præteritis collective inspectis possimus conjecturam trahere pro eventibus futuris atque moralia præcepta deducere ([2]).

3. Ab Historia ergo petere licet quid sit, quo humana societas inniti debeat ut fruatur divino illo ac firmo concursu Providentiæ " quæ ordinem perturbare vetat et conservare jubet " ? Inquirere opus est quodnam enim principium Numen Illud Supremum posuerit in hoc mundo ad firmam solidamque conservationem societatis humanæ ejusdemque progressus veri ?

Et primo, reperiri non potest fortissimum hoc munimen in satiatione appetituum neque in philosophica ratione hominum sed in agnitione publica unius veri Numinis divini.

Et re quidem vera : Respublicæ atque regna a violentiis atque dolo ortum habentes, constituuntur ac fluere solent ex aliorum spoliis : cruore hinc civium et hostium late effuso, alia aliis indefinite succedunt. Immo rabida eo vel magis fit sollicitudo et angor, quo quis quævisve societas sibi plura coacervavit. Nullus homo singillatim nec ulla hominum multitudo universim vinculo furoris in unum devincta gradum sistere, quietem ac pacem invenire scit ac valet, nisi totum quisque mundum possideat.

" Hinc, pro vi et furoris quantitate respublicæ ac regna passim variantur. Primum, Assyrii, Medi, atque Persæ imperium tenent : exin Ægyptii et Græci dominantur. Proximos totiusque Italiæ hostes profligant Romani et tandem Carthagine illa succumbente, Roma supra omnes mundi civitates, populos ceterasque gentes caput effert.

" Appetitio ergo, sensibus etiam horrende obstupentibus,

1. Bossuet, *Disc. sur l'hist. univ.*, III p., ch. 2 et 8.
2. Liagre, *Essai sur la philos. de l'hist.*

lassata quidem, sed nunquam satiata ab objecto recedit; proindeque nec ullum firmum condit imperium. Nec amplius philosophorum placita hoc principium socialis conservationis invehere potuerunt. Quid vero inter gentes egerunt ([1])?" Siquidem pluribus variisque ingeniosis subtilissimisque rationibus philosophi illi supremam rerum causam inquirunt evolvuntque ;... populi vero disquisitiones hujusmodi non intelligentes philosophos ipsos illudunt ac vicissim philosophi illi populorum dementiam nimiamque inscitiam, rebus quoque vilissimis servientium, ne aspicere quidem dignantur. Et etiam philosophi illi, cum et ipsis passim deficeret illa cordis puritas, Deum uti debebant colere prætermiserunt. Qua de causa divus Paulus philosophos hujusmodi reprehendit merito.

Quid ergo Romanum imperium ad apicem provexit? Religio et publicus erga veram divinitatem cultus, ita naturalis, intrinsecus ac necessarius homini et cuique hominum societati ut ab illo cuncta ac suprema civium populorumque bona pendeant.

Ob id siquidem inter populos Roma potentior virtute justitiæ excelluit, quia in hujusmodi impiorum audaciam nequitiamque pro viribus irruit. Romani enim, etsi ut ceteri in absurdam illam deorum pluralitatem corruissent, in conceptu ac idea tamen Unius Dei sic fundamentum regni ab initio constituerunt, ut Romulum ceu Numinis vicarium celebraverint, ceterosque subinde reges ejusdem Numinis ministros ac ipsum regnandi munus Dei ministerium duxerint.

Labile tamen præbuit talis religio fundamentum, quippe quod brevi polytheismus ex odio inter deos, connaturaliter et odia et jurgia et bella inter populos et cives peperit. Exinde perventum est, ut, derelicta divinitate vera in figmenta humana populi et moderatores abirent atque, sive per

1. Pallottini, *Sac. et Imp.*, I, cap. 1, a. 2, n. 32-38.

meram fictionem atheisticam, sive per abstractionem materialisticam a viribus naturalibus, sive per nescio quamnam ideam pantheisticam, tandem in concreto Divinitatem cum ipsissima patria identificarent.

Ita qui purus et genuinus in gloriam et majestatem prius exstitit religiosus sensus postea corruptus in ruinam cessit. Cultus enim Patriæ cui, uti vidimus, cuncta jura sacra et individualia et socialia servorum, civium et populorum immolabantur, brevi in pessimum principium dissolutionis socialis degenerare visus est. Quo intrinsecus Romanorum institutio usque ad exitum laboravit. Profligatis enim omnibus mundi Regnis, omnes populi, moribus, ideis, religione diversi, sub jugo durissimo Romani imperii, coacervati reperiuntur. Nullum hinc vinculum moralitatis, sed vis ac ferocia dumtaxat populos sibi invicem ac simul omnes in Romanum imperium odio æstuantes, in unum colligunt. Patria enim singulorum eversa omnes veluti res præ Romano imperio habentur. Quin exin vinculum quoddam amoris enasci possit: nam cum omnium patriarum eversione, et ipsa earum numina profligata jacent. Odium idcirco politicum ac religiosum, patrocinio deorum adnixum, necessario in Romanum imperium fervet. Romanum hinc imperium omnibus uti cogitur mediis, ut omnes in ferrea maneant potestate.

Sic deficiente vero conservationis socialis principio imperium incursionibus barbarorum jam patet nec resistere par est ac pedetentim sic dilabi videtur et locum cedere societati novæ.

Nedum itaque domestica, sed et civilis etiam societas ita exscissa ac divisa intrinsecus pedetentim renovabatur per religionem christianam a Salvatore Christo cælitus allatam in conservationem et salutem generis humani. Hinc novum firmissimumque unitatis et conservationis socialis firmamentum ; unitatis dicam, non jam materialis ex vi et ferreo potestatis vinculo obortæ sed unionis perfectæ ex vinculo justitiæ et mutuæ charitatis partæ.

Quarto enim vel quinto sæculo, hoc novo jam fundamento humana familia adnititur novisque legibus moribusque novis et institutionibus, uti animadvertimus, regitur. Barbari Romanorum imperium peragrantes, jam Romanorum vitia per Orbem purgant. Quamvis enim feroces ac rudes sint, castitatem præ illis servant, religionem proniores colunt. Hinc christianis moribus imbuti, ferociam in dies deponunt, novumque novi imperii fundamentum jaciunt. Quisque enim populus non amplius ad alios sibi submittendos studebit, sed mutuis imo auxiliis alius alterum juvare gestiet. Unde, uti diximus, amplissimum jus internationale primum, jus christianum, magna cum populorum utilitate per Orbem jam emicat; unde tandem civilitas illa vera et progressus continuus societatum Europæ quæ labente jam sæculo XV per Hispaniæ et Lusitaniæ gentes, exeunt novis ingentibusque regionibus Asiæ et Africæ et utriusque Americæ potituræ.

Ita usque ad sæculum XVI Europæ gentes ab Ecclesia christiana partæ, nutritæ atque eo gloriæ et extensionis provectæ, quo nullius unquam subactoris vel dominatoris imperium protendit, jure meritoque *unanimiter adhæserunt Ecclesiæ Romanæ et cathedræ Petri tanquam centro unitatis et charitatis in Ecclesia Christi, proinde ac si Sedes Apostolica esset forma concreta et personificatio vera ipsius religionis christianæ.* Sed sæculo vertente XVI plures ab hac forma concreta, a centro religionis, et ita a vero et genuino christianismo per innumeras hæreses et schismata deficientes in totidem falsas, vagas et mancas formas christianismi abiere, quæ singulæ nonnisi insufficiens conservationis socialis fundamentum præbuisse mox visæ sunt.

Disrupto ergo vinculo unitatis et charitatis cum Ecclesia Romana, adversarii alii alium excogitare cœperunt vinculum sociale firmum. Nunc per pacem religiosam Augustæ Vindelicorum anno 1555 initam Respublica, in primis catholica

adhuc, taliter consummata est, ut Status sive Principatus doctrinæ Lutheri adhærentes cum catholicis Romanis eodem numero locoque haberentur. Tunc vero in Pace Westphalica seu Osnabrugensi anno 1648 inita, etiam ii imperii et Europæ Status qui Zwinglii et Calvini mendacia secuti fuerant, eadem jura adepti sunt, posita quadam paritate Catholicorum et Protestantium populorum pacto Evangelico unitorum sed continuo impugnantium auctoritatem Ecclesiæ Romanæ. Tandem exortis variis factionibus particularibus Gallicanismi, Febronianismi et Tolerantismi, perventum est ad sacrum quoddam fœdus anno 1815 inter nationes christianas, etiam schismaticas, initum et jure legitimo nixum quod quidem brevi post per spoliationem Dominii S. Sedis fœde laceratum et conculcatum esse vidimus (1).

Exin, mutato centro juris, societas nostra a vero ordinis cardine jam penitus avulsa et instabili æquilibrio materiali virium nixa, vertitur in ruinam et, sicuti ante imperium Romanum omnibus uti cogitur mediis, ut populi in ferrea maneant potestate per vires militares ingentes et unum sit omnium ac singulorum adagium: sit fortitudo nostra lex justitiæ. Laxatæ enim sunt habenæ omnibus cupiditatibus pravæ voluntatis humanæ, a quibus cuncta præsentis sæculi mala cunctæque eversiones ordinis socialis erumpunt. Nam ipsæ, sicuti tempore paganismi, absolutam iterum assequi contendentes independentiam, jam in ordine theoretico rationalismum, deismum, pantheismum, in ordine rerum agendarum socialismum, communismum, anarchismum genuere. *Derelicto Deo uno et vero, derelicta vera religione christiana, derelicta Sede Apostolica Petri* quatitur et titubat societas nostra jamjam præceps in ruinam ruitura. Adeo verum est, ipsam Ecclesiam Christianam, Catholicam, Romanam in Cathedra Petri incorporatam firmissimum necnon et solum exstare præsi-

1. G. Philips, *Comp. Juris can.*, l. VI, cap. 2. — Wouters, *Hist. Eccl.*, III, n. 30. — Cantu, *Hist. Univ.*, XV, 310.

dium ordinis socialis a Numine supremo ac provido assignatum. De cetero manent libertas hominum, dispositiones temporum, suasiones bonorum ac malorum, quæ omnia aut in conservationem aut in exitium societatis vertentur, ast nunquam tamen frustrabuntur consilia Providentiæ supremæ decernentis unicum illud solidum societatis civilis centrum ac munimen : *Religionem vere Catholicam, Ecclesiam Romanam, Cathedram Petri.*

4. Juvat exin referre et applicare verba ipsius Pontificis Leonis XIII : "Clamat enim, sic ait Papa, quodammodo omnis historia, Deum esse qui rerum mortalium varios perpetuosque motus providentissime regit eosque vel invitis hominibus ad Ecclesiae suae incrementa transfert. Item e dimicationibus illataque vi Pontificatum Romanum semper evasisse victorem ; oppugnatores eius, deiectos de spe, suam sibi perniciem comparavisse.

" Neque minus aperte historia testatur quid sit de Urbe Roma iam inde ab origine sua provisum divinitus : scilicet ut domicilium sedemque perpetuo praeberet Beati Petri successoribus, qui hinc tanquam e centro universam christianam rempublicam nullius obnoxii potestati gubernarent. Cui quidem divinae Providentiae consilio nemo est pugnare ausus, quin serius ocius inania coepta senserit [1]. "

Sic nos docet igitur Divina Providentia cuncta precaria esse in præsenti regno Italico Massonico et S. Sedi hostili ; undique ipsi impendere pericula summa. Qua de re, et ipsi Italianissimi haud raro in dubium revocant durationem et soliditatem regni Italiæ unitæ [2]. Interea, sicut viri ignavi

1. *Litt. de stud. hist.*, 18 Aug. 1883.

2. " Depuis 1870 les hommes dirigeants (de l'Italie) n'ont laissé échapper aucune occasion de proclamer l'intangibilité de leur conquête, mais ils en sont si peu sûrs eux-mêmes, qu'ils ont dû chercher ailleurs des garanties plus solides qu'une affirmation vide et prétentieuse. En Italie moins qu'ailleurs on considère la question Romaine comme close pour toujours, et n'est-ce pas Bismarck qui l'avait fait dans le temps soulever par sa presse, afin de précipiter plus sûrement l'Italie dans les bras de la ligue de la paix ? " (Rostworowski).

altissimos edere solent clamores, quibus internus, quo opprimuntur timor, lateat ceteros; ita politici Itali validissimis clamoribus et congratulationibus statum hunc precarium celare conantur, dum alia prævident, imo exoptant ([1]).

5. Verumenimvero nonne timerent et præsentirent funestum exitum, cum historia testetur, ut dicit Leo XIII, Pontificatum Romanum toties evasisse victorem quoties fuerit rebellione impetitus. Ita non minus quam 150 expulsiones e Roma, vel usurpationes Dominii temporalis S. Sedis citari possunt ([2]).

Et quod plus est, tunc temporis, multo ferociores hostes, factiones ardentiores atque imperatores fortiores in Cathedram et Patrimonium Petri insurgere sunt conati.

Nonne cernimus B. Martinum I (649-655) jussu imperatoris Constantinopolim manu militari abduci et Urbem a satellitibus Byzantinis occupari? — Nonne tempore Longobardorum Stephanus II, exarchatu et melioribus provinciis spoliatus, Romam exire laboriosiusque iter suscipere cogitur ad regem Pepinum? — Nonne Joannes VIII hostibus undique circumdatus, ecclesia sua relicta, Ravennam confugere debet; dum sub successore ejus, Joanne IX, hostes undique in Principatum civilem ferociores, velut agmen late exundans,

1. " Il arrivera un temps, *prochain* je l'espère, dans lequel *par la force des choses*, par d'urgentes nécessités d'ordre public, social, économique, dans la défaite du stupide unitarisme qui nous opprime Rome devra se résigner à se dépouiller de son habillement actuel de capitale historique et politique de l'Italie, pour se contenter d'être le centre de l'administration du Latium, sans pourtant rien perdre de sa majesté de capitale morale du monde catholique. " (*L'Italia del Popolo*, de T'Serclaes, t. II, p. 193.)

2. Dans une brochure imprimée au Vatican en 1890 : *La Verita intorno alla questione Romana*, on parle de 150 expulsions de Rome ou usurpations du domaine temporel. On y lit cette judicieuse observation : " Dire que le domaine des Papes est sorti de 150 usurpations par un concours *fortuit de circonstances*, est une absurdité historique. C'est une règle constante, confirmée par des milliers d'exemples, que la souveraineté une fois tombée ne se relève plus. " (De valore hujus opusculi vide supra, cap. VII, n° 1, p. 145.)

" De Libère à Pie IX, vingt-deux Papes ont dû s'enfuir de Rome ; plus de vingt en 1400 ans : trois dans le siècle qui s'achève. " (H. Prélot, *Études*, *S. J.*, t. 64, p. 261.)

erumpunt? Quanto in periculo versatur Principatus ille, ubi Rogerius comes, frater ducis Siciliæ, effrons terras B. Petri occupans atque devastans, Urbem appropinquare cernitur, nemine Principatum civilem B. Petri tuente, excepto illegitimo papa Anacleto II?—Quid adhuc vero terribilius? Jam enim externis interni hostes accedunt. Quandoquidem Romani ipsi contra suum Pontificem ac Patrem Innocentium II, vertente anno 1141 primo nequiter insurgunt. (Nam iidem sequi partes Arnoldi contenderunt, qui jam edixerat: Nulli fiscalia jura Pontificum... omnia Principibus terrenis subdita...) Res cum ita Romæ essent, en et Cornetani, fraude perversi hominis decepti, vexillum rebellionis extollunt. Vix Cornetanis sponte submissis, iterum Arnoldus ille Brixiensis, cum multitudinem plebis præmolli dogmate seduxisset, nihil in dispositione Urbis ad Romanum Pontificem spectare proclamat, populosque ad animositatem ita accendit ut Eugenius III, successor Lucii II, in extremis periculis redactus terga vertere cogatur ingratissimæ ac deceptæ Urbi (¹).

Sed nec longius istis insistere oportet.

Quem enim fugit discrimen in quo Sedes Apostolica ejusque Principatus versatus est tempore quo Pontifices tot annos Avenione degere? Quem latet summum periculum cui Patrimonium B. Petri expositum fuit, cum Napoleo I, tantus vir ac adeo potens, sic Pium VII Pontificem ac Principem illum, ab omnibus fere derelictum jamque in vincula conjectum, ita in sua tenuit potestate, ut quisque conclamatum esse dixerit de Principatu Romani Pontificis eumque resurrecturum esse numquam? Jure meritoque cum comite de Montalembert: "Quid mirabilius quam ut ipse Principatus civilis S. Sedis a rebellione gallica sæculi XVIII eversus, iterum instituatur a rebellione sæculo XIX oborta, ope nimirum ipsius dictatoris ejus imperatoris effecti (²)?"

1. *Précis historiques*, 1871, et Pallottini, *passim*, II.
2. Montalembert, *La question Rom. et Palmerston.*

Quod si Deus tantopere exoptatam restaurationem procrastinare videtur, in causa sunt forsan peccata populi sui ac præsentis societatis ; in causa certe sunt consilia secreta Dei, qui longanimis et conscius rerum gestarum sectæ impiæ, eam pro tempore conjurare sinit et tentare ædificationem turris et civitatis, ut postea ædificatores eos jamjam opus suum completuros penitus confundat, quemadmodum antea confudit turrim Babylonicam ædificantes ; in causa est ipsissima singularis Providentia Dei : si enim restauratio illa niteretur primo conatibus mere humanis, quid est cur adjunctio et conservatio Dominii temporalis S. Sedis diceretur ex singulari Dei providentis consilio in tutelam libertatis concessa exindeque fulgere charactere mirabili et quodammodo divino ?

6. *A)* Ergo nostra spes primo in Deo posita sit oportet. Vincet aliquando Christus, Leo de tribu Juda, ut canit mediis in tribulationibus vates noster Leo XIII :

" Occidit ! inclamant, solio dejectus in ipso
" Carcere, in ærumnis occidit ecce Leo !
" Spes insana ! Leo alter adest, qui sacra volentes
" Jura dat in populos imperiumque tenet (1). "

Nonne spe futuræ restaurationis Principatus sui fulcitus, Pontifex remanet Romæ ?

" Potuissemus equidem supplicium, quotidie bibendi amarum illum calicem, partim effugere, tamque lacrymabili spectaculo per Nos ipsos assistendi, in exteram aliquam regionem asylum quæritantes. — Verum, si maximi pro religionis commodo momenti rationes suaserunt, in præsenti rerum conditione non esse Nobis dilectissimam istam Urbem, Romani Pontificis Sedem, modo relinquendam, id certe non sine speciali divinæ Providentiæ consilio factum est, ut suis ipse oculis Orbis intueretur, quænam Ecclesiam Romanumque

1. Carmen Leonis XIII. — Cf. Vennekens, *Nécessité d'une restaur. du pouv. temp. des Papes*, 4e édit., p. 18.

Pontificem sors manet cum supremi illius Apostolatus libertas et independentia in discrimen venit (1). "

Dicunt initio Pontificatus Leonis XIII quæstionem motam fuisse de Urbe relinquenda ; maximæ autem rationes huic proposito obsteterunt.

B) Et insuper nitatur spes nostra in causæ ipsius summa justitia ; quæ tandem aliquando semper superstes erit passionibus plebis, quemadmodum turbatis undis tandem supernatans cernitur oleum. Roma nostra sit urbs fortitudinis nostræ, non vi armorum sed vi justitiæ, vi mirabilis prædestinationis et providentiæ Dei.

" Iustitia secura est de finali triumpho quemadmodum Roma de immutabili ac divina sua destinatione secura est (2)." Consolatoria verba et spei plena quæ locutus est dilectissimus Pater ac Videns noster infallibilis, cum Urbis vias percrebuit ultimus sonus publicorum clamorum, quibus gens Massonica 20 Septembris 1895 annum vigesimum quintum a sacrilega Romæ occupatione celebrabat. " Laudibus quippe quod anno 1870 hic gestum est, extollentes, id in primis spectarunt ut quod tunc bello obtinuerunt, id stabile ac firmum statuerent, atque Italiae Orbique universo denuntiarent, Romanum Pontificem, ad ipsos quod attinet, servili jugo subeundo, *sine ulla spe libertatis recuperandae*, iam acquiescere oportere (3). "

Profecto " iustitia secura est de finali triumpho ", — et Papa iterum regale solium ascendat necesse est (4).

1. Epist. Pii IX ad Cardin. Antonelli, 16 Jun. 1872.
2. Leo XIII, Ep. ad Card. Rampolla, 24 Sept. 1895.
3. Ibid.
4. Optime Rostworowski : " Dans l'acte final du gouvernement Italien, rien ne fait entrevoir un principe : ce n'est qu'un abus de la force matérielle. Le Pape au contraire s'appuie sur un principe, à savoir : qu'il n'y a de vraie indépendance que dans la souveraineté. L'attitude du Pape n'est pas une protestation contre tel ou tel article de la loi des Garanties ; c'est une protestation contre toute idée de remplacer la souveraineté effective par quoi que ce soit. Et l'Italie n'a rien pour justifier sa conduite, rien à opposer à cette logique inexorable... Aussi peut-on qualifier la lutte actuelle entre le Vatican et le Quirinal de *lutte pour le droit.* " (de T'Serclaes, *Léon XIII*, t. II, p. 174.)

Hujusmodi verba in memoriam nobis revocant dicta illa virorum justorum Job et Tobiæ, verba spe immutabili plena.

C) Præterea fas est dicere, quod *cuncti eventus* et agitationes sociales, nedum solutionem retardent, prædispositiones afferunt quibus reges, populos, societatem universam uti maxime expedit ut restaurationi Principatus civilis S. Sedis totiusque ordinis socialis efficaciter provideatur.

Quod quidem ex hactenus dictis omnibus de conditione Italiæ et Europæ satis superque patet et ex dicendis magis patebit :

7. Causa Dominii temporalis S. Sedis jugiter manet integra atque agnoscitur ab omnibus tanquam causa major in Europa, causa quæ spectat nationes universas, quippe quod sors socialis Europæ intime ipsi colligatur. Ita causa Pastoris supremi ea est in qua agitur de ordine supremo, causa omnium guberniorum cujus solutio ipsorum æque interest ac occupatio ac possessio Constantinopoleos, quamquam lis pacatiore animo tractari potest ac decet. Ne quis dicat ergo : quid ad nos pertinet quæstio Principatus civilis ?

Omnibus supremis Principibus persuasum esse debet causam summi Pontificis cum ipsorum causa plane esse conjunctam, eosque suum Papæ auxilium afferentes et suorum jurium incolumitati esse prospecturos. In quæstione Romana conflictus agitur non armorum sed jurium, id est utrum necne apud aulas Europæas penitus depossideatur jus antiquum, jus quo nituntur gubernia ipsa.

Eheu ! quare igitur non ante audierunt vocem venerabilis Patris omnium christianorum, post latrocinium in Castelfidardo contra Ecclesiam patratum, clamantis : " Maxima cum fiducia Principes hortamur et obsecramus, ut opem Nobis, pro sua quisque conditione et opportunitate, velint impendere. Non dubitamus autem, quin catholici, præsertim Principes ac populi omnem eorum curam et operam studiosissime conferant, ut pro communi eorum officio universi Dominici

gregis Patrem et Pastorem parricidialibus degeneris filii armis oppugnatum modis omnibus adjuvare, tueri et defendere properent atque festinent ([1]). "

Sed, o fascinatio nugacitatis ! o cæcitas mentis ! o durities cordis ! nec audire nec intelligere voluere nationes earumque moderatores impendentia pericula gravissima, donec tandem monentur a justitia divina per ipsum socialismum et errores sociales omnigenos.

Lamentari possunt reges sicuti vero olim filii Jacob postquam fratrem suum Joseph tradidere et patrem flere fecerunt, lamentati sunt intra se gementes : " Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem, — imo in Patrem nostrum, — videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, et non audivimus : idcirco venit super nos ista tribulatio ([2]). "

8. Ita nunc jam reges Europæ cogitare et sibimet ipsis fateri licet et resipiscere. Quoties enim effrenatis libertatis cupiditatibus populorum, propriæque independentiæ indulgentes, illud centrum veri juris et pacis inter nationes lædere ausi sunt, toties deceptos et delusos se fuisse sentiunt.

1. Alloc. 28 Sept. 1860.

2. *Gen.*, XLII, 21. — *Nota.* Non tamen putandum est Gubernia Europæ penitus mansisse indifferentia ; si bellum Gallico-Germanicum 1870 impedivit actionem eorum collectivam in favorem Dominii temporalis Ecclesiæ, non omnem extinxit vocem, ita, ut notat D. Imbart-Latour (*La Papauté en droit international*, p. 73.)

" En France, le gouvernement de la défense nationale dit à l'ambassadeur italien Nigra, que le gouvernement français laissera le gouvernement royal agir *sous sa responsabilité*, c'est-à-dire sa responsabilité internationale. " (Dépêche, 8 Sept. 1870.)

L'Autriche recommande au gouvernement italien le plus grand respect envers la personne et la qualité du Pontife. (Dépêche, 18 Sept.)

La Confédération germanique du Nord fait des réserves pour que le Saint-Siège ait une position digne et indépendante. (Dépêche, 17 Sept.)

La Prusse déclare ne pas vouloir s'occuper de la police purement intérieure de l'Italie, mais ne veut pas préjuger ce qui pourrait avoir trait aux rapports internationaux. (Dépêche, 10 Nov. 1870.)

L'Espagne fait dire à l'ambassadeur italien à Madrid, qu' " une seule chose est essentielle, une seule domine toutes les autres, et au sujet de laquelle le gouvernement espagnol, fier d'un titre annexé à sa couronne, croit avoir le droit

In pace religiosa Augustæ Vindelicorum anni 1555 cupido pravæ libertatis Lutheranorum efflagitavit ut concederetur ipsos elongatos vivere a centro juris ac auctoritatis veræ communique tamen pace frui ; et extemplo surgunt catervatim alii novatores undique qui etiam in eam protestantes auctoritatem S. Sedis mox regna turbare, arma ministrare, seditiones moliri, solia evertere, regesque occidere cœperunt. Sic, non longo tempore post, Principes populis istis Protestantibus in Sedem Apostolicam, ceu in principium ordinis socialis, satisfacere rati in pace Westphalica novum invenerunt conservationis socialis fundamentum in instabili æquilibrio, ut aiunt, Europæ. Ast nec prius novum hoc figmentum ordinis materialis quidem excogitatum fuit, quam eversum : ex subito duo nascuntur quasi a vindice Providentia vocata in lucem Slavonica regna Borussiæ atque Russiæ quæ rerum jamjam potitura prælaudato æquilibrio minitantur, dum ex alia parte novus dictator ac imperator Galliæ omnem fere Europam subigens cuncta brevi subvertit. Cui rerum statui,

d'insister, c'est-à-dire la parfaite indépendance spirituelle du chef de la religion catholique et la parfaite liberté spirituelle du Souverain Pontife. " (Dépêche du 29 Sept. 1870) (1).

Le Portugal craint qu'il ne naisse des difficultés de la présence du Pape et du Roi d'Italie dans une même capitale. (Dépêche, 19 Sept.)

En Belgique, M. d'Anethan, ministre des Affaires étrangères, déclare à l'ambassadeur italien : " Qu'il faut à tout prix trouver une combinaison, quelque chose qui permette aux Saint-Siège d'exercer ses fonctions spirituelles dans sa pleine et entière liberté d'action, sans qu'il soit même possible d'imaginer qu'il y entre la moindre pression ou influence étrangère, et encore ce quelque chose devra recevoir la garantie collective des grandes puissances catholiques. (Dépêche, 12 Sept. 1870.)

En Angleterre lord Granville déclare qu'il est prêt à faire savoir au cardinal Antonelli, que le gouvernement est disposé à prendre des arrangements. (8 Sept. 1870.)

La Russie, où il y a peu de catholiques, prétend ne pas vouloir se prononcer définitivement sur l'ensemble de la question Romaine. (Dépêche, 26 Oct. 1870.)

Rappelons aussi les énergiques protestations adressées au cabinet de Florence par le Président de la République de l'Équateur, Garcia Moreno. — (Is, uti notum est, a secta Massonica morti damnatus a sicario occisus est.)

1. *Nota.* - Fidelitas nobilis Hispanicæ nationis S. Sedi causa est odii quo eam prosequitur secta Massonica, et difficultatum interminabilium quas ei suscitat per rebellionem Cubæ ac insularum Philippinarum. Nihil magis exoptat quam eam debilitare et impotentem reddere.

profligato dominatore, mox tamen reges quasi resipiscentes mederi conati sunt per fœdus, ut aiunt, sacrum et restaurationem temporaneam Principatus Apostolicæ Sedis, quin tamen serie resarcirent pristinum ordinem socialem, magis magisque quassatum per sectam Massonum ac de novo penitus confractum. Sic nec prius sacratissima jura dominationis et proprietatis violari ac conculcari, novumque jus facti completi inaugurari passi sunt moderatores et reges Europæ quam ecce adstat in pœnam furens ac minax demagogia populorum, quæ impatiens imperatores dominatoresque a solio descendere invitat ut ipsa illud ascendat atque regnet.

Eheu ! nonne delusi sunt moderatores nostræ ætatis quoties ad extinguendam sitim juris et justitiæ populorum suorum, dereliquerunt fontem aquæ vivæ et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas (1) ?

Et addere licet hæc gravia monita Dei : " et nunc reges intelligite, erudimini qui judicatis terram. "

Quorum tamen non penitus oblita esse videntur varia Europæ gubernia christiana, quippe nondum plane ratam habuerunt spoliationem statuum Ecclesiæ a regno Italiæ peractam, ideoque si minus actuale Dominium vindicare audent, jura tamen regiæ dominationis sarta tectaque in Pontifice servare student, ne antiqua juris notitia penitus jam extincta in suam ipsorum perniciem cedat. Hinc regii honores, quibus continuo Papam ut de jure regem Romæ prosequi curant, ut sæpe sæpius Russia, Germania et Anglia intentionem manifestavere. — Ecquid fieri posset ut jus illud verum et continuo agnitum opportuna occasione nacta, non in actum reduceretur ?— Placet etiam exemplum proferre quod nuperrime occurrit occasione coronationis magni Imperatoris Alexandri III, nam invitatus fuit Romanus Pontifex ut legatum mitteret, non quidem qua caput spirituale Ecclesiæ catholicæ, sed qua Princeps temporalis. Etenim S. Sedes

1. *Jer.*, II, 13.

a gubernio Russiaco notificationem accepit ejusdem formæ eodemque sensu quam ceteri Principes. Invitatus fuit Abdul-Hamid non ut caput spirituale cultus Islami sed ut Princeps supremus regni Turcarum : invitatus Guilhelmus ut Imperator Germaniæ, non ut caput ecclesiæ quæ se evangelicam vocat ; invitata Victoria, ut Regina Angliæ, non ut caput ecclesiæ anglicanæ. Ita et Papa ut Princeps supremus sine ulla exceptione vel minima restrictione. Et Moscoviæ Legatus ejus præeminentiam habuit super Legatos ceterarum nationum, seditque inter Principes familiarum regalium totius Europæ [1]. Item nuperrime Papa-Rex Legatum misit qui coronationi hodierni Imperatoris Russiæ assisteret.

Imperator Germaniæ Guilhelmus I, uti notum est, Papam etiam ut Principem verum agnovit. Conflictus ortus erat inter potentissimum imperium Germanicum et antiquam monarchiam Hispanicam occasione possessionis insularum Carolinarum ; bellum adstabat, conflagratioque generalis jam præsentiebatur. Sola mediatio quædam regalis, ab utraque parte litigante sincere accepta, potuit concordiam operari bellumque impedire. Unanimiter cum Rege Catholico Imperator hæreticus ceu mediatorem elegit Leonem XIII, non qua caput catholicismi, sed qua Regem verum.

Profecto ephemerides Massonicæ regni Italiæ conatæ sunt factum istud a vero sensu detorquere, ast frustra. Ipsissimum gubernium Borussiacum notam, uti dicunt, officialem edidit ad manifestandum mundo universo se Papam ut arbitrum elegisse, quia semper est atque permanet verus Princeps territorialis supremus et independens [2].

1. Van Duerm, *Vicissitudes politiques*, etc., p. 443. D'après les règlements des traités de Vienne (1815) et d'Aix-la-Chapelle (1818) les Nonces ont le pas, dans les cours catholiques, sur les ambassadeurs. *(Ibid.)*

2. En ipsissima verba : " L'Allemagne s'est adressée au Pape principalement parce qu'il est Roi, reconnu par le gouvernement Prussien, qui a auprès de sa personne accrédité un ambassadeur. ***Il a eu recours au Pape comme à un souverain : dignité que l'histoire*** ET LE DROIT lui reconnaissent depuis des siècles. " *(Gazette de la Croix.)*

Durante eadem negotiatione Princeps de Bismarck Leonem XIII titulo appellavit quem in diplomatia solis Principibus dari solet, ideamque comportat absolutæ independentiæ et supremæ auctoritatis, eum vocando " SIRE. "

Sic et Anglia protestantica, occasione festivitatum jubilarium Reginæ Victoriæ mense Junio 1887 in palatium Buckinghamense, Legatum Leonis XIII excepit iis cum honoribus qui tantum Principibus coronatis tribui solent. Quinimo ipse Turcarum Imperator mittendo Leoni XIII jubilanti inscriptionem famosam Abertii, per Legatum specialem eum ut Regem coluit [1].

Jure meritoque ergo notat gravis et perspicax D. Verspeyen, quod omnes nempe nationes, quibus cura est conservationis sui ipsius, propius ad Papam accedunt [2].

9. Præterea, etiamsi Papa nullo polleret jure in Principatum civilem, et merus esset Pontifex supremus veræ religionis christianæ et Successor Petri, adhuc tamen plena securitas et libertas in supremo officio ipsi comparanda cordi esse deberet, non solum cunctis nationibus christianis, sed præsertim nostris temporibus omnibus cordatis viris, qui sincere nostræ societatis malis mederi quærunt.

Papa enim, Vicarius Christi, Redemptoris et Restauratoris generis humani, caput est spirituale catholicorum Belgarum, Anglorum, Hibernorum, Scotorum, Batavorum, Danorum, Gallorum, Germanorum, Austriacorum, Slavorum, Italorum, Hispanorum, Lusitanorum, Orientalium et Occidentalium, Septentrionalium et Meridianorum, Barbarorum ac Americanorum. Num hodiernæ reipublicæ moderatorum perinde minime interesset causa et libertas illius juxta cujus præcepta comparative major pars civium earum mores gerere tenentur?

1. Van Duerm, *l. c.*, p. 44.

2. " Toutes les Puissances soucieuses de leur avenir et de leur intérêt songent à se rapprocher du Pape... Il n'est pas un État, fût-il de premier ordre, et hostile au catholicisme, qui ne comprenne aujourd'hui qu'en rompant avec le Vatican, il s'amoindrirait lui-même, il dérogerait à son rang, il perdrait son influence. " (*Livre d'or du Pont. de Léon XIII*, p. 295.)

Leges civiles sæpe sæpius nonnisi pœnales habentur, dum· leges morales Pontificis internam conscientiam afficiunt et majorem virtutem ac sanctionem ad ordinem communem præ se ferunt. Ergo ubi fideles illi postularent ut Pater et dux animarum in plenam vindicaretur libertatem, jam Statui competeret opem ferre petentibus, quemadmodum decet auxiliari filiis qui, in defensionem genitorum, juvamen implorarent viri fortis, justitia ac pietate præditi. Ast crescit in immensum auxiliandi æquitas ubi agitur de Patre inique spoliato, et de Patrimonio universæ familiæ christianæ contra injustum aggressorem ac detentorem vindicando. Nonne et justi juvaminis implorati denegatio, quibus vindices justitiæ esse competit a parte eorum, misere redundare debet in diminutionem venerationis ac obedientiæ civium ? Ergo quotquot sunt nationes in quibus incolæ catholici habitant, decet, expedit, imo oportet illas, continuo ad jura Patris vindicanda omnia media legitima indesinenter adhibere. Ita peremptorie Card. Dechamps et D. Laforêt ([1]).

1. Concinne ratiocinatur Cardinalis Dechamps :

" N'est-il pas clair qu'il n'existe pas, dans le monde civilisé, de gouvernement qui ne puisse et ne doive défendre les intérêts et les droits de ses sujets ?

" N'est-il pas également clair que, dans chaque État, l'intérêt suprême des catholiques, leur droit incontestable, c'est la liberté de leurs consciences inséparablement unie à la liberté et à l'indépendance du chef de l'Église ?...

" Veuillez remarquer le double caractère de la question Romaine.

" C'est une question générale, ou plutôt universelle, car la catholicité n'a pas de frontière.

" C'est néanmoins une question intérieure pour chaque État ; car tous les États ont des sujets catholiques, qui ont droit à la liberté de leur conscience et à la possession des garanties de cette liberté, qui leur ont coûté leur or et leur sang... Tous ces gouvernements ont le même devoir : celui de faire leurs efforts pour sauvegarder les droits de leurs sujets catholiques à l'indépendance de leur chef spirituel, et par conséquent à la possession pacifique des garanties de cette indépendance que la catholicité s'est acquises par la souveraineté du Pape dans les Etats de l'Église. " (Ep. 27 nov. 1870.)

Et D. Laforêt : " Ce n'est pas seulement un droit, *c'est un devoir impérieux* pour tous les gouvernements qui ont des sujets catholiques d'intervenir pour mettre fin aux violences de l'Italie, et pour restituer au chef de l'Église des États qui nous appartiennent et qui sont la garantie de la liberté de nos âmes. Il faut dire qu'ici le devoir et le droit sont inséparables. Quelle est la principale raison d'être des gouvernements, sinon de maintenir l'ordre public et de procurer

Quis enim vir cordatus ullus quamcumque profiteatur religionem, modo sincere societatis malis mederi cupiat, hisce filialibus clamoribus jure contradicendum censeret? Nonne exaltatio almæ hujus auctoritatis cunctis regnis, populis ac civibus, uno verbo, societati humanæ universæ prodesset, sicut continuo per sæcula prodesse visa est?

Et eo magis nostris temporibus urget restauratio, quo magis periclitatur omnis legitima auctoritas, ita ut quicumque ad bonum ordinem societatis quidquid modicum conferre possunt, parati esse debeant totis viribus incumbere libertati S. Sedis et restaurationi Principatus ejus civilis.

Itaque ut apprime loquitur et hortatur Cardinalis Vaughan, quæstio Romana internationalis est et æque Britannica ac Italiana (1), quod quidem ipsum Italicum gubernium sæpius agnovit, quam ut opus sit hisce longius insistere (2).

le bien commun ; ce qu'ils font surtout en protégeant et en défendant les droits et les intérêts de leurs sujets. " (Laforêt, *Revue catholique*, t. XXXI. p. 382.)

1. *The Roman question international and British, non purely italian* (London, 1889). — Traduction par l'abbé Moreau, Paris, Palmé; Bruxelles, Vromant, 1889.

2. Le ministre italien rédigea une dépêche à l'adresse de tous les représentants de l'Italie près des cours étrangères. " L'Italie est appelée, dit-il, à régler *avec le monde catholique* les conditions de la transformation du Pouvoir pontifical. "

Minghelli, ambassadeur à Vienne, répond : " Tout le monde, catholiques ou non catholiques, est très préoccupé de la question de la liberté et de l'indépendance du Saint-Siège. D'où l'intention du gouvernement Italien d'arriver à une entente sur ce sujet *avec les autres puissances*, est regardée comme sage et opportune pour éviter des complications ultérieures. "

In eodem sensu rescripserunt legati Italiæ ad aulam Londinensem, Parisiensem, Hispanicam, Belgicam, etc. (Card. Vaughan, *Op. cit.*, cap. IV. *La question Romaine reconnue comme internationale par le gouvernement italien.*)

Item in Congressu Berolinensi, cum legatus Italiæ postularet ut ceteræ Potestates ratam haberent atque diplomatice confirmarent occupationem Romanam, restiterunt legati Galliæ et Austriæ, quinimo ipsissimus Princeps de Bismarck, nec passi sunt ut hæc quæstio vel in discussionem veniret. — Hæc recusatio profecto sententia est diplomatica (*).

Quæ sententia non fuit revocata, ut patet ex responsione cancellarii Austriæ, comitis Kalnoky data in comitiis publicis, mense Octobri 1892.

Inde odium oritur Massonum erga corpus diplomaticum.

* Prélot, t. 65, p. 437, de 't Serclaes, t. II, p. 201.

Quod ceteroquin multi diplomatici Itali aperte confessi sunt, nos quoque proclamare licet cum Ruggiero Bonghi, aiunte : " Nationes Europæ hac in re spectatores nostri sunt atque judices; " vel cum Marco Minghetti cui dicere solitum fuit " Europam sibi reservasse quæstionem Romanam. "

10. Sed quæret quispiam, utrum quænamve indicia providentialia divina vel humana oculis affulgere videantur quibus spes in fiduciam crescat fore ut dies restaurationis brevi illucere possint ?

Adsunt revera signa temporum, adsunt præsagia certa ex quibus dispositiones ævi jam augurari licet, easque cooperante homine, aut etiam, ut loquitur Leo XIII, invitis hominibus, ad Ecclesiæ suæ incrementa de facili Providentia transferre potest.

Inter alia plura datur imminens ruina Italiæ et inchoata vindicta Dei in reos, datur flatus supernus quo Reges et Principes novas amicitias cum Pontifice-Rege inire student, datur insuper immensa aspiratio restituendi regnum juris et æquitatis qua cuncti populi et in primis gregales plebis flagrant quam maxime. Quantopere exin spes nostra in Deum augeri debeat, quantopere addat animum ut sublimi huic operi adlaboremus atque ad bonum exitum Deum deprecemur nullus est qui non videat.

Sed non jam longe abest dies qua secta ab dominationis alto culmine ruet, Italiaque sui compos pristinam amicitiam cum Patre suo resarcire studebit. Satis est supradicta facta ac gesta in memoriam revocemus : præsto est factio freni impatiens conjuratorum ægre et invite ferentium regimen monarchicum ([1]); præsto est inquietus animus plurimorum civium quorum bona et jura inique cedere debuerunt ficto

1. " L'unité nationale ne peut se maintenir si elle est basée sur l'injustice. N'est-il pas constaté par les faits que l'usurpation des États de l'Église a introduit en Italie un élément permanent de discorde? Les sectes peuvent détruire, parce qu'elles ont pour cri de ralliement : guerre à l'Église catholique ; elles ne sauraient édifier ni conserver, faute de principes qui fondent et maintiennent les sociétés. " (Vennekens, *Néces. d'une rest. du pouv. temp.*, 4e Éd., p. 51.)

huic numini Patriæ Italicæ, omnia et singula voraciter sibi allicienti ac devoranti; præsto insuper est ruina artium, litterarum et opum quibus Italia olim adeo excelluit, quippe quæ industriæ materiali et negotiis septentrionalium regionum plane impar existit ([1]).

Quot flagellis præterea Deus viros afflixerit, qui manum spoliationi iniquæ adhibuerunt, creditu vix possibile videtur. Quemadmodum celeberrimus Apologista sæculi quarti Lactantius opus scripsisse fertur *De morte persecutorum*, ita nostris temporibus aliud opus superaddi juvaret de morte usurpatorum S. Sedis. Etenim anno secundo nondum evoluto ab injusta occupatione Urbis jam mirabilis conscribi potuisset catalogus plus quam quadraginta nominum virorum qui primas partes in nefaria spoliatione et occupatione nacti fuerant et quorum plurimi tristissima morte sunt occupati præ manifesta vindicta Dei. Quos inter numerantur: Cavour, Farini, Fanti, Cassinis, Siccardi, Herbini, Gioberti, Pinelli, Santa-Rosa, Marla, Maia, Buffa, Salvagnoli, Della Rocca, Minghetti, Modena, Papute, Manin, Pope, Lafarina, Boggio, Del Furis, Di Luna, La Osso, Foggi, Rizzadoro, Bianchi, Bianchi Giovini, princeps Corsini, Cornero, Quaglia, comes Syracusarum, Stefani, Da Bordina, Cerragli, Pietro Gioja, Perroni, Palladini, Rosina et alii plures.

Quadraginta victimæ a vindice justitia Dei plectæ inter quas quatuor ministri Piemontenses, quorum primus, Cavour, die 11 Octobris 1860 in conventu publico, occupationi præludens, jactans exclamare ausus: " Quousque post hasce sex menses Italia ac Europa progressuræ sint, videbimus! " vix sex mensibus post subito morbo herculeo est correptus et

---

1. " Ruine du crédit, défiance des capitaux étrangers, liquidation de nombreux établissements financiers, misère et abandon des campagnes, expropriation de milliers d'hectares par le fisc, augmentation croissante des impôts, accumulation des déficits annuels, voilà la situation matérielle de l'Italie unitaire. " (Prélot, *Études S. J.*, t. 65, p. 1891.)

brevi amentia afflictus tristis occubuit, dum alter, nomine Farini, furore quodam perculsus diem supremum obiit in villa sua Salligiæ angustiis oppressus atque in conditionem abjectissimam redactus. Nec necesse est ut mortem ministrorum Fanti et Cassinis in memoriam revocemus quorum unus suicidio, alter dementia correptus est (1).

En quadraginta exempla justitiæ supernæ, præter viginti et duos qui ex ducibus militaribus qui a tempore spoliationis misere plerumque occubuere, præter obitum ipsius primi regis Italiæ Victoris Emmanuelis mortali ægritudine oppressi 5 Januarii 1878 eadem ferme die qua antea jussu ejus, dux militum Marmora vi et fraude aditum palatii Quirinalis regi aperuerat (2).

En quomodo peccatum populos miseros facit, dum justitia gentes elevat. — En quomodo jam sonat ruina Italiæ; non

1. *Collection de Précis historiques*, IIe Série, t. I, 1872, 35.

2. *Hist. de Pie IX*, par Sylvain, II, p. 136.

Hic addere juvat cladem quam hoc anno copiæ Italicæ in Ethiopia subierunt cujus adjuncta mira adeo videntur ut non possimus quin illud *Mane, Thecel, Phares* ac digitum supremi Vindicis notemus. In terra Æthiopum, prope Adouah, die 3 Martii 1896, e 15,000 militum ducis Baratieri 7000 occisi sunt, 3000 graviter vulnerati, ceteri in captivitatem redacti per Abyssinos armatos iisdem armis quæ Italia injuste sumpserat a Pio IX et vendiderat regi Menelik. — *Italia fara da se!* — Jure merito notat scriptor catholicus : " L'an dernier (1895) l'Italie fêtait bruyamment le vingt-cinquième anniversaire de la prise de Rome. Crispi, à l'apogée de sa politique, se donnait la joie d'insulter officiellement la Papauté.

" Six mois après, un obscur roi d'Éthiopie balaie une armée italienne, lui abat cinq généraux et lui prend 70 pièces de canon, un peu plus que le nombre des batteries mises en ligne pour ouvrir la brêche de la porte Pia.

" C'était, semble-t-il, la réponse de Dieu à la consécration du sacrilège attentat de 1870.

" Dieu châtie les nations par la guerre. L'Europe aujourd'hui, jouissant de la paix, il fallut bien que l'Italie s'en allât chercher ailleurs la leçon qui lui revient. Infligée par des *barbares* avec des armes *ravies le 20 Septembre aux troupes Pontificales*, et *vendues* depuis en Afrique, cette leçon est singulièrement éloquente.

" La défaite d'Adouah équivaut à la perte d'une bataille rangée. Il s'y ajoute l'insupportable affront pour une puissance européenne d'avoir à subir les conditions dictées du fond de l'Afrique par un monarque noir.

" Ainsi s'effondre *au premier choc* ce prestige militaire tant rêvé par les Italianissimes. "

tamen Italiæ veræ et genuinæ quæ, Christianæ religioni et Pontifici Supremo tanquam centro gloriæ et majestatis suæ deditæ, parata est ut res cum Apostolica Sede amice componat; sed Italiæ falsæ in sectarum clandestinarum servitutem durissimam redactæ. Hæc dum in diem a vertice ruit, manifeste assurgere magis magisque cernitur illa. Profecto enim providus Deus sicut cunctas res naturæ ita et populos sanabiles fecit, ideoque inter gentes nec germina boni ita perire permittet ut populi in ineluctabile exitium proruere sint necessarie coacti. Itaque, ruente Italia massonica, agmen affulget in pluribus mancipiis cordatorum virorum genuinorum Romanorum et Italorum, sectæ maxime odiosorum ([1]).

11. Equidem in consiliis supernis : " Unus dies apud Dominum sicut mille anni et mille anni sicut dies unus ([2]). " Sed adsunt et verba Christi : " Ab arbore autem fici discite parabolam : cum jam ramus ejus tener fuerit et folia nata, scitis quia prope est æstas ([3]). " Quo minus proficit incœptum novi regni Italici eo certe magis crescit in diem auctoritas ac majestas Pontificis Romani coram potentatibus ac moderatoribus christianarum nationum, ita ut auctoritas Papæ unica sit nec habeat alteram similem.

Quod secta tamen præpedire est conata, cum Pontificem quasi incarceratum tenens, ei viam præcludere intenderit qua ipse populos ad se traheret ; et ecce, mundus universus ad eum sponte convolare ipsique adhærere visus est : fideles ac infideles, Reges et Principes, regna atque respublicæ cum Pontifice amicitias inire inhiant, imo auxilium ejus implorant atque interventionem in angustiis politicis suis.

1. De 't Serclaes, *Léon XIII*, II, ch. 30, p. 203.
Item : Prélot, *Étud. relig.*, t. 65. p. 190. — " Le conflit religieux a coupé l'Italie en deux moitiés, d'un côté la portion la plus nombreuse, la plus saine et la plus honnête, mais qui ne participe point aux affaires, — de l'autre, le pays légal, et dans ce pays légal la minorité d'une minorité qui impose ses volontés au reste de la nation. "

2. *II Petr.*, III, 8.

3. *Matth.*, XXIV, 35.

E contra elongantur et abalienantur domus ac familiæ regiæ ab aula Italiæ, ita ut solium ejus ascendere aut hujus participes fieri quasi abhorrescere videantur. Nihilominus nonne omnia tentavit miserum illud regnum, nonne maximis sumptibus curavit ut cuique nationi alienæ serviret, ædificando classem, comparando copias innumeras, suscipiendo bella gravissima in regionibus longinquis ? Sed frustra !

Quantum vero Providentia irridet consiliis hominum ! Quum versus finem Pontificatus Pii IX monarchia papalis quasi ab omnibus guberniis derelicta solitaria exstaret, sub Leone XIII grata facta est omnibus, imo et amicissima singulis potestatibus Europæ, quæ non possunt non mirari hanc auctoritatem suprahumanam Vicarii Christi, sola tamen domo Sabaudiæ excepta.

Ita resipiscentes tandem agnoscere videntur beneficia quibus societates Europæ continuo a Pontifice cumulatæ fuerunt atque præservatæ, cum ut ipsis præ oculis posuit gloriosus Leo XIII, "profecto sempiternae posterorum memoriae historia commendavit summa Pontificatus Romani in Europam merita... ([1]). " — " Fuit aliquando tempus (testatur historia), cum evangelica philosophia gubernaret civitates : quo tempore christianae sapientiae vis illa et divina virtus in leges, instituta, mores populorum, in omnes reipublicae ordines rationesque penetrarent : cum religio per IESUM CHRISTUM instituta in eo, quo æquum erat, dignitatis gradu firmiter collocata, gratia Principum legitimaque magistratuum tutela ubique floreret : cum sacerdotium atque imperium concordia et amica officiorum vicissitudo auspicato coniungeret. Eoque modo composita civitas fructus tulit omni opinione maiores, quorum viget memoria et vigebit innumerabilibus rerum gestarum consignata monumentis, quæ nulla adversariorum arte corrumpi aut obscurari possunt. — Quod Europa christiana barbaras gentes edomuit, easque a feritate

1. *De Stud. Hist.*, 18 Aug. 1883.

ad mansuetudinem, a superstitione ad veritatem traduxit; quod Mahometanorum incursiones victrix propulsavit; quod civilis cultus principatum retinuit, et ad omne decus humanitatis ducem se magistramque præbere ceteris consuevit: quod germanam libertatem eamque multiplicem gratificata populis est: quod complura ad miseriarum solatium sapientissime instituit, sine controversia, magnam debet gratiam religioni, quam ad tantas res suscipiendas habuit auspicem, ad perficiendas adiutricem. — Mansissent profecto eadem bona si utriusque potestatis concordia mansisset: maioraque expectari iure poterant, si auctoritati, si magisterio, si consiliis Ecclesiae maiore esset cum fide perseverantiaque obtemperatum. Illud enim perpetuae legis instar habendum est, quod Ivo Carnutensis ad Paschalem II Pontificem Maximum scripsit: "Cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat Ecclesia. Cum vero inter se discordant, non tantum parvae res non crescunt, sed etiam magnae res miserabiliter dilabuntur ([1]). "

Sed, addit Pontifex, perniciosa illa ac deploranda rerum novarum studia, quæ sæculo XVI excitata sunt, mox naturali quodam itinere ad philosophiam, a philosophia ad omnes civilis communitatis ordines pervenerunt... " Ex hoc velut fonte repetenda illa recentiora effrenatae libertatis capita, nimirum in maximis perturbationibus superiore saeculo excogitata, in medioque proposita, perinde ac principia et fundamenta novi iuris, quod et fuit antea ignotum et a iure non solum christiano sed etiam naturali plus una ex parte discrepat ([2]). "

Ita Leo XIII docet reges, et hi, licet non exsequantur dicta, aures attentas præbent, nec fieri potest quin, velint nolint, aliquem saltem influxum ex tanta sapientia subeant fructumque exin reportent. Quod si igitur hactenus cum

1. Encycl. *Immortale Dei*, 1 Nov. 1885.
2. *Ibid.*

quindecim circiter nationibus summus Pontifex iisdem relationibus gaudet diplomaticis quibus antea, tempore scilicet quo jus suum regium in actuale reducebatur exercitium per possessionem Dominii territorialis Ecclesiæ, quid est cur, nacta opportuna occasione, uti innuimus supra, jus illud verum atque ab omnibus ferme agnitum non brevi in realem usum prodiret, ad bonum summum in Europa promovendum supremamque perniciem atque irreparabile catastrophen vitandum ? Exoptant Principes ut Pontifex efficaciter medeatur malis societatis; ast primum malum est ipsa socialis deorganisatio ex separatione a S. Sede oborta, et ex spoliatione obfirmata. Etenim Papa testari non desinit: quod " Pontifex neque est neque umquam erit liber et independens, quousque suprema ejus potestas adversæ auctoritatis præpotentiae ac libidini subjiciatur; — quousque sublime ipsius ministerium motuum politicorum influxui ac tyrannidi objiciatur; — quousque illius leges ac decreta partium studii ac offensionis pro singulis nationibus a suspicione immunia sint [1]." Ergo Principibus ad restaurationem perveniendum erit. Itaque præter causam assignatam sectæ maleficæ, cujus satelles est præsens Italiæ gubernium, quidnam prohibere posset quominus Principes tandem per restauratum Principatum S. Sedis pristinam juris et æquitatis dignitatem vindicent et ita ordini sociali ac propriæ securitati provideant [2] ?

12. Quod tempus restituendi juris et æquitatis regnum jam propinquius adsit et magis urgeat patet ex aspiratione

1. Epist. Pii IX ad Card. Antonelli, 16 Jun. 1872.

2. — " En regard des réserves que la diplomatie oppose à l'occupation des États romains, mettons la place de plus en plus grande qu'elle fait à la Papauté dans les affaires de l'Europe : de là encore il nous est aisé de déduire la probabilité d'un changement dans la situation temporelle du Saint-Siège... Le Vatican est redevenu le foyer de lumière auquel s'éclairent même les affaires de ce monde. On peut le dire sans crainte d'exagérer, il n'y a pas de chancellerie politique aussi occupée, dont la sphère d'action soit aussi étendue que le cabinet du Pape... Nous contemplons dans le Pape la première personne intellectuelle et morale de ce monde ; plus que cela, la plus grande autorité, la plus haute puissance qui existe ici-bas... Pendant cette dernière vingtaine d'années la dispro-

populorum; constat de commotione societatis ut cum viro perspicacis animi his verbis utamur poetæ :

> Ultima Cumæi venit jam carminis ætas ;
> Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo (1).

Quemadmodum enim in imperio Romano jamjam ruituro, ita coacervantur in societate nostra discordiæ, odia, jurgia quæ oriri solent ex juribus violatis omnium et singulorum : amarescunt animi subditorum in dominos et dominorum in subditos, coalescunt invidiæ inferiorum in duritiem superiorum et superiorum querimoniæ in inferiorum contumaciam, diffiden-

portion est devenue de plus en plus flagrante entre l'état et le rôle du Pape, entre sa condition et sa fonction. De là à une intervention positive des Puissances pour le rétablissement du pouvoir temporel, la distance ne nous paraît pas infranchissable. En accroissant dans une mesure aussi éclatante le prestige de la tiare, Léon XIII préparait indirectement les voies à la restauration des droits territoriaux du Saint-Siège. " (Prélot, *Études*, t. 65, p. 441 et seq.)

— " Un écrivain, aussi de l'Italie et point clérical, le comte Rostworowski, établit que la proportion dans laquelle le cercle de l'action religieuse, morale et politique de la papauté s'est élargi depuis le pontificat de Léon XIII, et la gravité des intérêts nationaux et internationaux engagés dans la question de la situation qui doit être faite au Souverain Pontife, suffiraient à elles seules à rendre la papauté institution internationale et le Pape personne internationale. " — Il constate que les gouvernements et les peuples se sont toujours efforcés de reconstruire morceau par morceau la Souveraineté brisée de la papauté. " Et s'ils l'ont fait, c'est que tous étaient également intéressés à voir son ministère religieux et son action morale et politique, se déployer librement et hors des atteintes d'un pouvoir quelconque, qui aurait la faculté soit de l'entraver, soit de l'exploiter. " (*Léon XIII*, par T'Serclaes, t. II, p. 173 note.)

Objiciunt: " La question Romaine est purement italienne. " — Merito respondere licet : " Votre nouvelle prétention est mise en avant parce que vous redoutez les résultats d'un Congrès Européen. Vous avez la conscience de la faiblesse et de l'injustice de votre cause. Maintenant que la Révolution est maîtresse de votre gouvernement, vous essayez de rejeter la juste et puissante intervention de l'Europe et de réclamer pour vous seul le droit de régler la cause du Pape comme s'il s'agissait d'un différend domestique. Voilà pourquoi vous cherchez à échapper à l'intervention de l'Europe, juste au moment où les catholiques s'apprêtent à influencer leurs gouvernements respectifs en faveur du Pape. " (Card. Vaughan, *l. c.*)

— " On ne désespère pas de voir les gouvernements d'Europe, poussés par l'instinct de conservation propre et pur, le besoin de mettre un frein au radicalisme, s'associer entre eux et chercher un moyen plus efficace d'assurer la situation du Pontife par des garanties plus larges, plus solides et plus hautes que celles de la loi de 1871. " (De la Vega, *l. c.*)

1. Virg., *Égl.* IV, 4-5.

tia regnorum christianorum in alia regna christiana, quorum suis quodque nationalibus cupidinibus satisfacere studet. Exin fit ut immolentur sæpius jura individualia atque domestica civium juribus dominorum aut factionis prædominantis, jura vero dominorum omnium et singulorum sacrificentur patriæ, dum jura patriæ non jam sarta tectaque existunt, sed in prædam cedunt concupiscentiæ nationis vicinæ. Ita ac crescere in diem videntur læsi animi atque conspirare ad novum ordinem tentandum, quorum conjuratorum vox, ut ita dicam, sicut sæculo XVI Lutheranorum clamor, ad reformationem faciendam omnia destructionis elementa in unum conflare visa est. Sicuti sæculo XVIII philosophorum ac pseudopoliticorum falsa species libertatis, æqualitatis ac fraternitatis commotas catervas in agmen coegit, ita jam nunc aspiratio facta est omnium et singulorum in unum coalescentium unamque sibi fingentium formulam generalem. Quare ergo et ita fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania, ut extemplo una conspiratio omnium, una vox, unus clamor resonet undique ac totam Europam percrebrescens, universa regna tremere faciat ? Non jam ut olim panes et circenses vociferabuntur gregrales plebis, quippe qui præpotentes effecti, desiderio rerum potiundi flagrant. Sicut auctor egregius perbelle animadvertit in ephemeride cui titulus " actio socialis" pro sola justitia sibi vindicanda efferuntur flatus præponderantis democratiæ relationes sociales corrigere ac immutare cupientis : " Justitiam nobis vindicamus, minime charitatem, " sic aiunt ([1]).

Quam imperiosa, quam ineluctabilis, quam periculosa sit hæc temporum nostrorum aspiratio, nemo est qui non videat. Etenim justitia, nisi charitatis temperamento mitescat, sæpe sæpius degenerat in vitium crudelitatis ; justitiæ limites indagare et fontes, res maximi momenti est, plebi plane impervia ac ideo exponens populos ambitioni multorum.

1. Lehmkuhl, *L'Action Sociale*. Louvain 1896.

Et insuper ad justitiæ vel naturæ illam æquitatis aspirationem vitiandam in mentibus et cordibus proletariorum, jam nihil non tentaverunt sectæ Massonicae, instillantes in animos operariorum præsertim justitiam falsi nominis, vel, ut ait Leo XIII, " ius novum quod et fuit antea ignotum et a iure non solum christiano sed etiam naturali plus una ex parte discrepans" — jus naturalisticum, si ita loqui fas est — jus effrenatæ libertatis, æqualitatis et fraternitatis vagæ — jus cujus nativa vis est cuncta subvertere ac promovere aversionem in jura positiva divina S. Sedis et Religionis Christianæ, luctam in legitimam proprietatem quamcumque, odium secretum in auctoritates omnes, uno verbo, jus profecto socialisticum.

Hic in mentem supra narrata revoces.

Inde cunctæ nobis mixtæ atque confusæ exstant notiones justitiæ et juris, exin cuncta quoque caligine errorum obducuntur, exin atra nox et tenebræ quibus undique circumvolvitur societas nostra, ut tutum eligere iter et cursum ad justitiam socialem veram vix et ne vix quidem possit.

Sed pervigil Pontifex periculum præsentis commotionis et indagationis socialis jam prævidit, populosque e manibus sectæ, et ab imminenti pernicie eripere totis viribus jam conatur. Custos quid de nocte? De nocte inquam in qua vagatur societas?

Et ecce clamor Pontificis quasi classicum ex alto Vaticani colle resonare auditus est ad aures omnium moderatorum populorum æque ac civium, percrebrescens per Europam, imo per Orbem universum in admirabili encyclica "de conditione opificum" inscripta. Ecce monet Pontifex pastores Ecclesiæ suæ, moderatores regnorum, quoscumque demum cordatos cives, ut cursum societatis recte dirigant, ne navicula in paratum jam barathrum ineluctabiliter pereat. " Utcumque sit, ait, infimae sortis hominibus *celeriter* est atque *opportune*

consulendum " [1] — via qua progreditur socialismus falsa est ac ruinis plena — trames vera et unica est reintegratio juris vere Christiani. — Ita quæstio socialis ad quam cura de conditione opificum maxime spectat, ut ramus ceteris ramusculis fortior et succum trunci magis absorbens, coincidit cum quæstione de dignitate et regno veri juris christiani et æquitatis restaurandæ inter gentes christianas omnes.

Quod quidem intellexere viri perspicaces ut aspirationibus populorum obviam euntes nil negligerent, ut duce Pontifice Romano, doctrinas Encyclicæ executioni mandarent cursumque et conatus populorum in recta tramite continerent.

Ast jam ad scopum redeamus : si ideo fremunt gentes, ut pristino jure potitæ, pristina pace, ordine atque civilitatis progressu fruantur, quis est qui non perspiciat, nisi motus abrumpatur aut in inanes desinat tanquam viri febricitantis conatus qui tandem in perniciem vertuntur, commotiones atque aspirationes illas tandem eo perventuras esse ut restaurationem clament illius juris Pontificis, in quo quasi concreta et sacrata habentur cuncta jura civilia et personalia societatum Europæ, in quo solo universale regnum juris et æquitatis de facto ac publice restaurari potest ; cum in ejus eversione et spoliatione cuncta jura et populorum et regum periclitari cœperint ?

Ita in proximo est ut reintegretur jus quod læsum per fere integrum sæculum scandalum promovet populorum, quod nequit violatum permanere quin simul et jura auctoritatis regiæ et legitimæ proprietatis continuo discrimini exponantur, quod silentio et non-interventu regum inique spoliatum existens jugiter movet diffidentiam populorum in Principes, dum vero solus Pontifex spoliatus fiducia indesinenter gaudet omnium ac singulorum.

13. Quod si unquam antiqua societas Europæ et gentes Germanicæ stirpis spiritui tenebrarum quo Massones

1. Encycl. *Rerum Novarum*, 15 Maii 1891.

animantur obtemperantes, potius flatui divino ex ore Vicarii Christi prolato, tandem cursum flecterent in perniciem, jam actum foret de societate hac Europæa quæ per quindecim ferme sæcula prævaluit et nondum prævalere penitus cessavit. De cetero autem exules in Europa poterunt deinceps Germanicæ nationes Americanas petere plagas et quasi redivivæ novas condere civitates; attamen novæ ac prædominantes jam slavonicæ gentes Borussiæ, Russiæ et principatuum Danubiensium ipsis in hæreditatem succedent.

Hisce iterum Vicarius Christi, quidem successor Leonis XIII, salutis atque conservationis socialis auxilia offerre poterit, aut accipientibus in prosperitatem aut recusantibus in ruinam pro placito populorum; nunquam tamen quævis natio quævisve societas frustrare valebit consilia Providentiæ divinæ quæ unicum munimen posuit in terris, non solum ad salutem generis humani sed ad conservationem societatis civilis, Ecclesiam nempe Catholicam, Ecclesiam Romanam, Cathedram Petri, contra quam portæ inferi non prævalebunt. Ergo Papa iterum sit rex Romæ, restauretur in Pontifice jus pristinum, jus illud providentiale et ipso facto brevi cessabit quæstio socialis in mundo.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Quamquam modus efficax reducendi illud centrum firmum ordinis socialis in consiliis Dei latet, expedit ut monente et minitante Providentia, homo arripiat medium hoc salvandi societatem et consilia ineat de executione necessaria.

1. Innumeri exstant modi quibus Providentia efficaciter Principatum civilem S. Sedis restaurare valet. — 2. Per conatus nostros huic operi adlaboremus utendo medio, quod potius paci et ordini favet, nec nitamur vi armata, ut ipse censet Pontifex.— 3. Triplex exinde assignatur modus, sed in antecessum jura sarta tectaque maneant : fœderatio, mera cessio, neutralizatio. — 4. Conatus nostri ferantur in oppugnandum sectam Massonicam et socialismum. — 5. Et primo quomodo a socialismo removendi sint — adulti — juventus — fideles omnes. — 6. Et præterea quomodo oporteat aggredi impiam sectam Massonum in omnibus regionibus catholicis, per congressus quorum specimen est congressus antimassonicus Tridentinus 1896. — 7. Continuas quoque expedit reclamationes efferre in cœtibus et associationibus catholicis. — 8. In specialibus congressibus internationalibus hac de re convocatis.— 9. Testantur hunc in sensum viri peritissimi. — 10. Et utinam Patria nostra Belgica ita quæstionem Romanam promovere possit ut iterum in activam diplomatiam Europæam intret et solutio detur. — 11. Adhibeantur insuper studium et oratio ad Deum, et prius studium assiduum quæstionis socialis præsentis. — 12. Oratio fervidissima. — 13. Sub omni forma, ut antea inchoante captivitate Pii IX. — 14. Exemplar deprecationis.

1. Non certe desunt modi innumeri quibus providus Deus uti potest ut aspiratio hæc juris et æquitatis ac proin restauratio Principatus civilis Papæ efficaciter executioni mandetur.

Loco nostrarum adducantur a Deo novæ gentes Slavonicæ, quæ si minus violenter quam olim barbaræ, ast certe fortiter

ac gressu continuo a montibus Hyperboreis ostioque Danubii ad plagas nostras descendentes, tandem tribus Germanicas in Europa supplantent, quemadmodum olim deinde antiquos Celtas supplantaverunt ipsæ, eorumque dux vel Cæsar, pacis vel dominationis causa utatur superstitibus elementis conservationis socialis, ipsi quasi sponte occurrentibus ; et ecce extemplo resurget Principatus civilis Ecclesiæ Romanæ, cui nunc magis magisque populi adhærent, fideles quidem uti magistræ infallibili auctoritate gaudenti, ceteri vero uti soli tabulæ in naufragio sociali relictæ [1].

Aut potius, surgat dominatio democratica gregalium plebis jamjam in vetere Europa rerum potituræ ; ruina prius orietur permagna ut animadvertunt omnes et quemadmodum vidimus regnante communismo Parisiensi... Utinam tamen brevi post turbæ modo christianis principiis imbutæ, resipiscentes ad matrem Ecclesiam confugerent ipsamque in pristina dignitate ac libertate restituerent [2] !

Oriri quoque poterit novus dux populorum novusque Dictator, ut vidimus ineunte sæculo nostro, qui cunctas regiones submittens regnum justitiæ et æquitatis denuo efflorescere faciat.

1. " L'année 1648 vit la Russie mentionnée pour la première fois dans un Congrès Européen. Au traité d'Osnabrück (ou de Westphalie) du 24 Octobre 1648, qui rétablit la paix entre la Suède et l'Empire, les représentants de la reine Christine durent exciter l'étonnement des autres diplomates, quand ils firent comprendre dans la pacification générale, parmi leurs alliés et adhérents le tsar Alexis " grand-duc de Moscovie " — " ces bandes moscovites, armées d'arcs, d'arbalètes, ou de mauvais mousquets qui étaient alors un élément absolument négligeable de la politique Européenne. " — Prélot, *Études*, Nov. 1896, p. 500.

Voilà ce que dit l'excellent historien.

Mais, ajouterons-nous, que l'on veuille bien réfléchir attentivement à la marche en avant des deux grandes races slaves, qui forment la Russie et la Prusse, et cela tout juste depuis que la race Germaine a consacré par le pacte de Westphalie (où l'on se bornait à rétablir les relations amicales sans trop d'égard au droit et à la justice — comme dit Cantu) la déchéance de l'ancien principe du droit international et l'établissement de ce chef-d'œuvre de la politique protestante qu'on appelle l'équilibre Européen ; et l'on se convaincra que notre société Germaine n'a rien gagné à se séparer de l'Église Romaine comme centre social à la fois religieux et politique.

2. Monniot, *Questions du jour sur la Franc-Maçonnerie*, p. 91-92.

Ast nedum hæc omnia necessaria æstimentur, satis erit, si, depressa secta Massonica, quæ in Europa ac in primis in Italia restaurationi libertatis Pontificatus obest, Italia hæc generosa tellus a jugo liberata et e somno surgens, tandem aliquando resipiscat, atque fœdere inito independentiam concedat Pontifici sibique vindicet pristinam gloriam ac majestatem suam ([1]).

Nonne variis innumerisque hisce perspectis mediis exclamare decet cum Apostolo :

" O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei : quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit ([2]) ? "

" Cum quo iniit consilium, et instruxit eum, et docuit eum semitam justitiæ et erudivit eum scientiam et viam prudentiæ ostendit illi ? Ecce gentes quasi stilla situlæ, et quasi momentum stateræ reputatæ sunt : ecce insulæ quasi pulvis exiguus... omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram Eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt Ei ([3]) ! "

Quot præterea media, etiam nobis plane impervia, in promptu habet magnus ille Deus, infinite sapiens, infinite potens, qui a fine usque ad finem attingit fortiter et disponit omnia suaviter, cujus in manu cuncta media sufficientia sunt ideoque proportionata, propinqua et accommodata ad finem quem intendit. Non enim Deum a creaturis pendere dicemus, cum istæ illi subserviant etiam ex capacitate vel virtute obedientiali qua utiles fiant ex sola electione Dei ad talem finem obtinendum, quin aliquid necessario imprimat

1. *Livre d'or du Pontificat de Léon XIII.* — Kurth, p. 395. — *Bien Public*, 14 Déc. 1896. *Le mouvement catholique en Italie.* — " Il n'existe pas entre les catholiques d'Italie ces divisions politiques, qui paralysent trop souvent les efforts les plus généreux de leurs confrères de France et d'Espagne. — Ils n'ont qu'un but : délivrer l'Italie de la Puissance Maçonnique, pour la ramener aux traditions nationales et religieuses qui ont fait sa grandeur. "

2. *Rom.*, XI, 33-34.

3. *Is.*, XL, 14-17.

hac in re, ita ut æque bene serviret in alium finem [1]. De Ecclesia enim Dei dictum est a propheta : " Et erunt reges nutritii tui, et reginæ nutrices tuæ..." ideoque, ineunte sæculo Deus assumit in executionem consiliorum primum consulem Gallorum eumque ad imperium provehit ut postea, permanente ac reluctante indomità superbia ejus, ipsum procul a se projiciat. " O Altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei... "

2. Sed esto nobis impervium sit efficax medium, quo tempore opportuno Divina Providentia manifestatura sit singularem suam protectionem in Patrimonium B. Petri; indubium manet expedire ut in bonum religionis ac societatis civilis ad opus restaurationis accingamur variisque mediis utamur.

Primum itaque medium sit conatus et studium perenne ut modo firmo ac stabili causa ad bonum exitum perducatur,non mediis omnigenis, quæ plus turbationis quam ordinis et pacis pro societate secum ferrent, sed pacificis suasionibus politicis, quibus nimirum servari possit atque componi et unitas Italica, et territorialis independentia S. Sedis. Quemadmodum esset v. g. constitutio status fœderalis Italiæ. Etenim, externum invocare auxilium ad Urbem ejusque ditionem armis occupandam, quod ceteroquin valde odiosum exstaret Italis perinde ac si incapaces essent ipsi rebus consulendi Religionem ac Patriam spectantibus, viam potius sterneret ad maximas ac crudelissimas machinationes et ulciscendi desideria a parte conjuratorum Massonum, restaurationemque sic valde instabilem et precariam redderet [2].

Quomodocumque ergo Providentia de rebus disponat,

1. Suarez, *De Verb. Inc.*, 91, a. IV, disp. V, s. I et 2.
2. *Livre d'or du Pontificat de Léon XIII*, G. Kurth, p. 394.
— " Nul ne pense, au Vatican même, à une intervention armée. Elle est impossible, aussi bien qu'une occupation permanente, et blesserait le peuple italien au milieu duquel vit le Souverain Pontife. " — De la Vega. — (*Les relations entre le St-Siège et le royaume d'Italie*, p. 25.)

nostrum est adlaborare restitutioni hujusmodi, quæ ut vera restitutio juris et ordinis haberi possit cujusque fructus obveniant societati universæ. Non aliter censet perspicacissimus ac prudentissimus Pontifex noster Leo XIII, nec ab ejus norma nos discedere licet : agitur enim, ut sæpius diximus, de re internationali Europæ simul et nationali Italiæ, qua proinde in causa et Europam et Italiam intervenire oportet.

Verba attendamus Pontificis anxie prospicientis resipiscentiam Italiæ, quemadmodum bonus Paterfamilias reditum filii sui prodigi.

" Quod magis, ait, Nos commovet et angit, est evidens animi propositum perpetuo prosequendi potius quam amice componendi conflictum, cuius tristissimos effectus recensere nemo potest [1]. "

Flagrat ergo cor paternum Leonis XIII ut amice cum Italia conflictum componat. Utinam ergo gubernium istud, tamquam filius ille prodigus, egestate compulsus et ne fame intereat, tandem ad Patrem suum pœnitens redeat ! Ecquid non posset hunc in sensum congressus Europæus! Nonne maxime omnium Italorum [2] cordatorum interesset hoc perspectum habere, catholicos ipsosque genuinos Italos pacificis animari sensibus et nonnisi paci et incolumitati ipsius Italiæ inhiare ?

Vel componi possent res directe cum S. Sede ab ipso gubernio Italico; non quidem a gubernio hodierno, in servitutem sectæ reducto, sed ab alio gubernio, quod personam

1. Epist. ad Card. Rampolla, 24 Sept. 1895.

2. " Ou bien le gouvernement Subalpin, vaincu par un mouvement d'opinion du peuple italien et des catholiques de tous pays, renoncera à sa prétention insoutenable de régler seul les destinées de la Papauté, de considérer la loi des garanties comme son dernier mot. Il reconnaîtra enfin que les conditions d'existence du chef de la catholicité doivent être débattues, d'abord avec le Pape lui-même, puis avec les nations chrétiennes.... Une détente se produira aussitôt ; à l'ère des conflits succédera celle des négociations. Il s'agira de concilier l'immunité de toute juridiction séculière quelconque avec le nouveau régime politique de la péninsule. " (Prélot, *l. c.*, p. 459.)

ageret Italiæ veræ atque catholicæ. Quibusdam olim contendentibus omnem negotiationem directam inter Vaticanum et Quirinale esse impossibilem, occasionem quoque nactat Apotheoseos impiæ, scripsit Sanctitas Sua die 8 Octobris 1895 ad Cardinalem Rampolla præcitata jam verba : " Quod magis, inquit, Nos commovet et angit est... evidens animi propositum perpetuo conflictum prosequendi, potius quam *amice* componendi. "

Quibus hæc addit : " Humanae quidem res mutantur; sed benefica supremi Magistratus ecclesiastici virtus e Cœlo est, ac semper eadem persistit. Si dociles Nobis aures Itali praeberent, atque ex avitis traditionibus et ex conscientia propriarum rationum vim animumque haurirent, impositum sibi a perduellibus jugum excutiendi, dulcissimam spem de hac Nobis in primis dilecta Itala terra conciperemus. "

Quæ verba possibilitatem consensionis cujusdam cum Italia conversa videntur includere, a parte Illius Patris qui testatur se esse " iniuriis tolerandis et veniae facile concedendae, Deo adiuvante consuetum (1). "

3. In antecessum dicendum est et tanquam principium continuo præ oculis habendum, naturaliter competere Summo Pontifici soli ultimum ac definitivum ferre judicium in apponenda conditione et repartitione assignanda circa Patrimonium ipsum B. Petri : quodnam scilicet, quomodo, quibusque sub stipulationibus pactum iniri deceat ad dignitatem ac plenariam sacri muneris sui libertatem assecurandam.

Jam supra, et quasi per transennam, verbum fecimus de componenda lite ex fœderatione quadam inita inter reliquas Italiæ partes de facto unitas ac Urbem Dominiumque Pontifici ex condicto assignandum. Quid est enim cur non posset, agnitis prius necnon radicitus permanentibus juribus in ditiones suas, pactum iniri inter Italiam et Sedem Apostolicam, quo quoad varia commercialia ac civilia mutuo obliga-

1. Prélot, *l. c.*, p. 459.

rentur, ast juribus inviolabilibus atque inalienabilibus sartis tectisque servatis, simul independentiæ Pontificis ejusque Dominio provideretur, ita ut Alma Urbs Roma si minus tanquam caput politicum, ast certe multo nobilius tanquam centrum morale, prosperitate temporali, fama atque dignitate summa ceteras omnes Peninsulæ plagas irradiaret, et, cum suo territorio, tempore belli perfecta neutralitate gauderet ([1])?

Præstaret etiam Apostolicæ Sedi, quominus ullum fœdus iniretur, eam concedi partem territorialem, quæ sartis tectis servatis juribus necessariis plane sufficeret juxta requisita Pontificis ad supremum munus suum obeundum.

Hic vero ex epistola Pontificis ad Cardinalem Rampolla, data die 15 Junii 1887, tanquam summa haberi potest institutorum, ad quæ minimum restitutionis pertingere debeat.

1. " Il est vrai, le domaine temporel de la Papauté empêchera toujours l'Italie de *se fondre* en un seul royaume, et de changer ses capitales couronnées en de simples chefs-lieux de départements. Mais est-ce un mal pour elle? L'Allemagne aussi, l'Allemagne ne connaîtra jamais cette unité numérique que rêve aujourd'hui l'Italie. La rivalité de l'Autriche et de la Prusse, ainsi que le profond attachement des petits royaumes et des duchés Allemands pour leur autonomie, sera un obstacle éternel à la réunion de toute la race Germanique sous une seule capitale en un seul gouvernement. Et qui s'en plaint? Qui reproche à la Bavière de ne pas se donner à l'Autriche? à Francfort et à Hambourg de préférer leur liberté municipale à la gloire de se perdre dans une immense autocratie? La nationalité Allemande en existe-t-elle moins? L'unité morale et fédérative qui lie tous ses membres dans un faisceau si glorieux est-elle moins forte, que ne serait l'unité matérielle d'une absolue centralisation? La Suisse est-elle moins une, parce qu'elle est divisée en cantons confédérés? Les États-Unis d'Amérique sont-ils inférieurs à ce qu'ils seraient si Washington se changeait tout à coup en capitale unique et dominatrice de l'Union? Certes, voilà des exemples qui peuvent justifier la sagesse divine d'avoir placé le domaine temporel de la Papauté au cœur même de l'Italie, comme un obstacle éternel à l'unité du nombre et du gouvernement. Ce n'est point le hasard qui l'a voulu, mais le décret d'une providence généreuse pour l'Italie, en même temps que prévoyante pour le Siège Pontifical. " (Lacordaire). — *De la liberté de l'Italie et de l'Église* Œuvres VII, p. 306.

" Le gouvernement animé d'un sens politique plus profond et plus juste, pourrait sans difficultés rendre Rome au Pape, tout en conservant à l'unité italienne cette forme fédérative qui est si complètement dans les traditions historiques de l'Italie, et que beaucoup de politiques avisés estiment plus conforme à l'intérêt véritable des peuples que les unités centralisatrices des empires modernes. " *Léon XIII*, par Mgr de 't Serclaes, II.

Sequentia adnumeranda, sunt præcipua lineamenta, nondum absolute requisita, sed ponderationi seriæ ac rationabili proposita. Habeatur ergo concessio territorialis qua includatur :

(1) Principatus verus, realis, effectivus ac independens.

(2) Possessio præsertim eaque absoluta Urbis Romæ ([1]).

(3) Occupatio exinde sequens territorii circumjacentis et vere sufficientis ad tuendam libertatem atque independentiam Summi Pontificis, cui deinceps fœdera inire non repugnat.

(4) Modus quoque vivendi qui conciliet autonomiam Dominii S. Sedis cum unitate nationali Italiæ ([2]).

(5) Expedit præterea, quamquam Sanctitas Sua id non expresse indicare videtur, ut territorium Pontificale liberum habeat portum, i. e. locum unde despectus in mare detur et ita facilius atque liberius cum ceteris partibus Orbis terrarum communicatio habeatur ([3]).

Præterea restat et aliud medium optimum res conciliandi, quod inventum quidem nostris temporibus, cum fructu uberrimo civilitatis et pacis in usum deductum fuit in favorem nonnullorum pusillorum Principatuum civilium, de quorum possessione aut subordinatione politica Europeæ potestates ancipites manserunt, uti videre est quoad Belgium, Helvetiam et Ducatum Luxemburgensem, quas ditiones neutrius gubernii rebus politicis se immiscere licet; ideoque beneficio *neutralitatis* gaudere dicuntur.

Concedatur ergo Pontifici hujusmodi competens Dominium civile sub neutralitate positum et a potestatibus Eu-

---

1. Perbelle Card. Vaughan : " Vouloir tenter de n'importe quelle façon de garantir la liberté et l'indépendance souveraines du Pape, vivant à Rome sous ses maîtres actuels, ce serait vouloir garantir une parfaite liberté, dignité et indépendance à Daniel dans la fosse aux lions. " (*Lettre à l'abbé Moreau*, 3 Mai 1889.)

2. Prélot. *Études*, t. 64, p. 246.

3. Cette portion territoriale consisterait en " une zone libre allant du Vatican jusqu'à la mer par Ostie et par Civita-Vecchia ; ou bien se dirigeant en sens inverse jusqu'à l'Adriatique, le Pape restant ainsi en communication directe et sans intermédiaire avec le monde entier. " — Prélot, *Étud. Relig.*, t. 65, p. 460.

ropæ assecuratum, in qua itaque conditione status Ecclesiæ Romanæ inveniat non solum præsidium contra hostes externos, sed etiam contra rebelles seu inimicos domesticos ([1]).

4. Quod si ergo operi restaurationis hujus adlaborare potissimum Italiæ incumbit, nos nihilominus rei manum admovere tenemur, patriæque Italicæ quasi sternere viam ut a servitute sectæ Massonicæ emancipata, tandem libera tendat ad adimplendum hoc opus sociale eximium.

Ideo ad minuendum, imo ad extinguendum, si potest, nefarium influxum sectæ Massonicæ in rebus politicis atque diplomaticis, strenue accingantur catholici atque e manibus ejus rapiant turbas plebeias, quibus, uti vidimus, jamjam a vera tramite per socialismum seductis, uti vel potius abuti conatur secta.

Semper igitur præ oculis habeamus sectam Massonum, ut ipsi gregales gloriantur, peperisse hanc demagogiæ sobolem, socialismi, communismi ac nihilismi principiis vitaque animatam. Per hanc progeniem, triplici odio religionis veræ, proprietatis privatæ, auctoritatis legitimæ imbutam cunctis mutationibus temporum se superstitem fore sperat, vetereque societate superata, contrita atque deleta, condendam esse clamat societatem novam, seu neo-paganismum vel naturalismum putidum.

5. Quantopere ergo omnibus catholicis cordi esse debeat socialismo adversari, imo a novitatibus abhorrere quæ non solidum ac firmum catholicismum juxta ductum s. Sedis sapiunt, vix opus est dicere. Sed de scopulis vitandis in tractatione de conditione opificum, qui plus scire desideret, opportune consulat ea quæ in opere jam ante edito humiliter monenda censuimus.

Quoad methodum positive prælium committendi contra socialismi invasiones haud supervacaneum esse videtur duplicem assignare viam : *directam* unam, quam tenere eos potissimum decet qui, rebus œconomicis et quæstionibus

1. Prélot, *Études relig.*, tome 65, p. 461.

socialibus mature perpensis, aut doctrinis aut factis et gestis alios edocendi et insidias sectæ elucidandi capaces existunt; *indirectam* alteram, quam quisque arripere debet ordinando nempe mores et vitam suam publicam et socialem juxta principia æquitatis ac charitatis christianæ in conversatione quotidiana præsertim cum operariis et aliis personis aut æqualis aut inferioris conditionis; nam revera, verba movent, sed exempla trahunt.

A) Animadvertendum insuper est, quod Pontifex circa sectam Massonum notat, hoc notari posse circa varias societates privatas socialismo affines et viros qui hisce nomen suum dederunt. " In quorum numero, ut Papæ verbis utamur, utique possunt esse, nec pauci, qui quamvis culpa non careant quod sese istiusmodi implicuerint societatibus, tamen nec sint flagitiose factorum per se ipsi participes, et illud ultimum ignorent quod illi nituntur adipisci. Similiter ex consociationibus ipsis nonnullae fortasse nequaquam probant conclusiones quasdam extremas, quas cum ex principiis communibus necessario consequantur, consentaneum esset amplexari, nisi per se fœditate sua turpitudo ipsa deterreret [1]. "

Hos ergo christiana cum benevolentia tractari oportet atque illuminari, ut a tramite erroris socialis recedentes, renovato animo christiano conditionem in qua a Providentia Dei sunt positi christiane amplectantur; quo maxime spectat sacratissimum opus missionum ad plebem et ruricolas habitarum, necnon certe recessuum ad classem operariorum.

B) Imbuatur præterea juventus genuinis et puris principiis catholicæ veritatis.

Et ne quotidianam praxim prætermittere videamur ad conclusionem perveniamus particularem magis nobis catholicis, nobis Belgis in promovenda causa Christi et Patris nostri valde applicabilem.

---

1. Encycl. *Humanum Genus*, 20 April. 1884.

Quia enim hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra, excitemus in nobis atque in aliis et junioribus civibus nostris fidem vividissimam in matrem Ecclesiam Romanam ejusque Pontificem ut Vicarium ipsius Christi. Sponte fluet exinde conclusio quantopere opus sit visibile Caput Ecclesiæ ea perfecta gaudere immunitate et libertatis usu, quibus donatum fuit a Christo, quamque iniquum facinus exstet spoliatio Dominii temporalis a Providentia Dei ipsi assignati et tot sæculorum legitima possessione obfirmati.

Ita occasione data fides et pietas filialis excitetur in adolescentibus, imo et parvulis qui scholas catholicas adire solent. Non licet ullum catholicum tantam communis Patris angustiam indifferenti animo intueri, ideoque in scholis sive primariis sive mediis, sive privatis sive communalibus (quarum nunc jam aditus patet ministris religionis), imo et in Universitatibus sicut in Atheneis pro temporum ac locorum adjunctis, ullatenus celari funesta spoliatio, sed judicio et condemnationi publicæ exponi debet.

Ecquid, nonne opportune et importune vindicaretur a catholicis Dominium S. Sedis, Patrimonium B. Petri, communis sors totius catholicitatis, cum ipsa sit hæreditas omnium nostrûm, quippe in Ecclesia non sumus hospites et advenæ, sed filiifamilias ? Postremo, jure assignentur et tradantur despectui, ii qui in Italia sunt iniqui detentores hæreditatis nostræ, non genuini quidem Itali, sed gregales sectæ impiæ, quorum affines sunt Franci-Muratores Patriæ nostræ, quorum insuper principiis imbuuntur, etiamsi rei inconscii sint, quicumque sectis vel aspirationibus socialistarum favent.

C) Et quod plus est, prædicentur hæ veritates practicæ, maximopere plebi necessariæ, in instructionibus parochialibus, intra missas dominicales, in cœtibus S. Familiæ, S. Vincentii à Paulo, S. Francisci Xaverii, necnon et in congregationibus conventibusque tertii ordinis S. Dominici aut S. Francisci Assisiensis. Quomodo enim viri christiani et plebs

catholica audirent vel intelligerent hanc veritatem sine prædicante?

6. Juvat præterea hic addere verbulum ad directam oppugnationem impiæ sectæ Massonicæ, quæ de facto causa unica est qua prohibetur quominus optata restauratio juris et ordinis fiat.

Ne quis dicat ergo quid prodest? Numquid forte ad nos spectat bellum indicere Massonibus qui procul a nobis in Peninsula Italica degunt?

Apprime ad omnes catholicos spectat, quantum possunt, minuere ac infirmare influxum quo Massones Italici fruuntur et frui nituntur in aliis regionibus catholicis. Quis enim mihi vitio verteret si assererem ideo certe quæstionem Romanam nondum meliorem habuisse exitum, quæstionemque socialem magis magisque periclitari, quia plurimis guberniis Europæ sæpe præfuerunt asseclæ sectæ qui nedum factionibus Italicis nocumento sint, ipsis favent in rebus politicis?

Cessent immixtiones sectæ in singulis guberniis Europæ et brevi finis imponetur arrogantiæ Italorum Massonum sic ope aliena ac protectione destitutorum.

Hinc felix incœptum primi congressus internationalis antimassonici, hoc anno Tridenti celebrati, applaudentibus omnibus catholicis et ut ita dicam sub auspiciis Papæ et Imperatoris Austriæ, cui cœtui mille quingenta aderant membra, quorum longe major pars ex Italia, dum centum quinquaginta legati undique ex Gallia, Austria, Germania, Hispania, Lusitania, Belgio, Hollandia et America advenerunt[1].

Ita, ut recte quidam animadvertit, e successu hujus primæ conventionis universalis in agmen Massonicum convocatæ, constat manifesto progressus catholicorum adversus hostium conatus.

Equidem, jam ante Breve die 2 Septembris editum, Summus Pontifex in allocutione diei 16 Augusti ad eos viros

1. *Études Relig.*, tom. 69, 1896, p. 381.

habita, quibus potior organisationis pars incumbebat, votum ardentissimum patefecit suum, ut saltem Episcopi omnes regionum Italicarum civitati Tridentinæ vicinarum, cum meliore ac graviore parte civium ex omnibus catholicis regionibus arcessita cœtui adessent ac cura et opere certarent prout competebat rei tanti momenti.

Et revera, quam momentosum tantum incœptum visum sit Massonibus, mox claruit ex odiis quibus illico impia secta rem est prosecuta ; nec prius enim fama percrebuerat convocandi conventus Antimassonici internationalis, cui Papa suam largitus erat benedictionem, quam conventicula hostium, qui modo majorem congressum habuerant Hagis in Hollandia, et altos efferre clamores et per ministerium Summi Præsidis sectæ in Italia litteras suas circulares spargere cœperint ([1]).

Sed hisce ne longius insistamus ; in fine enim capitis XII occasionem nacti, media plura ab ipso Pontifice assignata

1. *Étud. Relig.*, Nov. 1896, p. 381. Vœux du Pape et craintes des loges ont eu leur réalisation. Le Cardinal Haller, Archevêque de Salzbourg, quatorze Évêques, presque tous Italiens, sans compter le Prince-Évêque de Trente, président honoraire, ont daigné, du 26 au 30 Septembre, assister au congrès noblement présidé par le Prince de Loewenstein.

Pour diviser les travaux, le congrès avait constitué quatre sections siégeant simultanément pour examiner :

La 1[re], *la doctrine maçonnique.*— Voici une des résolutions auxquelles les conférences aboutirent à ce sujet : " Avant de combattre la Franc-Maçonnerie, il faut la connaître et la faire connaître : on n'y parviendra que par une étude sérieuse de son but, de ses doctrines et de ses manœuvres. "

La 2[e] *l'action maçonnique.* — Aussi décida-t-on : le congrès recommande vivement aux écrivains catholiques... de s'appuyer sur des documents sûrs et authentiques, et d'éviter de produire des livres dont le succès est peut-être plus facile et la vente plus copieuse, mais dans lesquels il est impossible de discerner ce qui est vrai de ce qui est faux, ce qui est réel de ce qui est uniquement le produit de l'imagination de l'auteur. (Recole Dianam Vaughan.)

La 3[e] *la prière.* — " L'étude même avec la prière, est-il dit, n'est qu'un premier pas. "

La 4[e] *l'action anti-maçonnique.* — " Il faut agir sur le peuple par tous les moyens possibles : conférences, bibliothèques, propagande de livres et brochures anti-maçonniques, prix accordés aux meilleurs ouvrages contre la secte." — Mais la décision la plus grave est celle qui organise fortement l'action collective sous la direction du Pape, des évêques et du clergé. " — " Le congrès a donc constitué un état-major qui donnera l'impulsion aux combattants du monde entier. " — Ibid.

ad impiam sectam efficaciter oppugnandam satis superque jam explicuimus, ut quisque juxta ea mores gerere possit communique studere saluti.

7. Ast studio et labori concomitetur catholici militantis publica professio. "Corde enim creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem (1)."

In præcedenti capite haud obscure innuimus, decere, expedire, imo oportere, nationes catholicas seu vere christianas, vocem efferre atque omnibus legitimis uti mediis in gubernia respectiva, ne communis Patris sui conditio intolerabilis longius protrahatur; ast hic jam dictum arripere volumus ipsorum inimicorum et spoliatorum S. Sedis. "Oportet rebellare, rebellare continuo!" sic aiunt; nos autem immutato adagio in justitiæ causam tanquam communi omnium aspirationum placito insistemus: "Oportet reclamare, reclamare continuo in Principatum S. Sedis."

De utilitate congressuum catholicorum hæc dixit olim Pius IX: "ut malorum initiis et præcipuis pro locorum diversitate periculorum fontibus communi investigatione perspectis, sub auctoritate ac ductu S. Sedis, promptiora illis remedia comparare valeant." (2)

Ideo primo quæstio Romana *magni habeatur* in omnibus et singulis conventibus catholicis in Europa.

Cujus universalis reclamationis exemplar exstat, omnium oculis exhibendum, in declarationibus variorum congressuum catholicorum anteactorum, ut v. g. congressus Coloniensis, Viennensis, Confluensis, Dantiscensis necnon Mechliniensis, Ulyssiponensis, Cæsaraugustanus, Pestensis, Baltimorensis (3), Leodiensis, Monacensis, Tremoniensis.

1. *Rom.*, X, 10.
2. Encycl. *Nostis* 8 Dec. 1849.
3. Exin v. g. in congressu Baltimorensi anno 1889 celebrato, hæc protulit quidam D. Carol. Bonaparte ex stirpe Luciani Bonaparte ortus, loquens sub auspiciis potestatis civilis ac ecclesiasticæ in America: "Firmissima nostra, ait, fiducia ac persuasio hæc est, plenam S. Sedis libertatem necessariam esse familiæ humanæ, libertatemque eam violari idem esse ac toti humanitati nocumentum apponi."

Ita, Confluentiæ, in conventu anno 1890 habito, ill. D. Lieber, qui post obitum cl. Windthorst, uti aiunt, factioni Centri in Germania præest, hunc in modum suam suorumque sententiam manifeste aperuit : " Nos, ait, vindicamus Principatum Pontificis Romani propter bonum omnium guberniorum et totius generis humani ! "

Quod magnanimum et christianum exemplum imitatus eodem anno Leodii, comes Ashburnham hoc votum plaudentibus omnibus emisisse fertur : " Quod si regnum justitiæ exoptandum est pro nostra societate publica, necesse est ut prima reparatio fiat in summa hierarchia religiosa ac politica, cui illata injuria est per spoliationem Principatus inter omnes Principatus et antiquissimi, sacratissimi atque maxime necessarii. " In vindicando sic iterum atque iterum instaurationem ordinis tum juris internationalis quum juris privati possessionis legitimæ eodem facinore violati, congressus Leodiensis maximo exemplo fuit congressibus ceteris maximæque utilitati societati universæ.

Hanc vocem reboarunt iisdem fere verbis congressus habiti anno 1891 in civitate Dantisciæ nec non Mechliniæ cujus in sessione 9 Septembris a cœtu universo declaratum est : Adhærere se cum gaudio propositioni in congressibus Confluensi ac Dantiscensi iteratim emissæ; cui vero vindicationi libertatis Ecclesiæ tantam solemnitatem tribuendam esse putarunt, ut convocando conventu ex universis nationibus paci et ordini studentibus, restaurationi Principatus civilis S. Sedis et proinde securitati conscientiarum et etiam mundi paci absolute providendum existimaverint. "

Idem votum emisit et hoc anno 1896 splendidus cœtus catholicus Germanicus, Tremoniæ habitus.

8. Circa sensum itaque eorumdem congressuum atque effectus immediatos profecto nobis fucum non facientes, libenter quidem fatemur eos natos non esse ut ad finem imponendum conditioni Pontificis aut congregandum repente cœtum

Europæum jam sufficiant; nec ideo tamen eos inutiles censemus, quum, e contra, indesinenter manifestando aspirationes catholicorum populorum, in causa futuros esse possint qui potentatus Europæ, dato internationali conventu, uniusalteriusve commotionis politicæ, e. g. componendarum rerum Turcarum causa, de reintegranda independentia S. Apostolicæ etiam tractare cogant. Ita, nonne anno 1815 congressus Viennensis ad res politicas componendas ex proposito convocatus, Pium VII in possessionem Patrimonii B. Petri iterum restituit? Qui præterea influxus congressuum populorum perspicacem mentem peritissimi Ministri Gladstone, ut ipse fatetur, non latuit, nec hodie Leonem XIII latet, quum haud semel hortatus sit catholicos fideles ut hanc viam qua ipsis victoria certa serius ocius sit obventura ([1]) terere pergant. Itaque actio adunata catholicorum ut vere prodesse possit, oportet eos reclamare, reclamare continuo restitutionem Principatus ab eorum Patre communi inique ablati.

Faxit Deus ut ii quorum, quum præsint sodalitatibus et associationibus civium, interest pro jure et justitia certare, *in capite vindicationum suarum conscribant* sacratissimum illud jus Pontificis vindicandum, in quo concreto includuntur et funditus restaurari queunt ac debent cuncta jura socialia civilia ac privata.

Faxit quoque Deus, ut speciales oriantur ubique per Orbem congressus omnium catholicarum gentium, ad perpenetrandam magis quæstionem Romanam ejusque connexionem intimam, imo necessariam, cum quæstione sociali solvenda. Indagetur oportet quænam fuerint sequelæ miseræ ex spoliatione S. Sedis obortæ in societatem Europæam; quænam sit socialis natura hujus infandæ ac persistentis spoliationis; quantum hæc habuerit influxum in novum jus sociale et conditionem præsentem societatis; quænam sit relatio et affinitas ejus ad sectas socialisticas quæ ordini sociali mini-

1. Prélot, *Études religieuses*, t. 65, p. 449.

tantur; quomodo jus Pontificis in Principatum civilem suum cardo sit et centrum circa quod versari possunt in concreto omnes legitimæ reclamationes ævi nostri in jura publica ac privata, domestica ac civilia; quænam denique exstare possint media pacifica, quibus juri læso Pontificis atque totius christiani Orbis provideri possit, et quomodo in usum sint deducenda.

En summa rerum maximi momenti quas ad trutinam revocare præsens conditio socialis urget.

Juvat optare pro Patria nostra Belgica ut filii ejus genuini catholici primas arripiendo partes, tam magnanimum consilium operi mandare studeant congressusque internationales convocare satagant ad denodandam quæstionem non dico Romanam sed Romano-socialem. Quod non humile nostrum tantum desiderium, sed potius seriam propositionem virorum politicorum optimo ingenio ac præstanti prudentia, meditationi civium nostrorum humiliter subjicere non veremur, freti enim solida necnon practica ratione qua ipsi res tractare solent.

9. Quod si nostrum propositum aliorum testimonio fulcire opus est, citare liceat Eminentissimum Cardinalem Vaughan et Marchionem de la Vega de Armijo, Ministrum rerum externarum regni Hispaniæ.

Præstat ipsissima audire Cardinalis Westmonasteriensis verba: " Le temps opportun n'est-il pas venu pour tenir un ou plusieurs congrès *internationaux* en faveur des droits du Saint-Siège ?

" Nous avons eu beaucoup de meetings locaux et de congrès nationaux durant ces dernières années, dans presque toutes les contrées de l'Europe. Les catholiques, par la bouche de leurs chefs, ecclésiastiques et laïques, ont clairement formulé leurs pressantes revendications pour la restauration du Principat civil du Pape. Ces meetings ne peuvent pas continuer et se répéter indéfiniment; leur importance politique et

leur force doit grandir pour arriver à *imposer aux Puissances de l'Europe leur coopération.*

" C'est un sentiment général aujourd'hui répandu, qu'un congrès international doit se tenir, où figureront les chefs du parti catholique de toutes les nations.

" Il ne devrait pas tant briller par le nombre, que par la valeur de ses membres et leur caractère représentatif, afin de s'assurer la confiance et l'adhésion de la chrétienté catholique.

" Un programme de conduite devrait être agréé dans ce congrès ainsi que des résolutions pratiques ; on les ferait ensuite accepter par chaque nation et l'on donnerait ainsi une irrésistible unité d'idée et d'action au monde catholique. Ce serait un nouveau grand pas fait en avant vers la solution pour laquelle nous travaillons tous...

" Est-ce que votre Belgique n'est pas éminemment catholique et absolument calme et neutre par rapport à la politique et aux passions internationales ?

" Ne recevrait-on pas cordialement sur le sol belge, les représentants laïques des populations catholiques de l'Europe[1]?

In eumdem sensum quadrant et abundant dicta Ministri Hispaniæ de la Vega. " Il est impossible que la question de la liberté du Pape soit une affaire purement italienne. L'indépendance du chef de l'Église ne peut pas dépendre de l'existence éphémère ou de la volonté d'une majorité parlementaire.

" Jamais les chefs des nations Européennes ne pourront à ce point faire abstraction de leurs nombreux sujets catholiques.

" C'est à l'Europe qu'il appartient de revendiquer son droit.

" Mais il faut bien l'avouer, quoique à regret, l'attitude passive des nations, et en particulier des nations catholiques,

1. Lettre à M. l'abbé Moreau, traducteur de " *La question Romaine internationale et anglaise*, par M. Vaughan. Paris, Palmé. — Bruxelles, Vromant, 1889, pag. 49 et 50.

a permis à l'Italie de réaliser l'occupation de Rome. Et cela dans des conditions qui auraient dû faire comprendre à l'esprit prévoyant de la diplomatie qu'un jour cette même apathie serait un grand argument opposé aux justes exigences de l'Europe...

" Il est évident que si la diplomatie avait reconnu à la question toute l'importance que les faits lui ont donnée depuis, si elle avait stipulé pour le Saint-Siège de véritables conditions d'indépendance, on aurait pu éviter peut-être entièrement, l'occupation de Rome.

" Il est également vrai que l'Italie à elle seule n'aurait pu conserver Rome au Pape, car les partis démagogiques avaient pour devise : " Rome capitale de l'Italie. " Mais si l'Italie a pu, quand la France était assez forte pour occuper Rome au nom du Souverain-Pontife, empêcher la réalisation de cette occupation par les partis avancés qui y aspiraient tant, à plus forte raison aurait-elle pu faire de même, si, au lieu d'une nation, c'eût été l'Europe entière qui eût donné cette garantie...

" La lutte soutenue par les ennemis du Saint-Siège d'un côté, et de l'autre, la force de cette institution même, révélée avec un succès tout spécial par Léon XIII, ont fini par faire tomber le voile qui couvrait les yeux des politiques les plus expérimentés. Ils voient clairement aujourd'hui la nécessité de profiter de cette grande force en faveur de l'ordre social.

" L'Europe reconnaît maintenant qu'il convient de résoudre la question Romaine ; nous en avons une bonne preuve dans ce rapprochement de toutes les puissances, protestantes et schismatiques aussi bien que catholiques, qui répondent par là à l'attitude conciliatrice de Léon XIII.

" Quand nous voyons tous les jours se réunir des Congrès pour garantir les conditions de telle ou telle voie commerciale, comment peut-on douter qu'il soit facile d'en venir à un accord qui consacre l'indépendance nécessaire au Saint-Siège (lequel représente dans le monde des intérêts si

nombreux et si divers) sans causer préjudice pour cela au légitime désir d'indépendance et d'unité du peuple italien ?

10. " Le problème pourrait être abordé PAR N'IMPORTE QUELLE PUISSANCE. Mais peut-être y aurait-il avantage à ce qu'il le fût par une Puissance DE SECOND, PLUTOT QUE DE PREMIER ORDRE : de cette façon tout soupçon serait écarté. — (Quas conditiones Belgium optime implet.)

" Pour moi, je ne doute nullement que, clairement et justement posée, sous le double aspect de la liberté du Pape et de l'indépendance ou de l'unité du peuple italien, l'idée serait acceptée.

" *Et quelle gloire pour la nation initiatrice !* "

Haud profecto minor Patriæ nostræ obveniret gloria ac benedictio desuper ex restaurato Dominio S. Sedis quam ex civilitate, religione, commercio plagis africanis insertis.

Et pro nostra ratione hæc alia verba ejusdem auctoris addere fas est :

" Certes, il y aura des gens qui taxeront de chimérique cette entreprise ; mais l'expérience nous apprend que beaucoup de projets, qui, dès l'abord paraissent irréalisables, arrivent avec de la persévérance et de la bonne volonté, à leur complète réalisation.

" L'œuvre serait si méritoire, qu'on la considère au point de vue religieux, ou au point de vue social, qu'on pourrait l'entreprendre sans crainte d'une critique passionnée.

" Si l'on reconnaît la puissante influence du Saint-Siège contre les idées anarchistes et la force du secours qu'il peut prêter à chaque gouvernement, le problème certainement se résoudra [1]. "

Quis tandem exitus esset hujusmodi generalium catholicorum cœtuum ? Nil minus quam ut magnarum gentium ministri plenipotentiarii manum rei admoverent ; quippe

1. Marquis de la Véga de Armijo, ministre des Affaires étrangères d'Espagne. *Les relations entre le Saint-Siège et le royaume d'Italie.* Trad. Moreau. Paris, Palmé, Bruxelles, Vromant, p. 41-45.

qui, simul in unum congregati ante neutralitatem decreverunt Regni Belgici, Ducatus Magni Luxemburgensis, Reipublicæ Helveticæ, aliarumque hujusmodi ditionum, quod quidem bono pacis magnopere favens, æquilibrio Europæ minime nocuit ; cur non aliquo simili modo, quem ipsorum peritia facile invenire potest, expediret, Italico gubernio v. g. neutralitatem Principatus civilis S. Sedis atque independentiam consulere ac persuadere ? Malefica secta de cetero infirmata ex publicatis nefariis ipsius consiliis secretis, ac ut sæpius solet, præ audacia asseclarum potius quam præ numero adhærentium præpotens, mox animum amitteret et brevi a bonis et cordatis civibus numero certe prævalentibus superaretur. Eo itaque spectent omnes nostri conatus ut causa iter active diplomaticum intrare possit.

Uti supra memoravimus Congressus Viennensis aliis de causis convocatus nihilominus Pontificem in ditionem suam restituit, nec itaque magis repugnare videtur quin unus alterve congressus Potestatum occasione rerum Orientalium inter Turcas et Armenos componendarum initus, quoque de solvenda pacifice quæstione Romana tractaret, quum enim non fas sit credere Principes Europæ hujus solutionis curam complete jam amisisse ([1]).

Non desperant quidem clarissimi necnon peritissimi viri de Congressu unice hunc in finem convocato, ut tamquam tribunal judicet agendi rationem Italiæ erga Pontificem ([2]).

Sequamur ergo et nos filii monita Patris nostri Leonis XIII : " Quantum lege possunt catholici, agendo, rogando, contendendo, tantum Pontificis caussa, enitantur et efficiant;

1. " Croire que les Puissances vont se désister entièrement du droit de veiller à la sécurité du Pape serait de la part du Quirinal une illusion dénuée de fondement. " (De la Vega, *Les relations entre le Saint-Siège et le royaume d'Italie*, p. 25).

2. " L'idée d'un congrès des cabinets de l'Europe — idée que je suggère dans ma brochure, — pour juger, comme en cour de justice, la conduite du Gouvernement Italien, a été acceptée par la presse non catholique jusqu'à un certain point. " (Card. Vaughan, *Lettre à l'abbé Moreau*, 3 mars 1889).

neque ante quiescant quam sit nobis, reapse, non specie, libertas restituta... ([1]). "

Faxit itaque Deus ut populi catholici huic restaurationi faciendæ insistentes, hoc sibi mente præfiniant, in cautionem quasi mutuam fiduciæ ut totis viribus incumbant, ad jus publice læsum, publice etiam resarciendum, reintegrando nempe Principatum civilem S. Sedis.

Ideo nos " oportet reclamare, reclamare continuo, " donec tandem aliquando Papa iterum sit rex Romæ ac populi Europæ ordini ac paci reddantur.

11. Restat postremo, ne zelus languescat multorum, ut applicatione studii assidui et oratione nutriatur. Attenta meditatio ac perpenetratio malorum societatis nostræ deteget fontes mali et opportuna remedia apponet continuo de thesauro suo proferendo nova et vetera ; dum oratio vicissim fœcundabit laborem. Hic repetere juvat cum Papa : " Cum rei christianae quam maxime intersit, Pontificem Romanum in gubernanda Ecclesia et esse et videri ab omni periculo, molestia, difficultate liberum, quantum lege possunt catholici, agendo, rogando, contendendo, tantum Pontificis caussa, enitantur et efficiant ; neque ante quiescant, quam sit nobis, reapse, non specie, libertas restituta, qua cum non modo Ecclesiae bonum sed et secundus rerum Italicarum cursus, et christianarum gentium tranquillitas necessario quodam vinculo coniungitur. "

" Permagni refert publicari et longe lateque fluere salubriter scriptis. "

Inimici Ecclesiæ " scriptis editis decertare, iisque tamquam aptissimis ad nocendum armis uti consueverunt. Hinc teterrima librorum colluvies, hinc turbulentæ et iniquæ ephemerides, quarum vesanos impetus nec leges frenant, nec verecundia continet ! "

1. Card. Vaughan, *Lettre à l'abbé Moreau* 3 Mars 1889.

Ergo " scripta scriptis opponenda ut inde remedia suppetant, unde mala venena quæruntur ([1]). "

Oportet veritas mentes attingat etiam eorum qui procul a consortio religionis ac sacerdotis vivunt, quorum ergo in usum conscribi deberent ephemerides et minores Tractatus sanam ac solidam de solio Pontificio doctrinam continentia, atque ad institutionem gregalium plebis et rudiorum adaptata.

Valde memorabilia quoque sunt ea, quæ Papa jam dudum ephemeridum scriptoribus dixit : " Interest quam maxime, ne qua errandi relinquatur occasio, rursus in catholicorum mentem reducere, supremam Ecclesiae potestatem, quae Petro eiusque successoribus divinitus collata est, ut universam Christi familiam in fide contineret et ad aeternam coelestis regni beatitudinem adduceret, ex divina ipsius Christi institutione, plenissimam sibi libertatem vindicare: ad hanc autem potestatem libere toto Orbe exercendam, providissimo Dei consilio factum esse ut, post periculosa primae aetatis discrimina, civilis Principatus Romanae Ecclesiae adiiceretur, eidemque longo saeculorum tractu, inter infinitas rerum vicissitudines regnorumque ruinas conservaretur.

" Hac autem ratione, sane gravissima, non regni ambitu, ut saepius ediximus, non dominandi cupiditate permoti, Romani Pontifices quoties civilem hunc Principatum turbari et violari senserunt, apostolici muneris esse putarunt, sacra Romanae Ecclesiae iura sarta tecta servare et pro viribus tueri. Nosque ipsi, Praedecessorum Nostrorum exempla secuti, haec eadem iura asserere et vindicare non praetermisimus, neque unquam praetermittemus.

" Quapropter vos, filii dilectissimi, unanimes et voce alacres ac scriptis, sacri imperii necessitatem ad liberum spiritualis potestatis exercitium propugnare ne desinatis ; atque historia duce ostendite, illud imperium tam legitimo iure

1. Encycl. *ad Epis. Italiæ*, 15 Feb. 1882.

fuisse constitutum ac perdurasse, ut aliud in humanis rebus maius vel aequale nemo praetendat ([1]). "

12. Sed Deum orare non minus præstat.

Etenim, sicut Patrimonium B. P. in sua constitutione ac conservatione per sæcula præ se fert indubia *Singularis Providentiæ* indicia ; ita et in restauratione res erit. Deus est qui operatur mirabilia sua magna solus ; ideoque orandus est, ut et Ipse operi manum potentem admovendo, nostros labores ad bonum exitum perducat.

Quid est enim quod, vertente sæculo nostro, tot restaurationes exoptatæ atque inchoatæ, in cassum versæ sint, nisi quod non omnipotente Brachio Dei suffultæ, sed plerumque meris conatibus activitatis humanæ innixæ fuerint ?

Sæpe pro restauratione S. Sedis et in primis pro solutione quæstionis socialis et interitu hujus hæresis practicæ, socialismi, multi multum laborant, pauci vero multum orant ; nec tamen minus oratione quam opere opus est.

Etenim spes nostra in Deo est, quam christianam spem erigamus necesse est. Recordemini quot orationes privatæ et publicæ effusæ fuerint ; quot processiones et peregrinationes piæ institutæ ubique ad sanctuaria Patriæ nostræ ; quot communiones generales oblatæ et pia opera patrata, abhinc annis viginti quinque initio captivitatis Pii IX!... Numquid forte jugum magis tolerabile, postquam pondere viginti quinque annorum continuo est aggravatum ? Sed " ab assuetis non jam fit passio ! " et ita frigescentibus quoque fidelibus, oblivioni traduntur lacrymæ et suspiria patris.

13. Orandum est ut avertatur vindicta Dei quæ societati impendet. — " Dum divina justitia, ait Pius IX, Orbem terrarum perambulans, in furore iræ suæ nationes conterit, fidelibus non supersunt nisi preces, quibus iræ gladium, ut minus ferat, in manu Dei detorqueant ([2]). "

---

1. Alloc. 22 Febr. 1879.
2. Litter. 29 Nov. 1870.

" Ecclesia Dei ab exortu sui usque ad hæc tempora, pluries tribulata, et pluries liberata est. Nec nunc quoque relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum.— Non est abbreviata manus Domini, nec facta est impotens ad salvandum. Liberabit et hoc tempore, absque dubio, sponsam suam, qui suo sanguine redemit eam, suo spiritu dotavit, donis cœlestibus exornavit, dotavit nihilominus et terrenis ([1]). "

Orandus est et peregrinationibus supplicatoriis placandus est Deus. Quid est cur non filialis pietas in Patrem animarum nostrarum cogeret, ut sicut olim, in singulis parochiis quotannis specialia quædam instituantur placatoria exercitia spiritualia in liberationem Pontificis et salutem societatis civilis catholicæ ?

" In omni, sic testatus est antea Pius IX, terrarum plaga ex infausto illo die expugnatæ hujus Urbis, Christifideles assiduis ac ferventibus precibus institerunt, et — seu publicis atque iteratis supplicationibus, — seu sacris peregrinationibus susceptis, — seu non intermisso ad Ecclesias concursu, et ad sacramentorum participationem accessu, — sive præcipuis aliis christianæ virtutis operibus, ad thronum divinæ Clementiæ perseveranter adire, sui muneris esse putarunt.

" Neque vero hæc flagrantia deprecationum studia amplissimo apud Deum fructu carere possunt ([2]). "

Orandum est sicut initio Ecclesiæ, ut Deus iterum mittat Angelum suum et virum dexteræ suæ potentis, qui Petri vincula frangat, carcerem aperiat, eumque gaudentem ac independentem Ecclesiæ reddat. Exstat insigne exemplum in fidelibus nascentis Ecclesiæ, dignum plane quod sit temporibus futuris in imitationem propositum. Petrus, Vicarius Christi Domini, summus Ecclesiæ Antistes, in vincula conjectus jussu Herodis regis scelestissimi, erat jam certæ

1. S. Bernard., Ep. 244 *ad Conradum Regem.*
2. Encycl. *Ubi nos*, 15 Maii 1871.

morti destinatus, quum illinc ut evaderet nihil in quoquam esset opis, nihil auxilii.

" *Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo* (1), agebatque omnes eo ardentius precandi studium, quo acrior ærumnæ tantæ sollicitudo mordebat. Ut vero orantibus vota successerint, comperta res est : Petrum mirifice liberatum christianus populus memori semper laetitia concelebrat (2). "

Illud ergo auxilii non deerat quod precatio sancta a Deo conciliat; scilicet Ecclesia impensissimas pro Petro preces fundebat.

Simile auxilium ne desit S. Sedi nostræque Europææ societati civili in tanto discrimine positis conemur, fundetque iterum Ecclesia preces impensissimas.

Hinc preces quas postulavit Papa Pius IX; hinc paternæ exhortationes quibus tot annis piissimus Leo XIII fideles incitat ut ad B. V. M. Reginam Sacratissimi Rosarii confugiant protectionemque ejus in Ecclesiam et societatem implorent. Hinc fervidæ preces ab Ordinariis locorum præscriptæ et in singulis ecclesiis fundendæ, quæ nunquam languescere debent donec tandem exoptata victoria adsit. Non possumus quin recordemur horum verborum Pii IX :

" Vos et commissos vigilantiæ vestræ populos enixe hortamur ut in dies, firmius et uberius quo gravius dimicatio fervet, Nobiscum clametis ad Dominum, quo ipse propitiationis suæ dies maturare dignetur.

" Efficiat Deus ut Principes terræ, quorum maxime interest ne tale usurpationis, quam Nos patimur, exemplum in perniciem omnis potestatis et ordinis statuatur et vigeat, una omnes animorum et voluntatum consensione jungantur, ac disjectis exitialibus sectarum consiliis, conjunctam operam navent *ut restituantur huic S. Sedi sua jura*, et cum iis visi-

1. *Act.*, XII, 5.
2. Leo XIII, Encycl. *Octobri mense*, 12 Sept. 1891.

bili Ecclesiæ capiti sua plena libertas, *et civili societati optata tranquillitas.*

" In his precibus spes Nostræ firmius in Deo consistant. — " Putatisne (inquit S. Bernardus) avertere poterit Deus aurem a carissima sponsa sua, cum clamaverit stans adversus eos qui se angustiaverunt? Quomodo non recognoscet os de ossibus suis et carnem de carne sua, imo vero jam quodammodo spiritum de spiritu suo? Est quidem nunc hora malitiæ et potestas tenebrarum. Ceterum hora novissima est et potestas cito transit. Dei virtus et Dei sapientia, Christus, nobiscum est, qui et in causa est. Confidite, Ipse vicit mundum [1]. "

" Interim vocem æternæ veritatis magno animo et certa fide sequamur, quæ dicit : " Pro justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia, et Deus expugnabit pro te inimicos tuos [2]. "

14. Oremus! Omnipotens sempiterne Deus, in cujus manu sunt omnium potestates, et omnium jura regnorum, respice in auxilium Ecclesiæ tuæ, ut secta Massonica, quæ in diabolica sua astutia confidit, dexteræ tuæ potentia conteratur.

Oramus Te, Domine, ut olim humilis Mardochæus : " Domine, Domine, Rex omnipotens! In ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israel. Tu fecisti cælum et terram, et quidquid cæli ambitu continetur. Dominus omnium es, nec est qui resistat Majestati tuæ.

" Et nunc, Domine Rex, miserere populi tui, quia volunt nos inimici nostri perdere, et hæreditatem tuam delere!

" Ne despicias partem tuam, quam redemisti Tibi de Ægypto. Exaudi deprecationem meam, et propitius esto sorti et funiculo tuo, et converte luctum nostrum in gaudium,

1. S. Bern., Epist. nº 6 et 14.
2. *Eccl.*, IV, 33. — Pius IX, Encycl. 15 Maii 1871.

ut laudemus nomen tuum, et ne claudas ora Te canentium, Domine, Deus noster ([1]). "

Maria, Auxilium christianorum, intercede pro S. Ecclesia catholica ejusque Summo Pontifice, Filii tui Vicario; intercede pro periclitante societate nostra eamque in tramitem veritatis benigne reduce.

S. Joseph, Ecclesiæ et Belgii Patrone, ora pro nobis.

1. Cf. *Missale Rom.* Missa contra Paganos, et *Esther*, XIII.

CONCLUSIO PRACTICA.

Cooperemur Deo: "*pro aris et focis*" et ope precum nostrarum atque laborum iterum sit Papa rex Romæ!

1. Intimus fons et natura quæstionis socialis præsentis in quo lateat? — 2. Spectaculum dissolutionis et ruinæ a secta Massonum jam provocatæ. — 3. Cur Deus permiserit tantam dominationem impiæ sectæ? — 4. Potissimum, ut cunctis populis ætatis nostræ constaret non jam de divina doctrina Ecclesiæ Romanæ, sed de virtute superna, qua sola pollet in conservationem societatum civilium. — 5. In cassum laborant in præsenti omnes, nisi eo sincere tendant ut: *Papa sit Rex Romæ; apponatur hæc summa solutio quæstioni sociali præsenti.* — 6. Nos igitur in promovenda restauratione Principatus civilis S.Sedis macte cum Deo pro aris et focis cooperemur. — 7. Hora est jam nos de somno surgere. — 8. Nullum profecto adminiculum est negligendum. — 9. Propior est salus ex imminenti jam declinatione sectæ, cui irrisit providus Deus per proclamationem Concilii Vaticani: " Constitutio dogmatica prima de Ecclesia Christi. " — 10. Mirabilis et insuperabilis unio catholicorum cum Pontifice Romano præsagium est certæ victoriæ. — 11. Huic ergo et nos strenue adhærere oportet; exinde orietur salus societatis et acclamabitur Ecclesia Romana: *Papa sit rex Romæ, hæc summa solutio quæstionis socialis præsentis.* — 12. Hymnus et oratio finalis.

1. Ad quem ergo tanquam ad arcem tutissimam juris et æquitatis socialis constituendam cuncta ordinis principia divina atque humana concurrerant, hunc Principatum religiosum ac civilem Ecclesiæ subvertit in Europa malefica secta Massonum, simul spirans odium et destructionem. Ecclesiæ succedere molita est, ut novum paganismum, solo cultu naturæ innixum, novumque jus, sola violentia fundatum, inter populos introduceret.

Hinc alluvies malorum et angustiæ innumerabiles quibus undique et vicissim opprimitur societas præsens; hinc lis est non tantum de sua cuique religione vera conservanda, sed de

genuino jure sive personæ propriæ, sive familiæ, sive patriæ, tuendo ; hinc in vindicanda causa Pontificis pro aris et focis Deo cooperemur oportet.

Consistitne itaque quæstio socialis hodierna tantummodo in sublevanda conditione opificum ? Minime. — Consistitne forte in inventione et applicatione unius alteriusve systematis ordinis mere œconomici ? Nequaquam. — Consistitne in ratione mutuorum jurium et officiorum inter superiores et inferiores, vel in ponderatione mercedis laboris et repartitione bonorum ac commodorum vitæ ? Nullo prorsus modo. Hujusmodi enim puncta varia et particularia sunt specimina dissociationis nostræ, et quasi diversi aspectus sub quibus identidem erumpit malum illud maxime universale, quod intime latens, torquet societates modernas et unde tanquam ex fonte scatent tot tantaque dissolutionis socialis discrimina. *Funditus enim vitiatum est regimen societatis nostræ per principia subversionis, quae ipsi instillavit secta nefaria, et quorum consecratio publica eaque authentica persistit continuo in spoliatione Principatus civilis Apostolicæ Sedis.*

Quam spoliationem quidem luctuosissimum habuisse influxum, neminem jam latere potest, tum ratione scandali, quod continuo gentibus ingerere nata est, tum ratione servitutis durissimæ, qua Ecclesiam impedit quominus active et efficaciter ut antea fungatur munere suo in bonum fidelium, et civium omnium, tum ratione etiam impendentis vindictæ Dei, qui nequit impunitas relinquere iniquitates populorum ; sed in eo potissimum societati exitiosa existit, quod quamdiu perdurat simul populos a decretis Providentiæ divinæ, in conservationem societatum positis, continuo aberrare facit et speciatim christianas atque catholicas nationes principiis certæ ruinæ ac subversionis ineluctabiliter imbuit.

2. In Ecclesia Romana et Pontifice rege per quindecim fere sæcula cuncta nixa sunt bona ad prosperitatem et incolumitatem societatis nostræ cunctaque jura constituta, atque

stabilita fuere in ipso uti circuli radii firmantur in centro; dum e contra ex dominatione sectæ Massonum, invectoque neo-paganismo quotidie nova nascuntur mala atque pericula socialia. Angustiæ et passiones novæ continuo premunt populos quin tamen ii earum commotionum causam, utpote a secta impia obcæcati, agnoscere videntur, parati semper et nova indagare ac tentare remedia. Diffidentia crescit in diem inter nationes ad invicem æque ac inter populos subjectos moderatoresque populorum: cuinam enim confidere quis posset cum jura omnia personarum, familiarum, nationum præpotenti concupiscentiæ et violentiæ sacrificentur? Ambitio dominandi aliis,et jugum omne abjiciendi,inflat proletarios seu gregales plebis, qui dum vi et numero ceteris præstant, jam accinguntur ut *novo jure* freti, rerum tandem potiantur, ac deinceps pro lubitu totum ordinem socialem transforment et iterum atque iterum reforment, donec postremo, societas in totalem perniciem proruat.

Nil mirum ergo si Ecclesia Romana per suos Pontifices nunquam non damnaverit sectam impiam Massonum et asseclas ejus, jugiterque Principes, populos fidelesque monuerit de consiliis sceleratorum illorum virorum conspirantium non in ruinam religionis tantum sed et societatis universæ. Sed eheu! Obturaverunt illi plerumque aures admonentibus Pontificibus et ecce potestas tenebrarum in Ecclesiam primo triumphum egit suaque principia per spoliationem Principatus civilis Pontificis societati imposuit, ut brevi post triumphum agat de toto ordine sociali, per spoliationem nempe libertatis civilis, proprietatis privatæ et auctoritatis cujuslibet, et tandem perveniat ad novum constituendum imperium, in quo cives non gaudebunt jure personali ullo, in quo sacratissima familiæ vincula pedibus conculcare licebit, in quo proletarii a fisco spoliati atque oppressi non jam in servitutem redigentur dominorum suorum, sed durius subibunt jugum Status sive gubernii tyrannici.

Tanta sunt mala socialia quæ in spoliatione S. Sedis inclusa esse satis superque probavimus exindeque tanquam ex semine magis magisque pullulabunt nisi per reintegrationem pristini juris socialis atque internationalis, in restitutione Principatus civilis Papæ, de facto inaugurandam, opportunum remedium apponatur. Igitur,

PAPA SIT REX ROMÆ

HÆC EST SUMMA SOLUTIO QUÆSTIONIS SOCIALIS PRÆSENTIS.

3. Quare tamen Deus hanc dominationem impiæ sectæ Massonum sacrilegamque occupationem Urbis permisit ?

Verumenim, quid est cur olim pariter idem Dominus permiserit Arianam sectam adeo dominari atque apparenter triumphare in Ariminensi conventu, ut juxta dicta Hieronymi, " Valentis potissimum et Ursacii fraudibus, damnatione Nicœnæ fidei conclamata, ingemiscens Orbis terrarum se Arianum esse miratus sit (1) ? "

Patet ratio Sapientiæ Divinæ, quae "rerum mortalium varios perpetuosque motus providentissime regit eosque vel invitis hominibus ad Ecclesiae suae incrementa transfert (2). "

Ideo, sicut olim dispersa Arianorum procella ex hæreticorum, paganorum necnon imperatorum conjunctis viribus conflata, novo divinoque splendore fulgere voluit Ecclesiam suam, ita nunc Deus et novos parare intendit Ecclesiæ suæ triumphos, et nova prodere in ea testimonia divinitatis ejus coram fidelibus ac populis universis. Præterea, quot bona virtutum et fructus patientiæ non obvenerunt nobis rebus ex adversis quas hisce nostris temporibus passa est Ecclesia vera Christi ! Verbis Pontificis attendamus. " Videmus enim, ait jam Pius IX,*firmitatem fidei,ardorem caritatis* sese in dies latius explicantem ; cernimus eam *sollicitudinem in fidelium animis pro hujus Sedis* et supremi Pastoris laboribus exci-

1. Brev. Rom., fest. S. Damasi, 11 Dec
2. *Epist. de Stud. hist.*, 18 Aug. 1883.

tatam, quam Deus solus ingerere potuit ; ac tantam perspicimus *unitatem mentium et voluntatum*, ut a primis Ecclesiæ temporibus usque ad hanc ætatem NUNQUAM SPLENDIDIUS AC VERIUS DICI POTUERIT QUAM HIS DIEBUS NOSTRIS, MULTITUDINIS CREDENTIUM ESSE COR UNUM ET ANIMAM UNAM ([1]). "

Et re quidem vera, ex hoc novo Divinitatis argumento in favorem Ecclesiæ prolato mirum in modum, crescent firmitas fidei et ardor charitatis.

Exinde enim novus decor, inauditusque et incomparabilis splendor circumdabit non jam, ut ita dicam, Ecclesiam christianam, sed Ecclesiam Catholicam Romanam, Cathedræ Petri superædificatam, ipsamque directe et magis magisque clarescere faciet tanquam Ecclesiam Christi veram. Etenim ex una parte dissolutis jam aliis sectis religiosis, sive Protestantibus, sive schismaticis, sive infidelibus per obortos exin scepticismum atque indifferentismum ; ex alia parte regnantibus ubique cupiditatibus effrenatæ libertatis per sensum humanitatis et humanæ honestatis minime cohibitis ([2]) ; mox tunc quicumque supererunt viri animo religioso imbuti, quicumque veritatis amantes, quicumque pacis et ordinis studiosi plane agnoscere atque confiteri incipient cum philosopho antiquo " docere pietatem neminem posse nisi Deus tanquam dux et magister præiverit ([3]) ". Proindeque confestim ad *Auctoritatem divinam atque infallibilem Ecclesiæ Romanæ* convolabunt ejusdemque *amplectentur genuinam*

1. *Act.*, IV, 32. — Encycl., *Ubi nos*, 15 Maii 1871.

2. Les paroles suivantes de Fichte et de Schudorff sont dignes d'être citées : " Le mot humanité, dit Fichte (disc. à la nation Allemande, 1824) est du nombre de ces mots fameux dont on peut si facilement abuser pour masquer le pervertissement de l'homme ; par un son étrange, sublime et éclatant, ce mot éveille l'attention ; mais dans le fond, il enveloppe celui qui l'écoute des ténèbres de l'ignorance ".

Schudorff qui, en qualité de Franc-Maçon, avait d'abord consacré ses talents à faire triompher le dogme de l'humanité, nous dépeignit plus tard (disc. sur l'état act. de la Maçonnerie) l'humanité comme quelque chose de si vague, que toute loge, qui se la propose comme but, se charge d'un problème insoluble et se perd dans une vaine entreprise. — Gyr. p. 205.

3. Plato, in Epinomide.

charitatem, quæ sola capax est nectendi vinculum sincerum et perenne inter hominem et proximum suum, quia sola charitate divina nitens ut Apostolus fert ([1]) : " patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati ([2])."

Quem quidem exitum probabilem prospicere videntur nonnulli ex gregalibus sectæ et ex asseclis associationis Internationalis operariorum. " Sectatores liberalismi, ita exclamare ausus est quidam Antverpiensis in congressu socialistarum anno 1878 Gandavi habito, aut profligabuntur aut curvati sub jugo reducentur a nobis ; nec tamen catholici neque Ecclesia Romana jugum nostrum subibunt unquam ([3]) ! "

4. Ast crescet quoque in immensum fiducia populorum atque " sollicitudo in Apostolicam Sedem et Supremum Pastorem excitata. " Revera non desunt, imo abundant, testimonia divina quibus probata divinitus apparet singulis doctrina Ecclesiæ Romanæ, sed oportet etiam in diem et coram nationibus omnibus clarius manifestetur, per tractum sæculorum, ipsissima vitalis ac superna virtus, qua Ecclesia

1. " On attribue à certaines eaux la propriété de dissoudre tous les corps, excepté l'or. Par son esprit de scepticisme et d'incrédulité, la Franc-Maçonnerie semble être une de ces eaux. Elle est en train de dissoudre toutes les fausses religions, toutes les institutions basées sur l'erreur et le mensonge : protestantisme allemand et anglican, schisme grec, bouddhisme, mahométisme, rien de tout cela ne résistera à l'eau dissolvante. Seul le catholicisme, c.-à-d. la religion chrétienne, gardée et interprétée par l'Église Romaine, ne se laissera point entamer. On le verra résister aux promesses comme aux menaces, aux ruses comme à la violence, aux séductions de l'erreur comme aux entraînements du vice. Frappés de ce spectacle sublime, les esprits sensés, les cœurs droits reconnaîtront en lui la seule religion divine, et ils se convertiront sincèrement. "

" Certains Francs-Maçons ont le pressentiment de ce résultat. Pour cette fois, disent-ils, nous avons si bien pris nos mesures, que l'Église doit nécessairement succomber sous nos coups. Si elle reste debout, il faut qu'elle soit divine ; nous écouterons docilement sa voix ". Pauvres égarés !... — *Quest. du jour sur la Franc-Maçonnerie*, P. E. Monniot. C. SS. R. p. 85.

2. *I Cor.*, XIII, 4.

3. Onclair, *La Franc-Maçonnerie contemporaine*, p. 315. *Nota.*

Romana, eaque sola, pollet ad salutem, incolumitatem atque conservationem populorum. Recole facta.

Teste historia, vix antiqua illa societas Romana converti renuit ad religionem christianam, ipsique bellum indixit, quum ineluctabiliter cœpit declinare; vix sæculis V et VI prima et fortissima Ostrogothorum, Visigothorum, Lombardorum, Suevorum et Vandalorum regna, universis meridionalibus plagis Europæ, littoreque Africano subactis, a secta Ariana potius quam ab Ecclesia se imbui et erudiri decreverunt, quum visi sunt interire; vix imperium Byzantinum Romanæ Ecclesiæ confidenter uniri ab eaque fulciri indesinenter recusavit, quum Turcarum dominationem cœpit subire; vix denique societates modernæ Europæ ab eadem Ecclesia separatæ vivere propriisque viribus niti inceperunt, quum odiis excitatis et juribus violatis in pristinam Imperii Romani abierunt dissociationem. Præstitit et dare hujusmodi documentum societati nostræ, adeo sua civilitate et urbanitate inflatæ, ut matre Ecclesia se non longius indigere fateatur.

Utinam tandem aliquando societates nostræ saperent et intelligerent!

Nonne in citatis factis historicis Providentia Dei subministrare videtur argumenta, non jam privata sed socialia, divinæ virtutis Ecclesiæ Romanæ inditæ? Utinam itaque saperent et intelligerent atque singulari Providentiæ divinæ sese conformarent civitates et societates civiles modernæ quæ quotidie nascuntur in Europa, in America, in terris longinquis et insulis Oceani!

Jure merito sic loquitur, qui recte diceretur Doctor nationum, Papa Leo XIII in mirabili sua encyclica "De civitatum constitutione christiana."—"Immortale Dei miserentis opus, quod est Ecclesia, quamquam per se et natura sua salutem spectat animorum adipiscendamque in coelis felicitatem, tamen in ipso etiam rerum mortalium genere tot ac

tantas ultro parit utilitates, ut plures maioresve non posset, si in primis et maxime esset ad tuendam huius vitae, quae in terris agitur, prosperitatem institutum. Revera quacumque Ecclesia vestigium posuit, continuo rerum faciem immutavit, popularesque mores sicut virtutibus antea ignotis, ita et nova urbanitate imbuit; quam quotquot accepere populi, mansuetudine, æquitate rerum gestarum gloria excelluerunt." — "Attamen querelarum atque insimulationum funesta libido non quievit, ac permultis sane placuit civilem vivendi disciplinam aliunde petere, quam ex doctrinis, quas Ecclesia catholica probat.

"Immo postremo hoc tempore novum, ut appellant, ius, quod inquiunt esse velut quoddam adulti iam saeculi incrementum, progrediente libertate partum, valere ac dominari passim coepit. — Sed quamvis multa multi periclitati sunt, constat, repertam numquam esse praestantiorem constituendae temperandaeque civitatis rationem, quam quae ab evangelica doctrina sponte efflorescit ([1])."

5. In cassum ergo ruunt perpetuoque ruent conatus humani, qui cupiditatibus effrenatæ libertatis moliuntur apponere terminum per figmentum humanum unius patriæ, unius nationalitatis, uniusque summe colendæ humanitatis; quod quidem ut umbra evanescet ubi primum passiones atque aspirationes plebis ut ingens turbo in unum novum coalescent. In cassum excogitantur atque excogitabuntur magni et solemnes conventus imperatorum, regum ac principum Europæ qui, occasione nacta, more solito, numero et frequentia affirment atque manifestent monarchicam auctoritatem in Europa prævalentem, cum postridie tam solemnis manifestationis fas erit proletariis, agminibus undique conflatis, et vi et numero altius extollere suum populare imperium, "ex quo fit, quod necesse est, ut omnia sint pariter cum populi arbitrio mutabilia, et timor aliquis turbarum semper

1. Encycl. *Immortale Dei*, 1 Nov. 1885.

impendeat ([1]) ". In cassum ergo laborant atque laborabunt moderatores populorum quamdiu delusi a sectis impiis Massonum ([2]), quas ad incolumitatem societatis extirpare jam maxime expedit ([3]), eisdem favere earumdemque placita exsequi studentes, minime curabunt ut Ecclesiam Romanam in pristinam vindicent dignitatem et libertatem jurium, supremumque Pontificem iterum Regem Romæ constituant, ipsoque facto jus verum, jus divinum atque humanum, ex quo prodeunt, ad quem tanquam ad solem justitiæ omnes juris ordinis socialis atque internationalis redeunt radii, proclament.

HÆC EST SUMMA SOLUTIO QUÆSTIONIS SOCIALIS PRÆSENTIS !

PAPA SIT REX ROMÆ !

REGNET ITERUM INTER NATIONES ORDO JURIS ET ÆQUITATIS VERÆ !

Ita, nos Catholici, luctando pro independentia et juribus Apostolicæ Sedis, non pro causa aliena sed pro pace et ordine internationali et sociali totius Europæ luctamur : " Pro aris et focis ". Una enim est in præsenti discrimine causa S. Sedis Apostolicæ, Ecclesiæ Romanæ sive Ecclesiæ Christianæ veræ et causa societatis modernæ seu Patriæ nostræ.

1. Encycl. *Immortale Dei*, 1 Nov. 1885.

2. Combien les protecteurs couronnés sont trompés ! " Il sera permis à une ou plusieurs loges de se choisir un protecteur, même étranger, à la condition toutefois que celui-ci ne leur donne jamais d'ordre, qu'il ne s'attribue ancune espèce de direction... " *Circulaire des loges éclectiques allemandes.*

Weishaupt, Réformateur de la Maçonnerie, comprenait tellement l'importance d'écarter les souverains, qu'il avait expressément défendu de les initier au delà du grade d'*Illuminatus major.*

Le même nous apprend qu'il est bon de *feindre* que les souverains eux-mêmes ont la direction de l'ordre.

Au congrès de Wilhemsbade, les princes sont appelés *des fantômes* (donc des aveugles)qui s'imaginent trouver dans la Maçonnerie un moyen de garantir leurs trésors, leur puissance et leur domination. — *Circulaire des chefs Maçon. illuminés.* — Gyr. 245.

3. " Le temps est venu de faire disparaître ces sociétés qui sont toutes ou frivoles ou nuisibles à la vie sociale ". Voilà le jugement le plus compétent qu'on puisse avoir, celui notamment du baron A. de Knigge, chef le plus fameux, le plus instruit et jadis le plus actif de l'illuminisme. — Gyr, p. 206.

Non nationi nec populo ulli facta sunt promissa Dei: "Ego ero vobiscum usque ad consummationem sæculi." Soli Ecclesiæ equidem, Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, Ecclesiæ Petri, facta sunt hujusmodi divina vaticinia Christi: "Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam et portæ inferi non prævalebunt adversus eam [1]!"

6. Itaque ut boni milites Christi pro aris et focis bonum certamen certemus, nec animum amittamus, sed spe potius certæ victoriæ inflammemur.

Sonet in auribus nostris ut classicum belli vox illa ipsius Christi Vicarii:

Confidite, ego vici mundum!

Excitemur nobilissima illa S. Chrysostomi exhortatione: "Multi fluctus instant, gravesque procellæ, sed non timemus ne submergamur, nam in Petra consistimus.

"Sæviat mare, petram dissolvere nequit.

"Insurgant fluctus, jam navigium demergere non possunt.

"Nihil Ecclesia potentius; Ecclesia est ipso cœlo fortior.

"*Cœlum et terra transibunt; verba autem mea non transibunt.*

"Quæ verba? — "*Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*"

"Si non credis verbo, rebus crede! — Quot tyranni Ecclesiam opprimere tentaverunt! Quot sartagines, quot fornaces, ferarum dentes, gladii acuti! — Nihilque perfecerunt!

"Ubinam sunt hostes illi? — Silentio et oblivioni traditi sunt!

"Ubinam Ecclesia? Plus quam sol splendescit.

"Quæ illorum erant, extincta sunt; quæ ad Illam spectant, sunt immortalia.

1. *Matth.*, XXVIII, 19; XVI, 18.

" Si, cum pauci erant Christiani, non victi sunt,— quando orbis totus pia religione plenus est, quomodo illos vincere possis?

" *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* (1). "

PAPA SIT REX ROMÆ!

HÆC SUMMA SOLUTIO EST QUÆSTIONIS SOCIALIS PRÆSENTIS,
HÆC SOLA CONDITIO STABILIS PACIS ET ORDINIS
INTER EUROPÆ NATIONES.

Numquid impune ergo nationes illæ, quas ipsa Ecclesia Romana concepit atque peperit, quas ipsa lacte doctrinæ suæ veræ nutrivit, quas, ut sæpius diximus, ad culmen vigoris et majestatis provexit, numquid possent hanc Matrem suam respuere, consilia ejus abjicere, eam e Sede sua e Patrimonio B. Petri violenter detrudere ejusque sacratissima jura violare, quin cito dirumperetur pax et ordo universæ familiæ christianæ, cuncta jura privata et civilia, divina atque humana periclitarentur, et implacabilis vindicta Summi Judicis nobis impenderet? Ergo, contra iniquam Matris spoliationem bellum pacificum quidem, sed strenuum atque assiduum reintegremus. " Quia hora est jam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus (2). "

Quotquot sunt ergo viri politici studiis socialibus addicti, hoc sibi præfigant ut connexionem inter quæstionem Romanam et quæstionem socialem propriis studiis, congressibus internationalibus, conciliis regum ac nationum submittant!

Quotquot exstant viri cordati, associationibus catholicis sive operariorum sive quorumcumque hominum præpositi, ad jura sociala vindicanda fluctuantemque ordinem resarciendum, hoc sibi suisque prius sincere proponant, ut illud jus Pontificium reclament, in quo concreto vindicantur ac stabiliuntur cuncta jura socialia vera!

1. Hom. Ante exil. — Pius IX, Encycl. *Etsi multa*, 21 Nov. 1873, in calce.
2. *Rom.*, XIII, 11.

Quotquot tandem sunt cives religionis et patriæ amantes, cum Pontifice Romano pro aris et focis strenue luctentur. Horum omnium una vox sit :

PAPA SIT REX ROMÆ!

HÆC SUMMA SOLUTIO SIT QUÆSTIONIS SOCIALIS PRÆSENTIS.

HORA EST JAM NOS DE SOMNO SURGERE!

7. Non quadrat revera segnities multorum cum verbis exhortatoriis quibus Pontifex alloquitur populos catholicos, Principes et Episcopos omnes.

" Catholicos ex omnibus terris assidua quaedam tenet, velut fixa in pectore, sollicitudo. Neque enim possunt aut ferre leviter Parentis publici indignam conditionem, aut libertatem augustissimi ministerii non curare in Episcopo animarum suarum.

" Novissimo autem tempore, cum ex variis Europae partibus in civitates principes summa voluntate convenissent, utilia rebus communibus consilia inter se collaturi, nostis quantam partem cogitationum et curarum suarum Sedi Apostolicae tribuerint.

" Iamvero quod censuerunt, ad custodiendam Apostolici muneris in Pontifice libertatem civili Principatu esse opus, sententias suas ad exemplum doctrinasque Sedis Apostolicae, ut aequum erat, conformarunt.

" Quod autem enitendum sibi *omni ratione legitima* decreverunt, ut re ipsa Pontifex in libertatem debitam restituatur, iure suo usi sunt, caussae iustissimae, quae catholicorum omnium communis putanda est, tutela suscepta (1). "

Ad Principes et reges sic loquitur Papa :

" Simul autem ad Principes et supremos populorum Moderatores voces Nostras convertimus, eosque per nomen augustum summi Dei etiam atque etiam obtestamur, ne oblatam sibi tam necessario tempore opem Ecclesiae repudient.

1. Alloc. 24 Maii 1889.

" Faxit Deus, ut illi, comperta eorum quæ diximus veritate, ac secum reputantes... in Ecclesiæ incolumitate et obsequio suam etiam ac publicam incolumitatem et tranquillitatem contineri, cogitationes suas et curas conferant ad levanda mala, quibus Ecclesia ejusque visibile caput affligitur, atque ita tandem contingat, ut populi quibus præsunt, justitiæ et pacis ingressi viam, felici ævo prosperitatis et gloriæ fruantur [1]. "

Et insuper ad Episcopos, duces nostros in præsenti pugna contra potestates infernales :" Vos igitur, inquit Papa, Venerabiles Fratres, qui tanta fide, constantia ac virtute ad religionis, Ecclesiæ et hujus Apostolicæ Sedis causam propugnandam exarsistis, pergite majore animo studioque eamdem causam defendere, ac *fideles quotidie magis inflammate ut omnem operam, studia, consilia in Ecclesiæ et hujus S. Sedis defensione, atque in tuendo civili ejusdem Sedis Principatu, Beatique Petri Patrimonio, cujus tutela ad omnes catholicos pertinet, impendere numquam desinant* [2]. "

8. Quæ cum ita sint, " nullum profecto adminiculum, quod in nostra potestate sit, negligere decet.

" *Hora est jam nos de somno surgere !* Omnia verborum officia, omnes actionis industriæ, totus denique spiritualium subsidiorum immensus thesaurus, quem in manibus nostris Ecclesia posuit, ad clerum probe instituendum et JESU CHRISTI spiritu conformandum, ad juventutem christiane edocendam, ad improba dogmata extirpanda, ad catholicas veritates fortiter asserendas, postremo ad characterem spiritumque christianum in familiis incolumem servandum, naviter adhibeantur oportet.

" *Hora est jam nos de somno surgere !* Quum in præsentia apertum et internecivum bellum geratur ubique contra Ecclesiam, imbecillis animi indicium foret et triste probrum,

1. Encycl. *Inscrutabili*, 21 Aprilis 1878.
2. Pius IX, Encycl. 19 Jan. 1860.

castra deserere et latere velle. Catholicorum quippe officium est stationem tueri, seque exporrecta fronte veros catholicos, fide et operibus fidei respondentibus, ostendere; idque cum in Religionis honorem ac decus, gloriamque Summi Ducis, cujus insignia sectantur, tum ne maximum infortunium supremi judicii diei subeant, quod est a divino Judice tamquam Ipsi ignotos repelli, neque ut suos discipulos ab Eodem agnosci, quem palam edixisse novimus : *Qui non est mecum, contra me est* [1].

" *Hora est jam nos de somno surgere!* " Cum igitur ipsa secta per suffragium universale electorum totam vim penes populos translatam esse decreverit, quid est cur populus catholicus non arriperet arma illa moralia, et genuinas catholicarum factionum aspirationes magis magisque in lucem prodendo, non jam eligeret ullum, qui populi aspirationes in cœtibus publicis et legiferis repræsentaret, nisi prius professus esset se fore pro tempore et opportunitate strenuum bellatorem ad Apostolicæ Sedis libertatem et independentiam omnibus mediis legitimis vindicandam ? — Ita quidem juxta monita Papæ " enitendum est sibi omni ratione legitima ut reipsa Pontifex in libertatem debitam restituatur [2]." Ita quoque Catholici " sine ostentatione ac timiditate, virilis et fidentis animi specimen præbeant, qui ex conscientia enascitur qua quisque pro certo habet se sanctum officium coram Deo et hominibus adimplere [3]. "

Sed tempus urget : non est cunctandum. Jam dixit publice Lemmi, ante Nathan caput summum Massonum : " Nolumus nepotibus nostris curam committere evertendi funditus et penitus destruendi pontificale solium [4]. "

Videtur audisse a Satana : " quod facis, fac citius ! "

Nesciat tarda molimina nostra caritas !

1. *Matth.*, XII, 30.
2. Alloc. 24 Maii 1889.
3. Encycl. 15 Oct. 1890.
4. De T'Serclaes, t. II, p. 217.

" Itaque hora est jam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus... "

9. Et revera. Improbabile quidem videtur impiam sectam Massonum unquam adeo esse perituram in terris ut nullæ plane jam superstites sint ejus reliquiæ ; nihilominus, cum essentialiter societas clandestina sit, ipsi proinde applicari possit hoc S. Irenæi de sectis hæreticis dictum : " Victoria adversus eos, manifestatio sententiarum eorum [1]. "

Quo magis igitur divulgatur ejus prava indoles et palam manifestatur ex suis secretis et nefariis consiliis, eo propinquior quoque ruinæ suæ existet celeriusque amittet supremam dominationem suam. Ideo perspectum est, cum error nequeat tandem aliquando non cedere veritati nec injustitia non superari a jure, fore, ut item secta falsa veræ Christi Ecclesiæ cedat ac iniquitas serius ocius superetur a jure ; quinimo equidem, brevi cum ex ima parte factiones populares variæ socialistarum ex secta impia progenitæ genitrici tamen minime parcentes, eam supplantare jam studeant, et ex alia parte in diem crescat unitas populorum catholicorum, quos arctius quasi in ingens agmen, duce Romano Pontifice, concilium Vaticanum opportune conjunxit [2].

" Percute Pastorem ac dispergentur oves, " sic inficiati sunt hostes et spoliatores S. Sedis ; attamen priusquam oves ab inimicis dispergi possent et a Sede Romana violenter avelli, ecce Omnisciens atque Providens Deus novum quoddam, firmum, perenne inauditumque creat vinculum oves inter et Pastorem supremum [3]. Ecce die memorabili 18 Julii 1870 in toto terrarum Orbe acclamatur singularis Principatus jurisdictionis Petro directe collatus a Deo in Ecclesiam universam ; acclamatur legitimus isque solus successor Petri, Pontifex Romanus a cujus supremo judicio non jam ad œcumenicum Concilium tamquam ad auctoritatem Romano

1. Monniot, p. 88. — Alzog., *Patrologie*, I, tr. Belet, p. 147.
2. *Livre d'or du Pontificat de Léon XIII.* — G. Kurth., p. 391.
3. Conc. Vatic. Sess. 4. Const. dogm. de Eccl. Christi. — Col. Lac. VII, 482.

Pontifice superiorem appellare fas est ; acclamatur hujus Romani Pontificis infallibile magisterium, ita ut ipse, " cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in Beato Petro promissam, ea infallibilitate polleat, qua Divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit. " Igitur, jure dictum est a fortissimo ex præliatoribus Domini, a Pio IX magno, sacro approbante Concilio : " Quoniam portæ inferi ad evertendam, si fieri posset, Ecclesiam, contra ejus fundamentum divinitus positum majori, in die odio undique insurgunt : Nos ad catholici gregis custodiam, incolumitatem, augmentum, necessarium esse judicamus, sacro approbante Concilio, doctrinam de institutione, perpetuitate ac natura sacri Apostolici Primatus, in quo *totus Ecclesiæ vis ac soliditas* consistit, cunctis fidelibus credendam et tenendam... proponere, atque contrarios, dominico gregi adeo perniciosos, errores proscribere et condemnare. "

" Quare igitur fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania ? Adstiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus : dirumpamus vincula eorum et projiciamus a nobis jugum ipsorum. — Qui habitat in cœlis irridebit eos et Dominus subsannabit eos [1]. "

Etenim, institutione, perpetuitate ac natura sacri Apostolici Primatus in successore Petri, in Pontifice Romano, *in quo totius Ecclesiæ vis ac soliditas consistit*, nondum proclamata, poterant hostes ita spe gaudere inferendi futuram ruinam aut supremum discrimen Ecclesiæ : " Percute Pastorem et dissipentur oves " ; poterant jactari eodem, quo modo sæculo XVIII rex quidem philosophus ad coryphæum

1. *Ps.*, II ; *Act.*, IV, 25.

impietatis scripsit : " Principatu Sedis Romanæ potire et mox præ nationalitatibus et regionibus diversis in diversas partes et schismata abibunt fideles " ; fuissemus revera jacentes sicut oves non habentes pastorem " — " unusquisque in viam suam declinans (1). "

Ast Providus Deus novit consilia hominum..., providit Ecclesiæ suæ, providit saluti hominum, providit incolumitati societatum civilium ideoque cohibita ad tempus executione consilii nefariarum sectarum, antequam lamentabilem diem 20 Sept. advenire et consummari spoliationem permitteret die 18 Julii ejusdem anni 1870 mirabiliter œcumenico cœtu convocato, et mota quæstione Primatus Pontificis Romani, vinculum illud irrefragabile apponit, quo fideles christiani a supremo Pastore minime jam aberrare sinuntur, quoque tam arctissime cum ipso uniantur ut non jam ad verum Christi gregem pertinere possint, quin toto corde ac tota mente Pontifici Romano penitus adhæreant. — Ita, " qui habitat in cœlis, irrisit eos et Dominus subsannavit eos. "

10. Nonne itaque ex unione mirabili cum Pontifice Romano, quæ in diem crescere visa est, certa spes affulget novi ordinis ac pacis inter populos christianos ? Nonne ab hoc tempore Ecclesia Romana congregare cœpit fideles suos perinde ac gallina congregat sub ala pullos suos ?

Quis est qui negaret summam unitatem tam providentissime ac opportune exortam, quæque et hostes ipsos admiratione ac tremore percellit ? — En 256,000,000 catholicorum quorum omnium et singulorum corda et mentes non jam conspirant in quamdam formam Christianismi vagam, sed collineant in unum Pontificem Romanum ut tot radii ejusdem circuli qui in circuitu suo totum ambit terrarum Orbem. Ubicumque enim exstabit christianus verus ullus, fides ejus christiana deinceps palam enuntiabitur fides Romana, fides ipsius successoris Petri, Pontificis nempe Romani.

1. *Matth.*, IX, 36 ; *Is.*, III, 6.

Ex nunc inter nationes civilitate florentes tot millia millium hominum quorum, dum restaurationi sociali manum strenue admovent, omnium ac singulorum unus animus est, id est executioni mandare eas, quas Doctor nationum apposuit, regulas in mirabilibus suis encyclicis de constitutione christiana civitatis civilis, de conditione opificum et de ceteris quæstionibus summi momenti. Ferveat opus, cuique suum afferre calculum liceat modo sub inspiratione et ductu Pontificis Romani, ab eoque legitime præpositorum Episcoporum nostrorum fideliter laboret.

Adlaborent viri politici et moderatores reipublicæ, modo sub ductu et consilio laborent supremi ipsorum consiliarii Papæ cujus sapientiæ documenta mirantur etiam extranei principes. Adlaborent clerus et sacerdotes communitatibus parochialibus, associationibus opificum omnigenis, scholis, academiis et studiis præpositi, modo ne minime quidem recedant a ductu Pontificis et Pastorum suorum. Adlaborent cives et scriptores quorum in manu sunt ephemerides, modo continuo præ oculis habeant regulas quas ipsis dictare dignatus est sapientissimus ac pervigil Pontifex noster Leo XIII. En agmen catholicorum ad restaurationem socialem ordinatum, cui addicta manet certa victoria in futurum, ut in Italia vir quidam politicus, etiamsi Ecclesiæ inimicus, nuper est confessus (1).

Sic, cum Providentia ac benevolentia summi Dei quæ semper est cum Ecclesia sua, miserta societatis nostræ ipsi videatur præparasse salutem in unitate cum Pontifice Romano, huic toto animo adhærere, hunc toto pectore acclamare juvat cum antiquo poeta :

TU REGERE IMPERIO POPULOS, ROMANE, MEMENTO!

11. Hujus Parentis saluberrimum non subire influxum non potest societas nostra, ab ipso per sæcula erudita, quin peni-

1. *Le Bien public* du 14 Déc. 1896. Aveu du libéral M. Cristofoli.

tus succumbat ac pereat quemadmodum periere Chaldeorum, Egyptiorum, Romanorum civilitates antiquæ. Putasne forsan mutari posse primam educationem viri ætatis maturæ, arborem fructiferam in alienum transferri solum, nova et ægrotanti constitutioni contraria adhiberi remedia, quominus ita in eorum conspiretur ruinam et indoles viri vitietur, et arbor arescat, et ægrotans lente pereat ?

Gentes et generationes aliæ aliis poterunt succedere, nulla autem pertinget ad verum solidumque ordinis et pacis socialis præsidium, donec munimen illud e manu Ecclesiæ Romanæ accipiet, mutuaque pace et concordia bono communi et prosperitati civium adlaborabit.

Interea adstat Ecclesia hæc, super petram collocata, expectans generationes quibus prona est sua offerre auxilia et dirigere gressus : " Et erit in novissimis diebus (1) præparatus mons domus Domini in vertice montium... et fluent ad eum omnes gentes, " — Erit " quasi malus navis in vertice montium et quasi signum super collem (2) " in salutem naufragantium populorum.

Ad hanc Ecclesiam Romanam confugere ejusque Pontificem in pristina sua vindicare jura oportet : in solo jure Pontificis consolidantur, incorporantur, incarnantur cuncta jura vera societatis cujusvis ac in primis societatis modernæ, sola proinde restitutio hujus nata est afferre ordinem et pacem sicut denegatio, eversio et consummata spoliatio jamjam consummatura est ruinam nostram.

PAPA SIT REX ROMÆ!

HÆC EST SUMMA SOLUTIO QUÆSTIONIS SOCIALIS PRÆSENTIS.

Manet per sæcula irrevocabile Providentiæ Dei decretum in Ecclesiam suam, Ecclesiam Catholicam Romanam. Hoc est "Immortale Dei miserentis opus, quod... salutem spectans

1. *Is.*, II, 2.
2. *Ibid.*, XXX, 17.

animorum adipiscendamque in cœlis felicitatem, tamen in ipso etiam rerum mortalium genere, tot ac tantas ultro parit utilitates, ut plures majoresque non posset, si in primis et maxime esset ad tuendam hujus vitæ... prosperitatem institutum;" quod quidem cum D. Augustino acclamare nos oportet : "Tu pueriliter pueros, fortiter juvenes, quiete senes, prout cujusque non corporis tantum, sed et animi ætas est, exerces ac doces. — Tu feminas viris suis, non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem, et ad rei familiaris societatem, casta et fideli obedientia subjicis. — Tu viros conjugibus non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus, præficis. — Tu parentibus filios libera quadam servitute subjungis ; parentes filiis pia dominatione præponis. — Tu fratribus fratres religionis vinculo atque arctiore quam sanguinis necessitudine, servatis naturæ voluntatisque nexibus, mutua caritate constringis. — Tu dominis servos, non tam conditionis necessitate, quam officii delectatione, doces adhærere. — Tu dominos servis, summi Dei communis Domini consideratione placabiles et ad consulendum quam ad coercendum propensiores facis.—Tu cives civibus, gentes gentibus, et prorsus homines primorum parentum recordatione, non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate conjungis. — Doces reges prospicere populis, mones populos se subdere regibus... ostendens quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus caritas, et nulli debetur injuria (1). "

12. Inter Romanos Pontifices qui maxime vindicaverunt temporale S. Sedis Dominium et quos cœlestis Patria jam suscepit, eminet profecto B. Urbanus V, de quo Ecclesia, infallibilis in publica sua liturgia, testatur : " Civilem Sedis Apostolicæ Principatum, pene eversum, ita restituit, ut sibi et successoribus suis, necessaria tandem libertate parta,

1. *De Morib. Eccl.*, liv. I, c. 30, n. 63.

lubens et ovans in almam Urbem, cum ingenti Romanorum gaudio, redierit (1)."

Beatum hunc Urbanum intercessorem adhibeamus apud Deum, et faxit fidelis Omnipotens, ut Beatissimus Pater noster Leo Papa XIII, mox devicta secta Massonica, in civilem Sedis Apostolicæ Principatum restitutus, sibi et successoribus suis, necessaria tandem parta libertate, lubens et ovans cum ingenti, non tantummodo Romanorum sed et totius Orbis Christiani, gaudio, quæstionem solvat socialem præsentem.

Faxit ut et nos, almæ Sionis æmuli, antiquæ vero et typicæ Sionis nepotes spirituales, atque realitas sublimior, " Hymnum cantemus Domino, hymnum novum cantemus Deo nostro !

" Adonai Domine, magnus es Tu et præclarus in virtute tua, et quem superare nemo potest.

" Tibi serviat omnis creatura tua, quia dixisti et facta sunt ; misisti spiritum tuum et creata sunt, et non est qui resistat voci tuæ.

" Montes a fundamentis movebuntur cum aquis : petræ, sicut cera, liquescent ante faciem tuam.

" Qui autem timent Te, magni erunt apud Te per omnia.

" Væ genti insurgenti super genus meum : Dominus enim omnipotens vindicabit in eis ! (2) "

Et tu, Immaculata, tu vera Judith, quæ cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo, " Benedicta es tu a Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus super terram ! — Benedictus Dominus, qui creavit cœlum et terram, qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum (3). "

Interim humiliter et confidenter oremus adhuc cum Ecclesia : " Deus, qui ad tuenda fortiter Sedis Apostolicæ

1. Append. Brev. Rom., 19. Dec. Noct. VI.
2. *Judith*, XVI, 15-20.
3. *Ibid.*, XIII, 23-24.

jura... B. Urbanum, confessorem tuum atque Pontificem, constantia roborasti : fac nos, ipsius præsidiis adjutos, ita militanti Ecclesiæ servire, ut triumphanti consociari mereamur. Per Christum Dominum nostrum ! " — Amen.

Deo gratias et Mariæ !



APPENDICULA.

ADMIRANDUM atque imitandum specimen impavidi animi ac audacis tenoris, quibus a congressibus nostris vindicanda sit restitutio Dominii temporalis S. Sedis, nobis dederunt et hoc anno fortissimi Germaniæ catholici, Tremoniæ in congressu suo jam 43° coadunati. Quemadmodum congressus 42' Monachii celebratus, ita et hic proclamat " ineluctabilem necessitatem illius restaurationis, pro plenitudine libertatis et independentiæ Ecclesiæ in regimine animarum." Additque : " quamcumque potestatem sæcularem, a Deo ordinatam, sibi ipsi sapientissime providere, et ad stabiliendum ordinem socialem tam turbatum collaborare, quando sustentat efficaciter protestationes hac de re a S. Sede emanatas."

Insuper spem enuntiat, hanc restaurationem Principatus civilis S. Ecclesiæ magnopere valituram esse ad servandam pacem, necnon ad reconciliandas causas adeo inter se oppositas, tam populorum quam ordinum societatis; — quod potestas civilis efficere nequit. — En cœteroquin ipsissima congressus illius verba ac decreta : " Die 43. Generalversammlung der Katholiken Deutschlands spricht von neuem die durch die Ereignisse der Zeit immer mehr begründete und befestigte Ueberzeugung aus, daß die Wiederherstellung der territorialen Souveränität drs h. Stuhles für die Selbständigkeit desselben und für seine volle Freiheit und Unabhängigkeit in der Regierung der Kirche eine unabweisbare Nothwendigkeit ist, und daß jede von Gott gesetzte weltliche Gewalt im wohlverstandenen eigenen Interesse handelt und zur Wiederherstellung der erschütterten Gesellschaftsordnung mitwirkt, wen sie die vom h. Stuhle deshalb erhobenen Rechtsansprüche erfolgreich unterstützt.

" Die 43. Generalversammlung der Katholiken Deutschlands spricht die zuversichtliche Hoffnung aus, daß die dem h. Stuhle gebührende Weltstellung noch mehr zur Anerkennung gelangt, und ist überzeugt, daß diese Weltstellung zur Aufrechterhaltung des Friedens, sowie zur Vermittelung der widerstreitenden Interessen der Völker und der Gesellschaftsclassen dasjenige leisten werde, was weltliche Macht nicht vermag."

ANIMADVERSIO

DE NOTIS APPOSITIS IN DIJUDICANDIS VARIIS VERITATIBUS, AD FIDEM PERTINENTIBUS.

PERLECTIS iis, quæ ab egregiis theologis proferuntur, circa notas a viro catholico apponendas in dijudicandis variis doctrinis et propositionibus, cum Cl. Dalponte, th. doct. et professore in Seminario Tridentino fatemur : " si dogma et hæresim excipias, in quibus determinandis conveniunt omnes, circa non genericam, sed propriam et specificam aliarum propositionum et oppositarum censurarum notionem, magna est inter auctores sententiarum diversitas ([1]). "

Nos tamen, ut amico consilio docti et benevoli Censoris obtemperemus, pro viribus, et juxta sensum quo in decursu operis præsentis et jam antea, in libro *Scopuli vitandi*, cap. VI, nonnullas propositiones notavimus, rem enucleare studebimus.

In actu fidei duplex distinguitur elementum : *objectum* scilicet *materiale*, seu veritatem *quæ* creditur, — et *motivum formale*, seu *rationem*, propter quam veritati propositæ per fidem assentimur.

Motivum hoc non est evidentia veritatis propositæ, sed auctoritas Dei revelantis.

Attamen ad fidem divinam, obligatoriam, non sufficit (præter casum rarissimum revelationis veræ, sed privatæ) ut aliquid sit divinitus revelatum ; requiritur præterea ut id, quod divinitus est revelatum, ab Ecclesia aliquo modo proponatur ac velut applicetur.

Quum autem Ecclesia non omnes veritates revelatas eodem modo, vel potius cum eadem vi obligandi proponat, hinc fit ut variæ dentur quoad fidem notæ seu distinctiones theologicæ. Itaque quædam veritates dicuntur

I vel de fide, *A)* divina, — *B)* vel catholica, — *C)* vel theologica,

II vel fidei proximæ, seu ad fidem pertinentes,

III vel de fide ecclesiastica.

I. FIDES IPSA. — Oritur ex manifestato testimonio Dei in revelatione publica. Est triplex, secundum quod testimonium illud manifestatur per seipsum — per Ecclesiam infallibilem ut regulam fidei proximam — per depositum revelationis sive scriptum sive traditum. Ita :

---

1. Jerem. Dalponte, *Comp. theol. dogm.* — Tridenti, 1890.

A) de fide divina est et dicitur propositio seu veritas " quando creditur propter auctoritatem Dei revelantis [1], " abstrahendo ab explicata declaratione seu propositione Ecclesiæ.

B) de fide catholica vere est et dicitur aliquid " quando huic accedit Ecclesiæ propositio, qua ita infallibiliter constat aliquid esse revelatum, ut omnia Ecclesiæ membra ad eam obligentur [2]. " Quæ porro propositio diversimode partitur juxta diversos respectus :

1° Ratione *auctoritatis*, propositio fit ab Ecclesia, juxta Conc. Vaticanum : " sive solemni judicio, sive ordinario et universali magisterio [3]. " Utraque auctoritas est irrefragabilis. De definitione ex *ordinario et universali magisterio* nil hic dicemus [4]. De definitione ex *solemni judicio* plerumque locus dicendi occurrit. Solemne quidem judicium habetur " quotiescumque, v. g. occasione resistentiæ vel obscurationis doctrinæ, necesse fit ut ipsa stabiliatur et in propriis formulis et terminis circumscribatur per actus præcisos potestatis docentis in judicio solemni [5], i. e. — sive in decretis conc. œcumenici, — sive in documentis Pontificis ex cathedra loquentis.

2° Ratione *formæ*, propositiones solemnes conciliorum œcum. et Pontificum erunt bipartitæ : aliæ sunt *solemniter solemnes*, aliæ dantur in documentis *minus solemnibus*, irrefragabilis tamen auctoritatis.

Distinctio hæc, cui reipsa suffragantur theologi omnes, etiam verbotenus profertur a cl. theologo Schouppe in nota manualis sui edit. XII, vol. I, p. 29.

Itaque vocatur definitio *solemnis solemniter* aliis verbis *magis solemnis* ea, in qua, præter actum jurisdictionis necessariæ concomitantem promulgationem supremi magisterii, Ecclesia non implicite tantum sed explicite communis fidei custodiam sancit *solemniter* pœnis ecclesiasticis, ut in canonibus dogmaticis [6].

1. Dalponte, p. 14, nota. — Schouppe, *Dogm.*, t. I, tr. I, cap. II.

2. Dalponte, p. 14, nota. — Scheeben, p. 274. — Conc. Vatic. Collectio Lacensis, col. 474 — quid intelligatur per definitionem ?

3. Conc. Vatic. Const. *Dei Filius*, c. 3. — Dalponte, p. 13. — Scheeben, I, p. 276.

4. Vocatur ab Origene prædicatio Ecclesiastica nempe manifesta — Est in exercitio ordinario et generali prædicationis, etc. — Scheeb., I, pp. 277 et 300.

5. Scheeben, I, p. 278.

6. Franzelin. — *Theses de Ecclesia*, opus posthumum, th. V, pp. 54-57-78. — " Hinc, ut ait Van Rooy, explicatio canonistis, ut videtur, maxime propria, fertur tantum circa istas definitiones *(solemnes solemniter)* habitas quod nempe :

Aliæ definitiones sunt minus solemnes quia gaudent forma minus solemni. " Dantur, inquit laudatus auctor, responsa doctrinalia ac documenta a RR. PP. ad Episcopos aut *Ecclesias particulares* missa : qualis e. g. est celebris epistola Pii VI ad Episc. Motulensem data 16 Sept. 1788. In hujusmodi documentis *minus solemnibus*... irrefragabilis est auctoritas. — A fortiori, illud erit dicendum, si documenta hujusmodi, *forma minus solemni*, a summo Pontifice ad *Ecclesiam universalem* dentur. Essentia rei in eo consistit... quod Pontifex pro munere suo ut Supremus Doctor Ecclesiam doceat. " Hanc distinctionem adhibui in libro " *Scopuli vitandi* " l. c.

3° Ratione *materiæ*, seu veritatis definitæ, duplex denuo accidit distinctio. Etenim aliquando veritates illæ sunt formaliter revelatæ et ideo immediate divinæ; aliquando implicite tantum. Hæc tamen distinctio minime officit quominus veritates utriusque seriei de fide catholica sint credendæ.

Nota. Differt proin fides *divina* a fide catholica.

Ad fidem divinam sufficit ut objectum sit *divinitus revelatum* et ut de hac revelatione certo nobis constet.

Ad fidem autem *catholicam*, ad quam scil. omnia Ecclesiæ membra obligantur, requiritur *præterea propositio Ecclesiæ*, quæ omnino est necessaria, ut *unitas* fidei in Ecclesia vigeat.

Ideo fides catholica *semper* est fides divina, quia Ecclesia nihil credendum proponere potest, nisi quod divinitus sit revelatum ; sed non omnis fides divina est catholica, si scilicet desit propositio Ecclesiæ (2).

C) De fide theologica speciatim sunt ea quæ in Scriptura aut Traditione contineri certo demonstrantur, seclusa tamen Ecclesiæ definitione. Ex hac regula remota fidei relative independenti credere tenetur ille, qui indubie novit hoc vel illud in revelatione contineri, non tamen sub pœna hæresis et excommunicationis coram Ecclesia, sed solum sub pœna infidelitatis coram Deo (3).

illud omne et solum sit de fide quod Ecclesia sub anathematis pœna credendum docet. " — Hujusmodi definitiones solemnes etiam solemniter proferuntur ob varias rationes : 1° ut hæreses vitandæ cognoscerentur et sciremus quasnam ob res quisque ab Ecclesia fuerit *explicite* rejectus ; — 2° ut *ipso facto* publice i. e. canonice, pro disciplina externa constaret et denuntiaretur quinam sint hæretici quos Ecclesia jam hic et nunc e sinu suo excludit quin requiratur ulterius examen ; — 3° ut pateat quomodo sensus dubius et ambiguus in aliquo capite sit explicandus. — Van Rooy, *Codex dogmaticus* — *Lacensis.*

2. Hürter, *Theol. Dogm.*, t. I, pag. 455 nota.

3. Schouppe, *de Reg. Fidei*, p. 207, introd. — Scheeben, I, p. 285, n. 414.

Hujusmodi veritates dicuntur quoque *de fide definibili*, earum contradictoriæ sunt *errores in fide* et peccatum infidelitatis inducunt.

II. Propinquitas Fidei. — Oritur ex connexione, propinquitate et, ut ita dicam, ex affinitate veritatis cum illa fide catholica quam quisque catholicus sartam tectamque servare tenetur.

Hujusmodi propositiones generatim *fidei proximæ* vocantur, vel etiam *ex fide credendæ*, *secundum fidem certæ*, i. e. quod fideles eas admittere debent ex vi et consequela necessaria ipsorum fidei catholicæ servandæ. Cum vero fides catholica respectu veritatis formaliter referatur aut ad *veritates revelatas* aut ad *ipsam declarationem infallibilem* Ecclesiæ, ideo veritates fidei proximæ ita subdividi possunt.

Secundum quod veritas connexionem habet ad dogma simpliciter dictum, speciatim vocatur veritas *ad fidem cath. pertinens.* Exemplum habes in opere nostro (p. 26) ubi dicitur : " Insuper ad *fidem catholicam pertinet* JUS IMMUNITATIS completæ et absolutæ Primatus ecclesiastici, qua nempe Papa ab omni jurisdictione sæculari sit exemptus. Imo, ut in sequentibus locus dicendi obtinet, sat nititur testimonio Dei, ut *fide divina sit credenda hæc veritas.* "

Quod si veritas potius relationem intimam habet ad infallibile magisterium Ecclesiæ, specialius dicetur *fide certa.* Hujusmodi exstant " illæ propositiones, quæ sive a synodo œcumenica, sive a Romano Pontifice declaratæ sunt ut veræ quidem, at non explicite ut fidei veritates sub anathematis pœna credendæ... quasque sine infidelitatis peccato negare nemo potest [1]. " Ita de pluribus documentis Pontificiis, de pluribus doctrinis allocutionum et Encyclicarum [2], quæ ut recte mihi animadvertere fecit vir egregius " sensu largo dici possent de fide catholica i. e. prout vocabulum tunc indicat veritatem universaliter admissam in prædicatione Doctorum in Ecclesia, ideoque spectantem doctrinam catholicam quin ideo dogmatice res definiretur. " Exemplum habes in opere quoad veritatem Principatus civilis, de quo in cap. III, pag. 62. Quæ veritas adeo fidei catholicæ proxima est ut fide certa dicatur. Qui eam negaret se exponeret certe ad negandam infallibilitatem Ecclesiæ connexam cum tot tantisque documentis Pontificiis quæ de hac re agunt et quorum plura infallibile magisterium olent.

---

1. Schouppe, *de Reg. Fidei*, p. 207, introd.
2. Scheeben, I, p. 283, n. 409.

III. Fides Ecclesiastica. Videtur esse in gradu aliquatenus inferiori; nam ut optime scribit Hürter, l. c. « Præter fidem *divinam* et *catholicam* loquuntur theologi etiam subinde de *fide ecclesiastica*, quæ innititur *infaillibili auctoritati Ecclesiæ*, ac pro objecto habet illa Ecclesiæ judicia, quæ versantur *non circa veritates revelatas*, sed circa ea quæ sunt *cum revelatione connexa*, ac propterea ecclesiastico magisterio obnoxia. Hæc fides dicitur *mediate* divina, quia illius assensus innititur *infaillibili* Ecclesiæ *auctoritati*, quam fide divina et *catholica* credimus." — Hujusmodi sunt *facta dogmatica*.

Quidam tamen theologi hanc terminologiam respuunt, et dicunt unum idemque esse *de fide Ecclesiastica* et *fidei proximum*.

Conclusio ergo compendiosa dictorum:

A) Primatus Romani Pontificis super universam Ecclesiam, (qui primatus fundamentum est immunitatis et Principatus civilis Papæ) est veritas de fide *divina*, *catholica*, *definita;* qui eam pertinaciter negaret, esset anathema, seu hæreticus. (Supra pag. 25.)

B) Jus Primatus Ecclesiæ ad immunitatem completam, veritas est credenda non fide humana, sed *divina; ad fidem pertinet*, atque de fide *definibili*, non adhuc definita. Qui illud jus immunitatis Papæ denegaret, non esset quidem hæreticus formalis; sed erraret in fide, peccatumque committeret contra fidem simpliciter divinam, *non* contra fidem *catholicam*, *definitam*. (Supra pag. 26.)

C) Necessitas dominii temporalis S. Sedis, in præsenti rerum ordine, veritas est credenda de *fide ecclesiastica*, cum revelatione connexa, utpote docta a Summis Pontificibus et universo Episcopatu catholico. — Qui hanc necessitatem negaret, non esset hæreticus, neque hæresim saperet, sed esset in fide temerarius, impius, malus Ecclesiæ filius, contradicens Matri suæ docenti; ejusque fides ipsa in infallibilitatem Ecclesiæ serius ociusve periculo exponeretur. (Supra pag. 62-63.)

Dantur et aliæ notæ theologicæ, prout ratio, prælucente fide, doctrinas suas eruit et profert; proindeque eas dicit simpliciter *certas*, — *communes*, i. e. quasi jure communi civitatis seu scholæ gaudentes, et minime singulares, — *probabiles* vel *probabiliores*.

Sed de hisce nihil dicendum restat in hac animadversione.

NOMENCLATURA AUCTORUM

QUI IN HOC LIBRO CITANTUR.

(Exceptis hagiographis Scripturæ sacræ.)

A

Alexander Papa VII, pag. 47.
S. Alphonsus de Liguorio, pag. II.
S. Ambrosius, 179, 180.
S. Anselmus, 19, 29.
Antonelli (cardin.), 166, 200, 220, 223.
S. Augustinus, 107, 398.
Avancini, 186, 275, 277, 293.

B

Bellarminus, 39, 79.
Benedictus XIV, 37, 114, 117.
Benoit, 112.
Bernardus (S.), 375, 377.
Berthe, C. SS. R., 168.
Bien public, Vide Verspeyen.
Bollandistæ, 110.
Bonifacius VIII, 29, 30.
B. O. S. (Salvatore Brandi ?), 145, 241, 246, 259, 327.
Bossuet, 56, 57, 321.
Breviarium Romanum, 94, 381, 398.
Buonaparte (Carolus), 364.

C

Cantu, 197, 325.
Chrysostomus (S. Joannes), 93, 388.
Clemens VIII, 47.
Clemens XII, 115.
Collectio Lacensis, 59, 93.
Constant, O. P., 174, 205, 207, 211, 212.
Corluy, S. J., 39.
Corriere di Napoli, 231.

D

Darras, 248, 291, 293.
De Angelis, 62, 63, 65, 69, 90, 255, 261, 273.
De Brabandere, 72.
Dechamps, C. SS. R. (cardin.), 113, 117, 125, 127, 337.
De la Vega de Armijo, 88, 168, 346, 354, 368, 371.
De l'Epinois, 270.
Del Vecchio, 83.
De Maistre, 86.
De Mévius, 165.
De Saint-Albin, 275.
De T'Serclaes, 105, 114, 134, 192, 220, 222, 236, 248, 266, 277, 286, 294, 327, 342, 346, 357, 392.
Douglas, C. SS. R., 88, 168, 237.

E

Eugenius IV, 263.
Eusebius, 160.

F

Fava, 114.
Ferraris, 90, 91.
Florentinum concilium, 25, 26.

G

Gazette de la Croix, 325.
Gazette d'Augsbourg, 201.
Gosselin, 74, 81.
Gregorius XVI, 107, 111, 120.
Gyr, 383, 387.

H

Haine, 16.
Haugwitz, 271.
Hergenrœther, 74, 76, 109, 174, 176, 196, 197.
Hurter, S. J., 56.

I

Imbart Latour, 332.
Ivo Carnutensis, 344.

J

Janssen (J.), 110.
J. D. F. Z. *Lettre de Léon XIII*, 146, 219, 220.
Joannes Diaconus, 208.
Jungmann, 58, 72, 80, 81.

K

Knoch, 210, 211.
Kraus, 118.
Kurth, 171, 172, 353.

L

Lacordaire, 357.
Laforêt, 77, 86, 274, 337.
Lehmkuhl, S. J., 347.
Lemire, 114.
Leo (Sanctus), 181.
Leo XII, 119.
Leo XIII : *Epist. ad dioeces. Perusiae*, 83.
1878. April. 21. Encycl. *Inscrutabili Dei*, 12, 53, 57, 391.
» Aug. 27. Ep. ad Cardin. Nina, 22, 53, 200.
» Dec. 28. Encycl. *Quod Apostolici muneris*, 19, 124, 138, 199, 217.
1879. Feb. 22. Alloc. ad Ephemeridum scriptores, 9, 53, 84, 181.
1880. Feb. 10. Encycl. *Arcanum*, 124.
1881. Martii 12. Encycl. *Militans*, 184, 185.
» Junii 20. Encycl. *Diuturnum*, 38, 124.
1882. Feb. 15. *Etsi nos*, 105, 220.
» April. 22. Epist. ad Episc. Siciliae, 88.
1883. Aug. 13. Ep. ad Cardin. de Luca, Pitra, Hergenrœther. *De studiis hist.*, 9, 362.
1884. Martii 24. Alloc. ad Cardin., 17, 54, 221.
» April. 20. Encycl. *Humanum genus*, 106, 142, 267, 269, 283, 360.
1885. Nov. 1. Encycl. *Immortale Dei*, 8, 345, 386.
» Nov. 19. Epist. ad D. Onclair, 106.
1887. Maii 23. Alloc. ad Card., 298.
» Junii 15. Epist. ad Card. Rampolla, 54, 66, 68, 86, 80, 91, 92, 183, 220, 248, 249, 263, 265, 283, 296, 207.
1888. Sept. 25. All. ad Italian., 96, 218.
» Oct. 24. All. ad Neapolin., 21.
1889. Martii 31. Epist. ad Episc. Brixiens., 102, 104, 218.
» April. 13. Ep. ad. Ducem Norfolciae, 194, 218.
» April. 20. Ep. ad Episc. Cremonens., 8, 56.
» Maii 24. Alloc. ad Card., 54, 170, 171, 390, 392.
» Junii 30. Alloc. ad Card., 54.
» Julii 8. Inst. S. C. Ep. et Reg., 104.
» Dec. 24. Alloc. ad Card., 54, 96.
» » 30. Alloc. ad Card., 6, 16, 55, 57, 392.
1890. Jan. 10. Encycl. *Sap. christianae*, pag. III.
» Oct. 15. Ep. ad Episc. Ital. III, 18, 55, 103, 140, 142, 169, 193, 297, 299, 301, 392.
1891. Martii 3. Ep. ad Episc. Austr., 55.
» Maii 15. Enc. *Rerum novarum*, 12, 124, 349.
» Junii 25. Ep. ad Episc. Lusitan., 55.
» Sept. 22. Encycl. *Octobri mensi*, 55, 376.
1894. Junii 22. Encycl. *Praeclara*, 136.
1895. Sept. 24. Ep. II ad card. Rampolla, 83, 96, 214, 233, 259, 273, 255.
Leroy-Beaulieu, pag. IV.
Liagre, 321.

M

Marc, C. SS. R., 25.
Mathieu (cardin.), 231.
Monniot, C. SS. R., 286, 352, 384, 394,
Montalembert, 328.

N

Natalis Alexander, O. P., 46.

O

Onclair, 136, 147, 266, 268, 304, 384.

P

Pallottini, 11, 82, 97, 145, 253, 254, 262, 263, 297, 322.
Palmieri, S. J., 25, 30, 43, 45, 61, 64, 68, 70, 71, 83, 256, 257.
Philips, 325.
Pius V (S.), 47.
Pius VII, 1808. Martii 16. Alloc. ad Card., 31, 33, 36, 47, 82, 177, 219, 296.
1808. Julii 11. Alloc. ad Card, 32, 37, 70, 89, 118.
Pius VIII, 120.
Pius IX. 1846. Nov. 6. Encycl. *Qui plurib.*, 92, 121.
1849. April. 20. Alloc. *Quibus quantisque*, 50, 121, 152, 155, 198, 204, 257.
» Dec. 8. Encycl. *Nostis et nobiscum*, 121, 139, 173, 181, 195, 364.
1850. Maii 20. Alloc. *Si semper*, 50.
1851. Sept. 5. Alloc. *Quibus luctuos.*, 205.
1854. Dec. 9. Alloc. *Singulari*, 121.
1855. Jan. 22. Alloc. *Probe memineritis*, 205.
1859. Junii 18. Encycl., 49.
» » 20. Alloc., 49, 193.
1860. Martii 26. Encycl. *Cum catholica Ecclesia*, 17, 42, 45, 49, 50, 157, 177, 178.
» Sept. 28. Alloc. *Novos*, 13, 50, 161, 174, 177, 187, 206.
1860. Nov. 1. Alloc., 58.
» Dec. 27. Alloc., 302.
1861. Martii 18. Alloc. *Jamdudum*, 50, 104, 153.
1862. Junii 9. Alloc. *Maximo quidem*, 49, 50.
1863. Aug. 10. Alloc. *Quanto conficiamur*, 121.
1864. Dec. 8. *Syllabus*, 50, 61, 121.
1870. Julii 9. Alloc., 31.
» Sept. 20. Litt. ad corp. diplom., 51.
» Sept. 29. Litt. ad Cardin., 51.
» Oct. 20. Litt. apost., 51.
» Nov. 1. Encycl. *Respicientes*, 51, 159, 163, 164, 167, 183, 218.
» Nov. 29. Litt., 26, 51.
1871. Maii 15. Encycl. *Ubi nos*, 29, 52, 224, 225, 227, 375, 377.
» Junii 30. Ep. ad Card. Vic., 103, 273.
1872. Junii 16. Ep. ad Cardin. Antonelli, 192.
» Dec. 23. Alloc. 105, 345.
1873. Nov. 21. Encycl. *Etsi multa*, 102, 103, 122, 123, 182, 389.
Portalié, S. J., 362, 363.
Précis historiques, 341.
Prélot, S. J., p. IV, 145, 170, 180, 185, 190, 192, 222, 224, 228, 230, 276, 327, 340, 342, 346, 352, 355, 358, 359, 366.

R

Revue maçonnique, 290.
Rosen, 268.
Rostworowski, 232, 326, 330.

S

Saintrain, C. SS. R. 161.
Sallustius, 292.
Sarda y Salvani, 106.
Signoriello, 290, 303.
Suarez, 26, 27, 28.
Sylvain, 151, 341.

T

Tannoja, C. SS. R., p. II.
Thiers, 162.
Thomassinus, 35.
Tolchetto, 231.
Tridentinum concilium, 27, 45, 90, 133.

V

Vagner, 187.
Van de Putte, 14.
Van Duerm, S. J., 145, 147, 149, 153, 155, 159, 184, 185, 202, 203, 250, 335, 336.
Vaticanum concilium, 13, 15, 25.
Vaughan (cardin.), 105, 190, 194, 233, 241, 267, 279, 338, 346, 358, 367, 371.
Vennekens, 183, 329, 339.
Verspeyen, 232, 233, 336, 353.

INDEX ALPHABETICUS RERUM.

Aistulphus, Ecclesiæ et Romæ hostis, 78, vincitur a Pipino, 79.
Albani (cardin.), minister Gregorii XVI, pacem et ordinem restituit in Statibus Pontificalibus, 151.
Alphonsus de Liguori (S.). Sensus ejus propheticus de nefasto influxu sociali Massonum, II.
Arbiter Universi sit Papa; ideo sit Rex; et arbitratu ejus cessare poterit præsens pax armata, tam ruinosa, 305, 308.
Arnoldus Briscensis Papæ feudalia denegat, 45. — Damnatio ejus et mors, 46. — Avenionis mansio RR. Pontificum erat quasi captivitas Babylonica, 34, 46. — Valdeque nociva, 328.

Bartolucci, deputatus, merito leges Cautionum *(guarentigie)* vocat " ironiam ", 249.
Belgicus clerus speciatim, juxta votum Leonis XIII, optime pernoscat naturam sectæ Massonicæ, 106.
Belgio honori esset adunare congressum qui causam reintegrationis Dominii temporalis S. Sedis solveret, 370.
Belgium, propter neutralitatem suam, optima sedes esset hujusmodi congressus, 368.
Bellarmini justa interpretatio textus " Reges gentium dominantur eorum, " sæpe contra Principatum temporalem S. Sedis allegati, 39.
Benedicti XIV sollicitudo erga pauperes adducitur ceu exemplar paternæ gubernandi rationis RR. Pontificum, 37. *Nota.*
Bernetti (card.), ministri Leonis XII, conatus contra Massones, 147.
Bismarck fassus est instaurationem Dominii temporalis S. Sedis, minime obesse unitati regni Italiæ, 278. — Sapienter Papam elegit in arbitrum, 307.
Bossuetii doctrina de Primatu, 56.
Bruno (Giordani). Monumentum huic apostatæ erigitur a Massonibus in signum excidii Ecclesiæ, 169.
Bulla *In Cœna Domini* excommunicat invasores Urbis, 46.
Buonaparte I (Cf. " Napoleo ").
» Carolus, princeps de Canino, factiosus contra Pium IX, 153.
» Carolus, de stirpe Luciani B. fatetur plenam libertatem S. Sedis necessariam esse familiæ humanæ, 364, *nota.*
Buonaparte Ludovicus, seu Napoleo III carbonarius, 149. — Pharisaïca ejus epistola ad Papam, 149, *nota.* — Auxilium offert Pio IX, sed in quem finem? 154. — Hæsitat, 155. — Victor in Magenta et Solferino, unitatem regni Italiæ præparat, et propriam suam catastrophen in Sedan, 157, 164. — Crudeliter ei applicatur principium *non-interventus*, cujus erat promotor, 165.

Cardinales. Liber omnino sit Papa in delectu eorum, 45.
Carmen Leonis XIII, 329.
Carolus-Albertus, Sardiniæ rex, pater Victoris-Emm. franco-murator erat, 153; — victus Novaræ, exul moritur in Lusitania, 156.

Carolus Magnus præclara gessit pro Dominio temporali S. Sedis, 81.
Causa Papæ, causa est Principum, 331.— Causa nostra, 337.— Causa internationalis, 338.
Cautionum leges (*Guarentigie*) ab Italia inventæ, ut Pontifici essent pro Dominio temporali, nullam habent soliditatem, 222.— Nullam dant securitatem, 223.— Absurdæ sunt verumque ludibrium, 224, 226. — Meritoque vocantur ab ipso deputato Bartolucci " ironiam ", 249.
Cavaignac auxilium vult conferre Pio IX, 154.
Cavour conspiratorum contra S. Sedem dux, 156, 157.
Clerum volunt corrumpere Judaïco-Massones, 147.
Codex pœnalis Zanardelli crimen est juridicum, 193; directe jura cleri offendens, 222.
Communismus. (Vide " Massones " et " Socialismus ").
Concilia damnaverunt destructores Dominii temporalis S. Sedis, 45.
Conditio opificum quomodo curanda sit practice ostenderet Papa in suis statibus, si esset rex, 311, 348.
Congressus fiant quamplurimi in revendicationem jurium summi Pontificis, 364, 366, 367, 369.
Congressus Tremoniensis 1896, exemplar revendicationum catholicorum, 401.
Congressus Viennensis 1815, quamvis aliis de causis convocatus, providentialiter Pium VII in ditionem suam restituit, 371.
Congressus convocetur qui, ceu tribunal, judicet agendi rationem Italiæ erga Vicarium Christi regem, 371.
Constantiense Concilium errorem damnavit Wikleffii relate ad Dominium temporale, 46.
Constantinus Imperator quare Romam reliquerit? 231.
Cooperemur Deo in acceleranda instauratione regalis potestatis Vicarii Christi et restitutione ordinis socialis perturbati, 354, 379.
Corluy, S. J., optime interpretatur verba : " Regnum meum non est de hoc mundo ", sæpissime contra potestatem regalem Papæ objecta, 39.

Dictator potest oriri qui nationes submittat regno justitiæ et Papam regem constituat, 352.
Dominium temporale (Vide " Principatus ").
Donationes Pepini et Caroli M., 69, 81.— Anteriores, 72, 75.— Posteriores, 82.— Comitissæ Matildæ, 82.

Ecclesia sola potest socialismum vincere, 18. — Formam societatis perfectæ, vi divinæ suæ institutionis obtinuit, 42. — Indiget Primatu et potestate civili, non quidem *ut sit* simpliciter, sed ut *bene* sit, 42. — Jamdudum antequam suum haberet civilem Principatum, bona possidebat temporalia, 180.
Episcopi orbis catholici docent necessarium esse Romano Pontifici Dominium suum temporale, præsentibus in circumstantiis, 49.
Europa per spoliationem S. Sedis præcipitatur in ruinam, 173.
Excommunicatio lata in reos spoliationis S. Sedis, 177.

Fidei varii gradus relate ad Romani Pontificis Primatum, immunitatem ac Dominium temporale. Animadversio, 402 et seqq.

Fœderatio Statuum Italiæ potest fieri, destructo pseudo-regno actuali, quæ Papam regem constituat, 356.
Francisci I Imperatoris Austriæ, Zelus contra Massones, 147, 150.
Fransoni, archiep. Taurinensis, in carcerem detruditur a gubernio Massonico Sardiniæ, 156.
Fraticelli, præcursores Massonum et Socialistarum, 109.

Gaetano franco-murator, secretarius, proditor Principis de Metternich, 147.
Garibaldi jam ab anno 1848 primarias partes tenuit inter siccarios.
Gregorius Magnus (S.) de facto princeps Urbis, 76.
Gregorius XVI famosum recusat *memorandum* diplomaticum, 151.
Guarentigie (Vide " Cautionum lege ").
Guizot, quamvis hæreticus, agnoscit unionem duarum potestatum in Romano Pontifice fuisse fontem salubris earum distinctionis in ceteris principibus, 251.

Herulorum gens destruit Imperium occidentale, 73.
Historia testatur Principatum civilem a Pontificibus acceptum potius fecisse quam quæsitum, 72. — Eumque hactenus unicum fuisse medium ad tuendam eorum libertatem providentialiter concessum, 250.
Humanum genus. Constitutio quæ hisce verbis incipit, erit *Mane, Thecel, Phares* sectæ Massonicæ, 106. — Elucidatur, 106 et seqq.
Hussitæ præcursores fuerunt Massonum ac Socialistarum, 110.

Immunitas Papæ ab omni jurisdictione sæculari, essentialis est Primatui; competit ei de jure divino naturali, 26. — Jus ad immunitatem non pendet a voluntate ipsius R. Pontificis, 28. — Nec a potestate civili originem duxit, 28. — Jus immunitatis necessarium est et essentiale Primatui, non adventitium neque accidentale, 30. — Ejus exercitium requirit exemptionem a quacumque laïca jurisdictione, 41. — Jus immunitatis personalis veritas est revelata et fide divina credenda, 59. — Explicatur hæc locutio " fide divina ", 402 et sqq. — Dogma quoque est jus ad media necessaria ut R. Pontifex plena sua libertate uti possit, 59, 60.
Injuria impune illata in Christi Vicarium, tacente gubernio Italico, 183.
Internationalis est causa Pontificis Ecclesiæ universalis, 337, 346.
Italia magis quam aliæ nationes bellum experitur Massonicum, 140. — Belli hujus indicantur phases, 140 et sqq. — In ruinam ruit per spoliationem S. Sedis, 228, 232. — Propter injustam occupationem Urbis divisa est in se et debilitata, 291, 294.

Julianus apostata, 108.
Juventus imbuatur veris principiis relate ad necessitatem et instaurationem Dominii temporalis S. Sedis, 360
Justitia Dei vindicis in usurpatores Urbis, 340.

Kalnocky, cancellarius Austriæ, necessitatem independentiæ Pontificis proclamat, 278.
Kossuth, conspiratorum Hungariæ dux, Augustæ Taurinorum excipitur, 156.

Lamoricière heroice succumbit, 158.— Ejus verba, 161, *nota.*
Lemmi, Massonum dux, blasphemat in Vaticanum, 285, 316.

Leo Magnus (S.), bis Urbem servat, 76.

Leo XIII. Ejus doctrina de necessitate Dominii temporalis, 53, 56.

Libertas a Christo data Ecclesiæ, 29, 30.

Longobardi Italiam occupant, 73.

Ludovicus Philippus I, Aurelianensis, rex Gallorum, franco-murator et Voltarii discipulus, 149.

Massones, non veri Itali, Romam occupaverunt, 102.— In qua occupatione pro scopo habuerunt, nequaquam unitatem vel libertatem Italiæ, sed eversionem Ecclesiæ, 103, 105, 112, 142.— Hypocrite exaltant suum amorem erga humanitatem, 103. — Nostris diebus cœperunt aperte fateri se velle summum Pontificatum destruere, 105.— Eorum secta a Gregorio XVI vocatur " sentina omnium sordium ", 107, 111, et a Leone XIII "centrum omnium societatum clandestinarum " 125. — Fabulosa est eorum, qua corpus morale, antiquitas, 112. — Ortus eorum anno 1717 in Anglia, 113. — Cœremoniæ eorum sunt tragico-comicæ, 113. — Permagna est eorum diffusio et firma constitutio, 114. — Damnantur a Clemente XII, 115 ; — a Benedicto XIV, 117 ; — a Pio VII, 118; — a Leone XII, 119; — a Pio VIII, 120; — a Gregorio XVI, 120;— a Pio IX, 121;— a Leone XIII, cap.VI.— Quæ condemnationes percellunt etiam Massones Americæ, uti declaravit Pius IX, 121. — Secreti eorum fœdus indicium est inhonestatis, 117, 126, 127. — Jusjurandum eorum est illicitum 118. — Adversatur legibus quoque civilibus, 118. — Sicarios adhibent 119. — Perpetuo moliuntur seditiones, 119.— Inter Massones adscriptus fuit Leopoldus I Belgarum rex, 123. — Dominantur per audaciam et dolos, 123. — Disputatur utrum hæc secta sit aggregatio quædam tantum, an potius corpus unum, compactum, sub capite unico, 125, 126. — Dantur Massones ignari finis sectæ, attamen non sunt sine culpa, 128. — Massones naturalismum colunt, 128. — Satagunt A) principia christiana a republica removere; B) Ecclesiæ efficaciam imminuere; C) S. Sedem destruere, 130. — Ideo incipiunt ab eversione Principatu ejus temporalis, 130. — Pantheistæ sunt, 131. — Institutionem puerorum volunt atheam, 132, 135, — etiam puellarum, 139. — Vitam quærunt mollem, 133. — Matrimonium civile tantum 133, — ac divortium, 134. — Contendunt fontem omnium jurium esse in multitudine, 135. — Sectæ Massonicæ definitio, 136. — Non est aliena a communismo et socialismo, 138-140. — Ordines religiosos amandari cupiunt, 139. — Massonica secta unicum est obstaculum restaurationi Dominii S. Sedis et ordinis socialis, 266. — Nihil humanitus ab ea sperandum, 288.

Matilda, comitissa, cunctas suas possessiones pro salute animæ suæ ac parentum dat S. Petro, 82.

Mazzini condit secundam rempublicam Romanam, 155.

Memorandum Massonicum a diplomatia Gregorio XVI in Urbe oblatum et a Pontifice prorsus rejectum, 151.

Metternich (Princeps de) ordinem tuetur, 146. — Sectam Massonicam ope congressuum vult annihilare, 147, 148, 150.

Modus vivendi impossibilis est inter Vaticanum et Quirinale, 264.

Naboth spoliatur vinea sua sicut Papa Dominio suo; imminet spoliatoribus vindicta summi Judicis, 179.

Napoleo I Urbem occupat, protestante Pio VII, 47; — Stulte se jactat successorem B. Caroli Magni, 81.
Napoleo III (vide " Buonaparte Ludovicus ").
Nationalitatis falsum principium, 175; — Refutatur, 210 et seqq.
Naturalismum colunt Massones, 128.
Neutralisatio optanda pro Statibus Ecclesiæ, 358.
Nè elettori, nè eletti! — S. Pœnitentiaria, jubente Pio IX, declaravit non expedire Italis ut operam dent electionibus politicis; S. Officium, 30 Junii 1886, declaravit illud *non expedit*, prohibitionem importare : et Leo XIII, 14 Maii 1895, iterum declaravit : " Quanto concursus ad electiones municipales laude dignus est, tanto ad politicas eumdem abhorrendum esse, utpote qui ob causas supremi ordinis omnino non expedit. " — Quædam causæ indicantur, 234.
Nicolaus III, motivum assignat secessus Constantini Magni ab Urbe, 46.
Notæ theologicæ, fidei et certitudinis, 402 et seqq.

Objectiones ex indole ætatis nostræ, contra Dom. temp. S. Sedis desumptæ, refelluntur, 255. — Item objectiones ordinis superioris, 257.
Obstacula repressioni socialismi, quamdiu perdurat injusta occupatio Urbis, 21.
Occupatio sacrilega Dominii S. Sedis causa est præcipua exaggeratarum expensarum Regni Italici, 246, — et impossibilem reddit reconciliationem Papæ cum isto regno, 247.
Oratio fiat sine intermissione ab Ecclesia pro Pontifice captivo, 374, 377.
Ostrogothi destruunt imperium occidentale, 73.
Otto Imperator declarat se " divina ordinante Providentia " Urbem cum ducatu et suburbibus relinquere summo Pontifici, 253.

Papa unus est, 8, 31. — Non habet similem sibi, 13. — Principatum suum temporalem vindicat non dominandi cupiditate, sed ex motivis superioribus, 13, 57, 84, 86. — Quid est Papa, ostenditur forma prædicandi Ecclesiæ infallibilis, 16. — Quanta ejus potestas, 30. — In re politica internationali semper erit neuter, 31-33. — Nequit fœdere perpetuo cum aliqua natione ligari, 33.— Nec alicujus nationis diu esse hospes, 34. — Neque Romæ admittere formam gubernii repræsentativam, 36. — Paterna ejus gubernandi ratio, 36, 37. — Non repugnat ut idem homo sit Pontifex simul et rex temporalis, 38, 40, — Papalis dignitatis majestas, 15. — Romani Pontifices credendi sunt in causa sua, 56. — Laboraverunt ut Imperatoris Byzantini auctoritas in Italia permaneret, 77. — Papa nunc magis est in potestate Massonum quam in sua, 171, 218. — Nequit munus suum spirituale libere exercere quin sit rex, 217. — Centrum est totius societatis, 313. — Positus est in ruinam ve in resurrectionem multorum, 315. — Solus judex est quoad extensionem Dominii territorialis sibi necessarii, 356. — Plus quam 22 Papæ exules fuerunt, 327. — Parricidio non absimilis est iniqua usurpatio status Ecclesiæ, 181.
Petrus (S.) promissiones ut fundamentum esset Ecclesiæ, fratres apostolos confirmaret, et pastor esset ovium unicus accepit. Discrimen inter jurisdictionem Petri et jurisdictionem apostolorum, 14.
Pimodan occisus a complice Massonum, 159.

Pius VII contra Napoleonem I impavide tuetur Principatum civilem S. Sedis, 47.

Pius IX necessitatem docet hujus principatus 48-52. — Ejus exilium, 154, 155.

Pipinus rex, 78-80.

Prædicare oportet populo necessitatem instaurationis regni temporalis Papæ ut quæstio socialis solvatur, 361.

Præscriptio dari nequit contra jus providentiale Papæ in Statum suum temporalem, 247.

Primatus Petri et successorum ejus in Sede Romana fundamentum est immunitatis omnimodæ ac consequenter independentiæ perfectæ, seu regalis conditionis eorum, 18. — Primatus est institutio divina, 25.

Principatus temporalis S. Sedis necessarius est saluti totius humanæ societatis, 12. — Hanc necessitatem probant vel magna incommoda quæ destructionem ejus sunt subsecuta, 66. — Ratio ejus fundamentalis est Primatus Summi Pontificis, 11. — Civilis ille Principatus characterem induit spiritualem, 17.— Plus cœteris ab inferno et Massonibus impetitur, 17. — Absolute necessarius est propter liberum exercitium immunitatis Papæ, quæ est de jure divino, 41. — Non quidem ut Ecclesia simpliciter sit, sed ut bene sit, 255. — Hucusque hæc necessitas non est de fide dogmatica, seu definita, 62, 402 et seqq. — Sed est veritas omnino tenenda propter auctoritatem Ecclesiæ ; nec ipsi sine peccato contradicitur, 62, 402 et seqq. — Antiquissima sunt ejus initia, 69, 72. — Legitima ejus acquisitio, 70, 82, 83. — Potius acceptus fuit quam quæsitus, 71, 81, 82. — Sanctus est, 85. — Sæpissime oppugnatur, 144, 145. — Per 150 saltem vices eversus et iterum instauratus, 327. — Innumeris modis potest iterum ab omnipotenti Providentia restitui, 351.

Principes a Deo exempla sumant, 38.

Providentia cur non ab initio dederit Ecclesiæ status civiles, 63, 64. — Dedit autem eos tempore opportuno, 82, 83, 251.

Quæstio Romana ab alto est tractanda, 7. — Universalis est, 13.

Quæstio socialis non erit soluta antequam restituatur Ecclesiæ Dominium temporale suum, 13.

Radetzky ordinem reddit Italiæ, 151.

Reintegratio Principatus civilis Papæ erit instauratio juris internationalis, orbi universo perutilis, 301, 305.

Roma non est sui ipsius, sed ad Orbem pertinet catholicum, 11. — Romæ, non alibi, sit Papa Rex, 17. — Roma divinitus fuit prædestinata ut Urbs caput fieret christianismi, 91. — Beneficia quæ accepit a summis Pontificibus, 91. — Eam odio prosequuntur Massones, 96.— Sit nobis quasi mons Sion, 97.— *Roma capitale*, *Roma fatale*, 230. — *Intangibilis* est Roma Papalis, minime vero Roma domus Sabaudiæ, 288, 326. — Felix esset sub Papa, 295-300.

Rossi, minister Pii IX, a Massonibus occiditur, 153.

Scholæ historiæ tres dantur, 317. — Una tantum veritate gaudet, 319.

Scripta opponantur scriptis pro defensione jurium Vicarii Christi, 372.

Socialismus proles sectæ Massonicæ, 137-139. — Ei favet usurpatio Romæ, 197, propter odium in religionem, 199, — odium in proprietatem, 201, — odium in

auctoritatem, 209. — A sola Ecclesia vinci potest, 18-21. — Tria obstant repressioni ejus, 21.
Societas civilis si vult salvari, redeat oportet ad pedes Vicarii Christi, 214. — Restitutio Dominii S. Ecclesiæ est conditio *sine qua non* pro salute societatis, 216.
Status actualis S. Sedis est prorsus intolerabilis, 217.
Syllabi propositio LXXV, 61 ; LXXVI, 62.

Taurinorum civitas, refugium Massonum, 156.
Thiers egregie vindicat Dominium S. Sedis, 162.
Transteverini Carbonarios vincunt, 149.
Tremoniensis congressus, 364, 365, 401.
Tridentinus congressus anti-Massonicus, 362.

Usurpatio statuum S. Ecclesiæ est sacrilegium, 176. — Inducens excommunicationem in gubernatores Italiæ, 117. — Internationalis injustitia, 179. — Ingratitudo, parricidio non absimilis, 181. — Impudentia et hypocrisis, 183. — Fons injuriarum totam civilem societatem labefactantium, 187.— Latrocinium nocivum Italiæ, 188, — et omnibus catholicis nationibus, 189, — injuriosum ordinibus religiosis, 191, — sacris quoque Congregationibus ac piis operibus, 191, — socialismo favens, 196 et seqq.

Vaticanum concilium, arca salutis, non potest continuare vim suam salvificam, nisi Papa sit iterum rex Romæ, 308. — Ex eo jam propior est societati salus, 393.
Venta Carbonica seu Massonica, 147.
Veritates sunt ab Ecclesia assertæ : compatibilitas gubernii civilis cum potestate spirituali.— Convenientia Dominii temporalis S. Sedis. — Ejusdem necessitas attentis præsentibus circumstantiis. — Temerarius et impius esset qui illud negaret, 63.
Victoris-Emmanuelis impudentia et hypocrisis, 161. — Partes agit Iscariotæ, 166.

Wikleffii hæreses relate ad Dominium temporale Ecclesiæ damnatur, 46.

Zanardelli codex pœnalis directe offendit jura cleri et indirecte jura S. Sedis, 222.

FINIS HUJUS INDICIS RERUM.

INDEX CAPITUM.

Dedicatio 1
Commendatio S. P. N. Alphonsi.. 2
Sensus propheticus S. Alphonsi de nefasto influxu sociali sectæ Massonicæ... 2
Procemium 3
Schema tractandorum 5

CAPUT I. — Summarium totius quæstionis Romanæ, quæ maximi est momenti, atque ab alto tractanda 7

1. Ab alto incipiendum. — 2. Et nequaquam ac si ageretur de sublato Principatu civili alicujus Episcopi medii ævi, vel familiæ regnantis aut de mutatione formæ gubernii. — 3. De regno Christi, seu Ecclesia, agitur. — 4. Imo de re *nostra*, de Roma, quæ ad Orbem catholicum spectat, et de bono publico totius societatis. — 5. Radix seu ratio hujus Principatus civilis est singularis Primatus S. Petri. — 6. Differentiæ inter jurisdictionem B. Petri et ceterorum Apostolorum. — 7. Papa est successor S. Petri in eodem Primatu. — 8. Est ergo Pater regum, Rector Orbis, Vicarius Christi. — 9. Quapropter civilis ejus potestas habet causam sibi intrinsecam et unice propriam : dignitatem et libertatem Primatus.—10. Et ideo, quamvis sit temporalis, rationem tamen induit spiritualem. — 11. Necessaria est præsertim sæculo nostro socialismi. — 12. Donec misera S. Sedis conditio manebit, tria erunt quæ impedient universalem et completum Ecclesiæ de socialismo triumphum.

PARS PRIMA.

De principiis concurrentibus ad S. Sedis civilem Principatum.

CAPUT II. — Potestas civilis, regalis, absoluta, competit Christi Vicario, jure divino, saltem naturali, propter Primatum ejus atque immunitatem 25

1. Jure divino, saltem naturali, gaudet Romanus Pontifex immunitate personali plenissima. — 2. Hoc JUS immunitatis, divinum cum sit, non pendet ab ulla voluntate humana, ne quidem vel ipsius Pontificis ; sed tantum EXERCITIUM ejus. — 3. Nec a civili potestate originem duxit, nec ab ea potest aboleri unquam. — 4. Necessarium et essentiale est Primatui. — 5. Non opprimit, sed adjuvat. — 6. Papa singularis est Princeps, unicus et in genere suo, et in sua agendi ratione. — 7. In re politica internationali, semper sit neuter. — 8. Nequidem fœdere, saltem perpetuo, potest cum aliqua natione speciali ligari. — 9. Nec alicujus nationis diu esse hospes. — 10. De mansione Pontificum Avenione. — 11. Romæ non habeat gubernii formam repræsentativam, seu cœtus legiferos, sed rex sit absolutus. — 12. Paterna erit semper ejus gubernandi ratio quamvis autocrata. — 13. Non pugnat cum verbo Dei ut idem homo sit Princeps ecclesiasticus et politicus simul.

CAPUT III. — Necessarius est Principatus civilis propter liberum exercitium Immunitatis S. Sedis, præ primis in præsenti rerum statu, — et hæc est veritas adeo fidei catholicæ proxima, ut fide certa dicatur. 41

1. Exercitium Primatus requirit et exercitium immunitatis omnimode perfectum, i. e. exemptum a quacumque laica jurisdictione. — 2. Quod Ecclesia declaravit indirecte per concilia quæ damnaverunt eos qui volebant temporale S. Sedis Dominium destruere. — 3. Declaravit directe per Pontifices suos, præsertim per Pium VII. — 4. Pium IX. — 5. Et Leonem XIII. — 6. Fides adhibenda est dictis Paparum in hac causa sua. — 7. Eorum testimonium confirmatur ab Episcopis. — 8. Veritas revelata habetur, tum jus immunitatis Papæ, tum jus ad media ejus usui necessaria. Quid de præsenti necessitate temporalis Dominii? — 9. Sunt veritates credendæ fide infallibili, innixa auctoritati Ecclesiæ : compatibilitas civilis Principatus cum Primatu spirituali ; — convenientia illius — et necessitas in præsenti rerum ordine. — 10. Inaniter objicitur status Ecclesiæ per octo priora sæcula. — 11. Necessitas Dominii temporalis confirmatur ex incommodis quæ oriuntur ex ejus spoliatione. — 12. Confirmatur et per historiam.

CAPUT IV. — Justissima est possessio Principatus civilis S. Sedis cum sit singulari consilio Divinæ Providentiæ referenda 69

1. Antiquissima sunt ejus initia. — 2. Legitima est ejus acquisitio et possessio ratione habita tum admirabilis dispositionis Providentiæ, tum legum humanarum. — 3. Historia ostenditur hunc Principatum *acceptum* potius fuisse quam quæsitum. — 4. Ejus constitutio finalis. — 5. Quid hac in re egit B. Carolus Magnus. — 6. Donationes subsequentes. — 7. Conclusio : non datur Principatus civilis ullus adeo legitimus, possessio ulla adeo justa.

CAPUT V. — Sacer fit exinde Principatus civilis S. Ecclesiæ. Sacratissima est quoque Roma papalis 85

1. Sacra hæc possessio quia nunc necessarie unita auctoritati sacræ summi Pontificis. — 2. Sacra in origine sua, quæ constat ex donationibus. — 3. Sacra propter beneficia societati civili præstita. — 4. Sacra propter duodecim sæculorum præscriptionem. — 5. Hinc magni semper exstitit Pontificibus et Conciliis hæc possessio. — 6. Hæc omnia speciatim et potiori jure de Urbe æterna Roma valent, quæ imperio Universali divinitus fuit prædestinata. — 7. Cujus sortes semper cum sortibus Vicarii Christi sunt ligatæ. — 8. A quo semper et maxima accepit beneficia. — 9. Sacratissima est Roma ut caput Orbis catholici, ut centrum spiritualis societatis Ecclesiæ. — 10. Sacratissima propter sepulchra Apostolorum Petri et Pauli. — 11. Et aliorum millium sanctorum. — 12. Propter splendorem cultus. — 13. Propter innumerabilia alia capita. — 14. Demum sanctitas Romæ patet vel ex odio inimicorum Dei in eam. — 15. Sit Vaticanus nobis instar montis Sion.

PARS SECUNDA.

De principiis deorganisationis socialis, quæ in eversionem Dominii temporalis S. Sedis conspiraverunt.

CAPUT VI. — Quinam sunt Massones isti, qui in exitium Dominii temporalis conspiraverunt? — Secta eorum, gravida omni errore ac civili seditione, nonobstantibus Pontificum monitis societatem late pervadens, eam Ecclesiamque evertere, atque horrendum paganismum reducere conatur 101

1. Massones, minime genuini Itali sunt, qui Romam occupaverunt et quidem eum in finem ut Ecclesiam evertant. — 2. Clerus Belgicus naturam sectæ Massonicæ optime pernoscat, oportet. — 3. Exordium Encyclicæ *Humanum genus*: de duabus civitatibus, secundum Augustinum. — 4. Brevis conspectus dimicationis a tempore Christi cum Massonum præcursoribus. — 5. Nostro tempore conspirationis dux est Massonica secta longe lateque diffusa et firmiter constituta. — 6. Fabula est hujus sectæ antiquitas, cum orta sit 1717; tragico-comicæ sunt ejus ceremoniæ. — 7. Magis autem seria ejus diffusio ac vis. — 8. Consilia sua jam non dissimulat. — 9. Damnatur secta a Clemente XII, 1738, et a Benedicto XIV, 1751. — 10. A Pio VII, 1821, et Leone XII, 1825. — 11. A Pio VIII, 1829, a Gregorio XVI, 1832, et persæpe a Pio IX. — 12. Quorum prudentiam eventus probavit. — 13. Sectam sæpe aggressus est Leo XIII, jam ab initio Pontificatus sui; heic autem *ex professo*. — 14. Centrum omnium clandestinarum societatum est Massonica. — 15. Aliquatenus excusantur quidam sectatores singuli. — 16. De NATURALISMO Sectæ disserit Leo XIII, et ostendit quod *A)* QUOAD RELIGIONEM, sicut Naturalismus omnem rejicit revelationem ac doctrinalem auctoritatem, ita Massones satagunt 1°) a gubernio removere principia christiana; 2°) Ecclesiæ efficaciam diminuere; 3°) S. Sedem destruere. — 17. *B)* QUOAD MORES errant in doctrina etiam naturali 1°) de Deo, de Providentia, de immortalitate animarum; 2°) et consequenter in re morum; 3°) Educationem volunt civicam, solutam, liberam; 4°) Hujus fructus. — 18. *C)* QUOAD FAMILIAM: 1°) Matrimonium volunt civile et dissolubile; 2°) educationem atheam. — 19. *D)* QUOAD GUBERNATIONEM REIPUBLICÆ: 1°) homines esse pares; 2°) omnia in populo esse; 3°) fontem jurium officiorumque esse in multitudine; 4°) atheam esse rempublicam oportere. — 20. Compendium dictorum. — 21. Pessimi fructus ex his erroribus secuti, nominatim *communismus* et *socialismus*. — 22. Quædam de indole hujus Massonum sobolis. — 23. Summa sententiarum capita cum Massonibus habet communia. — 24. Ut eventus probat, præsertim in Italia. — 25. Sectæ agendi ratio relate ad principes. — 26. Conclusio.

CAPUT VII. — Secta malefica Massonum mediis omnigenis aggreditur arcem tutissimam ordinis christiani et socialis et de ea triumphum agit, Dominium S. Sedis Romamque occupando 144

1. Temporale hoc Dominium sæpissime oppugnatum. — 2. Hoc sæculo molimina Massonum per tres phases procedunt quarum prima est *violenta aggressio*. — 3. Leo XII in eos sævit. — 4. Eorum audacia sub Pio VIII. — 5. Et sub Gregorio XVI. — 6. Secundam viam ineunt, nempe *diplomaticam*. — 7. Concessiones Pii IX. — 8. Qui coactus est Cajetam petere. — 9. Quatuor catholicarum implorat opem nationum. — 10. Quæ suis copiis Dominium S. Sedis liberant. — 11. Accendit furorem Massonum Concordatus 1855 cum Austria initus. — 12. Regnum Subalpinum castellum fit conjuratorum Massonum. — 13. Durante bello 1859 cum Austria, Pontificiam ditionem perturbant Massones. — 14. Tertia phasis: *nationalitatis Italianæ*. — 15. Perfidum latrocinium Massonum apud Castelfidardo. — 16. Proclamatio "Syllabi," 1864, magis Massones accendit. — 17. Victoria militum Pontificalium apud Nomentanum. — 18. Conatus Massonum ad debilitandum nationes protectrices S. Sedis. — 19. Ordo chronologicus ultimorum eventuum. — 20. Invasio Urbis 20a die Septembris 1870. — 21. Comœdia Plebisciti. — Justitia hominis et justitia Dei. Napoleo, Victor-Emmanuel ac Pius IX. — 22. Electio Leonis XIII, qui rejicit a Massonibus speratum *modum vivendi*. — 23. Glorificatio Satanæ in Urbe, occasione signi apostatæ Bruno, a Massonibus erecti, deinde Apotheoseos jubilæi 25 annorum ab Urbe capta 20 Septembris 1896. — 24. Conclusio: Instabilitas regni Massonici in Europa.

CAPUT VIII. — Quantopere sacrilega spoliatio S. Sedis, per fere integrum sæculum protracta, in manu sectæ Massonicæ inserviit ad errores, crimina et injurias omnigena publice spargenda in " subversionem totius ordinis civilium societatum. "... 173

1. Factum spoliationis societatem Europæ præcipitat in ruinam. — 2. In ipso cumulantur innumera mala. — 3. Congeries errorum quibus laborat nostra societas. — 4. Cumulus criminum et primo sacrilegium. — 5. Quod excommunicationem inducit et auctoribus minatur vindictam Dei. — 6. Atrox est et publica injustitia. — 7. Summa ingratitudo. — 8. Fœda coram omnibus hypocrisis. — 9. Fons injuriarum multarum totam societatem labefactantium. — 10. Factum injuriosum ordini politico Italiæ. — 11. Latrocinium inferens offensam nationibus. — 12. Injuria in Ordines religiosos ob destructionem domorum generalitium. — 13. Injuria in SS. Congregationes, ut v. g. de Propaganda fide — et alia piorum operum. — 14. Crimen juridicum est codex pœnalis adversus Clerum approbatus. — 15. Recapitulatio influxus hujus pessimi : est tantum initium malorum.

CAPUT IX. — Lamentabilis iste eventus in primis maxime favit *socialismi* erroribus et fatali *communismo* aditum aperuit, scilicet : inspirando odium in Religionem, in proprietatem, in auctoritatem omnem atque nutriendo 196

1. Summum discrimen in quo versatur Societas. — 2. Genuinus animus et spiritus vitalis socialismi est triplex odium. — 3. Eventus spoliationis favit *odio in Religionem divam Ecclesiæ*. — 4. Favit *odio in jura proprietatis*. — 5. Testantur hoc viri periti. — 6. Sæpe sæpius admonuit Pontifex. — 7. Ultima monita. 8. Dominium S. Sedis est patrimonium et nequit violari quin ruat jus proprietatis. — 9. Favit *odio in auctoritatem*. — 10. Hujus immediatas et tristes sequelas jam experimur : agitatur societas magnis febribus. — 11. Extollitur et in praxim deducitur principium pessimum *nationalitatis*. — 12. Conclusio et verba Pontificis : in diem crescent mala nisi restauratio fiat.

CAPUT X. — Perduratio facinoris in detentione Romæ, et conditio intolerabilis S. Pontificis, constanter inquietudinem populorum fovent, et summe perniciosæ sunt societati, non dico Ecclesiæ solum, sed totius Europæ, imo ipsius Italiæ 216

1. Restitutio pristinæ libertatis Ecclesiæ est conditio sine qua non datur efficax remedium malis societatum, — 2. *Ecclesia* primo inquietudini dedita ob intollerabilem situationem. — Id testantur Pontifices. — 3. Id testantur varia incommoda. — 4. *Europa* universa diffidet a legibus Cautionum quæ nullam dant securitatem — nec soliditatem habent pacti internationalis. — 5. Idem testantur dicta Pontificum et virorum diplomaticorum et Lemmi. — 6. *Italia* ipsa in ruinam socialem proruit penitus — et in primis Roma ex multis motivis : " Roma capitale, Roma fatale. " — 7. Totaque Italia in interitum vergit. — 8. Rapina non profuit. — 9. " *Nè elettori, nè eletti.* " — 10. Objectio ex prævstigio morali Pontificatus hodierni. — Appendix.

PARS TERTIA.

De mediis restituendi firmiter ordinem socialem et debellandi efficaciter socialismum.

CAPUT XI. — Ad ordinem et securam pacem recuperandam Societati, via principalior est restitutio Principatus S. Sedis et præsertim Urbis Romæ 245

1. Vana est omnis alia solutio. — 2. Stat jus continuo clamans : tollatur causa, id est injuria, ut tollatur effectus, id est inquietudo populorum. — 3. Stat summa incompatibilitas ad quodvis aliud medium. — 4. Cesset quantocius novum istud *Ave Rabbi, Rex Judæorum!* — 5. Hactenus unicum medium tuendi independentiam summi Primatus fuit dignitas regalis ; adhuc est necessaria, nisi ordinem Providentiæ mutare velimus. — 6. Satisfit obiectionibus ex indole nostræ ætatis, quæ vellet Providentiæ substituere suum inventum humanum. — 7. Necnon aliis difficultatibus ordinis superioris respondetur. — 8. Principatus ille temporalis sit Romæ, et non alibi. — 9. Nulla adjuncta nec præterita, nec præsentia, nec futura sinunt expectare *modum vivendi* Vaticanum inter et Quirinale. — 10. Conclusio unica : PAPA SIT REX ROMÆ !

CAPUT XII. — Ad restitutionem Dominii S. Sedis et restaurationem totius ordinis socialis, principale, imo et unicum obstaculum est malefica secta Massonum 266

1. Secta Massonica est obstaculum maximum. — 2. Imo primum e medio tollendum ubicumque dominatur. — 3. Inhiat destructioni Pontificatus Romani nec unquam aliter egit, nec actura est. — 4. Nihil vim adimunt ipsi divisiones intestinæ. — 5. Principale est obstaculum, ita ut alia impedimenta sint mere secundaria vel nulla, ut v. g. unitas Regni Italici. — 6. Nec plus impediunt aspirationes Italorum. — 7. Nec magni Europæ potentatus. — 8. " Oggeri solet " sed falso prætextantur incommoda adventura. — 9. Nihil ex restitutione patietur verus progressus modernus. — 10. Falsum est aufugiendum. — 11. Unicum exinde dici debet obstaculum supra assignatum ad restaurationem pacis et ordinis in Italia et in tota Societate Christiana. — 12. Aspirationes sectæ incarnantur in falsis commotionibus demagogicis. — 13. Una eademque ergo agitur causa Ecclesiæ et Societatis civilis in profligenda secta et restituendo Principatu S. Sedis.

CAPUT XIII. — Per restitutionem Dominii S. Sedis reintegrabitur ac iterum consecrabitur pristinum jus internationale, per " *non interventionis* " placitum misere quassatum, et tuta pace frui ac efflorescere poterit non solum Italia, sed Europa atque totus terrarum Orbis. ... 288

1. Nihil humanitus sperandum est a gubernio Massonico. — 2. E contra precaria exinde omnis forma Regiminis in Italia. — 3. In primis monarchica. — 4. Ut constat ex factione sponte inhiante formæ liberiori. — 5. Qua ex re discrimen maximum. — 6. Obventura prosperitas ex restituto jure internationali pro Roma. — 7. Pro tota Italia. — 8. Restauratio pristini juris christiani proficua quoque universæ Europæ. — 9. Ut clare constat ex historica evolutione nationum. — 10. Ex origine genuini juris internationalis qua Europa floruit. — 11. Reintegretur ergo sacrum jus illud : et cesset armata pax hodiernarum nationum sibi invicem invidentium. — 12. Papa sit iterum rex Romæ et moralitatis causa

poterit reassumi Concilium Vaticanum atque exhiberi exemplar status civilis vere christiani. — 13. Papa sit Rex Romæ et practice ostendere poterit quomodo cura gerenda sit de conditione opificum. — 14. Papa et hodiedum exstat necessario centrum totius societatis cui aut adhærebitur aut contradicetur.

CAPUT XIV. — Studium sincerum historiæ et singularis Providentiæ exinde in Principatum S. Sedis nostrasque societates illucescens, clamat ad restaurationem promovendam, ne societas sub impetu errorum socialium penitus abeat in ruinam 315

1. Falsi prophetæ Belial. — 2. Philosophia historiæ, — et tres scholæ ejus : pantheistica, deistica, christiana, — quæ singulæ explicationem civilitatis nostræ promunt. — 3. Scientia historica vera quid doceat ? — 4. Confirmatur ex dictis Leonis XIII. — 5. Spes restaurationis superest ergo primo a parte Ipsius Providentis Dei, non obstantibus invasionibus iteratis. — 6. In justitia causæ quæ est Juris ipsius. — 7. In permanenti caractere internationali hujus causæ. — 8. Et resipiscentia Principum toties delusorum, quoties alium ordinem socialem ac providentialem instituere tentaverunt. — 9. Imo in unanimi consensu omnium cordatorum civium. — 10. Crescit spes in certam fiduciam, ubi addimus signa temporum, ut sunt ruina Italiæ Massonicæ et ortus Italiæ Christianæ. — 11. Amicitia et benevolentia Principes inter et Romanum Pontificem. — 12. Aspirationes summæ equidem periculosæ ubi deviant in jus vindicandum ubique. — 13. Quidquid occurrere possit, Providentia sternit viam ad restaurationem plenariam libertatis Sedis Romanæ, ut cesset turbatio socialis.

CAPUT XV. — Quamquam modus efficax reducendi illud centrum firmum ordinis socialis in consiliis Dei latet, expedit ut, monente et minitante Providentia, homo arripiat medium hoc salvandi societatem et consilia ineat de executione necessaria.. 351

1. Innumeri exstant modi quibus Providentia efficaciter Principatum civilem S. Sedis restaurare valet. — 2. Per conatus nostros huic operi adlaboremus utendo medio, quod potius paci et ordini favet, nec nitamur vi armata, ut ipse censet Pontifex. — 3. Triplex exinde assignatur modus, sed in antecessum jura sarta tectaque maneant : fœderatio, mera cessio, neutralizatio. — 4. Conatus nostri ferantur in oppugnandum sectam Massonicam et socialismum. — 5. Et primo quomodo a socialismo removendi sint — adulti — juventus — fideles omnes. — 6. Et præterea quomodo oporteat aggredi impiam sectam Massonum in omnibus regionibus catholicis, per congressus, quorum specimen est congressus antimassonicus Tridentinus 1896. — 7. Continuas quoque expedit reclamationes efferre in cœtibus et associationibus catholicis. — 8. In specialibus congressibus internationalibus hac de re convocatis. — 9. Testantur hunc in sensum viri peritissimi. — 10. Et utinam Patria nostra Belgica ita quæstionem Romanam promovere possit, ut iterum in activam diplomatiam Europæam intret et solutio detur. — 11. Adhibeantur insuper studium et oratio ad Deum, et prius studium assiduum quæstionis socialis præsentis. — 12. Oratio fervidissima. — 13. Sub omni forma, ut antea inchoante captivitate Pii IX. — 14. Exemplar deprecationis.

CONCLUSIO PRACTICA. — Cooperemur Deo : " *pro aris et focis* " et ope precum nostrarum atque laborum iterum sit Papa rex Romæ ! 379

1. Intimus fons et natura quæstionis socialis præsentis in quo lateat ? — 2. Spectaculum dissolutionis et ruinæ a secta Massonum jam provocatæ. — 3. Cur Deus permiserit tantam dominationem impiæ sectæ ? — 4. Potissimum,

ut cunctis populis ætatis nostræ constaret non jam de divina doctrina Ecclesiæ Romanæ, sed de virtute superna, qua sola pollet in conservationem societatum civilium. — 5. In cassum laborant in præsenti omnes, nisi eo sincere tendant ut : *Papa sit Rex Romæ ; apponatur hæc summa solutio quæstioni sociali præsenti.* — 6. Nos igitur in promovenda restauratione Principatus civilis S. Sedis macte cum Deo pro aris et focis cooperemur. — 7. Hora est jam nos de somno surgere. — 8. Nullum profecto adminiculum est negligendum. — 9. Propior est salus ex imminenti jam declinatione sectæ, cui irrisit providus Deus per proclamationem Concilii Vaticani : " Constitutio dogmatica prima de Ecclesia Christi ". — 10. Mirabilis et insuperabilis unio catholicorum cum Pontifice Romano præsagium est certæ victoriæ. — 11. Huic ergo et nos strenue adhærere oportet ; exinde orietur salus societatis et acclamabitur Ecclesia Romana : *Papa sit rex Romæ, hæc summa solutio quæstionis socialis præsentis.* — 12. Hymnus et oratio finalis.

APPENDICULA. — Specimen vindicationis Dominii temporalis S. Sedis etiam propter bonum societatis civilis, anno 1896 a Congressu Tremoniensi oblatum 401

Animadversio de notis appositis in dijudicandis variis veritatibus, ad fidem pertinentibus. 402

Nomenclatura auctorum (exceptis hagiographis S. Scripturæ) qui in hoc libro citantur 407

Index rerum 411

Index capitum.. 418

TABULÆ GEOGRAPHICÆ.

I. — Italia sæculo VIII et Dominium S. Sedis tempore donationis Pipini. — Initio libri.

II. — Italia sæculis X et XI et Dominium S. Sedis post donationem a comitissa Matilda. Post caput IV, seu pag. 84.

III. — Italia anno 1815 et Comitatus Vindascinus necnon territorium Avenionense. — Ante caput VII, seu pag. 144.

Typis Societatis Sancti Augustini, Desclée, De Brouwer et Socii.